Digitized by Google

6
42 K
11

n. 10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VII. n. 10,

LVDOVICVS QVARTVS IMPERATOR Defenſus;

BZOVIVS

Iniuriarum poſtulatus,

Quòd eundem Diuæ memoriæ Imperatorem Sereniſſimorum Bauariæ Ducum progenitorem, contra ius, fas, æquum, verum in mendoſiſſimis Annalibus ſuis inſectatus, grauiſſimis calumnijs onerârit,

AB

JOANNE GEORGIO HERVVARTO ab Hohenburg, Sereniſſimo Bauariæ Duci ab intimis conſiliis, Præſide Suabæ, & inclytorum Bauariæ ordinum CANCELLARIO,

iuſſu eiuſdem

Sereniſſimi Bauariæ Ducis.

Acceſsit mantiſſa aliorum Bzouij errorum.

MONACHII apud NICOLAVM HENRICVM.

cIↄ. Iↄc. XIIX.

DECRETVM
SERENISSIMI
DOMINI DVCIS.

IN cognitionem venimus, ab Abrahamo Bzouio Polono, Dominicani Ordinis Profeſſo, in altero ſuo Annalium Eccleſiaſticorum tomo, quem Baronianis ſuccenturiauit, D. M. Ludouicum Quartum Imperatorem, totius noſtræ familiæ inclytæ progenitorem præter meritum, æquum & verum acerbè tractatum eſſe. Quod cum in totius noſtræ domus opprobrium ac contumeliam vergere videatur; idcirco Joanni Georgio Heruuarto Conſiliario noſtro intimo & Prouinciali Cancellario, cuius in veterum hiſtoriis peritiam compertam habemus, hiſce mandamus & ſeriò iniungimus, vti Progenitorem noſtrum Cæſarem Ludouicum à Bzouianis iniuriis vindicet, veritatémque propugnet; ita voluntati noſtræ & rei æquitati ſatisfaciet & rem gratam nobis præſtabit. Monachij 9. Martij Anno 1618.

Maximilianus

Joannes Marpeck.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAXIMILIANO COMITI PALATINO RHEN VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, &c.

Domino meo clementiſsimo.

AD ſigna venio Princeps Sereniſsime, non tam claſſico hoſtis, quàm Serenitatis veſtrę imperio excitus. Adfremit ex Latio, prętér naturę ordinem, neſcio quis Aquilonaris turbo, & Bauarię noſtrę pręcipuas columnas quatere nititur; inclytam nempe Seren.[tis] V.[æ] gentem. Abrahamus Bzouius, ortu Po-

lonus, profeſsione Dominicanus, audaciâ hiſtoricus patrias terras cum Româ mutauit, ibíque cùm ingenia in omni genere magna aduertiſſet, animum æmulatio ſtimulauit, illuſtri choro ſeſe ingerere, & inter magnos paruum eſſe nolle.

Placuit eorum agmen, qui antiquitatem ex ruinis & tenebris in noſtra vſque tempora retegunt; atque ante alios vultũ oculóſque eius mouit venerandus ille hiſtoricorum in Eccleſiâ vertex Baronius, huic ſeſe propinquiſsimum, imò huius ora habitúmque gerere, ſtudere cœpit. Poſuit ante paucos annos immortalẽ calamum Baronius, & fatis vocantibus ad cœlum iuit, virtutis & ingenij ſui monumentis per omnes terras diſperſis; plura diſperſurus etiam, ni Parca laudatiſsimis

cona-

conatibus contra orbis ipſius ſpem & vota filum incidiſſet. Subijt igitur Bzouio ſpacia gloriæ Baronianæ nondũ perfecta ingredi,& planè plenéque paribus paſsibus decurrere, viſúsque eſt non nemini probare ſcitos & veloces pedes. Atque etiã inuenit,velut in Olympiaco puluere vincenti acclamantes ſpectatores. Verũ enimuerò antiquę hiſtorię peritorum iudicium longè aliò tendit, Bzouiúmque non ignarum ſolùm rerum, ſed omnibus hiſtorici partibus deſtitutum, nõ modò deprehendunt, verùm etiam palàm cõplures cẽſent: quippe cui ſolertia verum indagandi nulla; acrimonia dijudicandi nulla; memoria dictorum in progreſſu nulla; diligentia ſcribẽdi parua; fides exigua;affectus partium plurimus; & tamen

audet nõ vniuerſi orbis ſolùm, ſed etiam multarum ætatum hiſtorias aggredi, omnéſque mortales docere, docendus ipſe.

Debuerat certè meminiſſe, cui viro ſuccedere conaretur, nẽpe Baronio, non Italiæ ſolùm, ſed totius Eccleſiæ lumini, cui omnis propè vita fuit legere, examinare, ſcribere, inducere, emendare, in ſenectâ demum edere: maluit nimirum ſapientiſsimus vir ſua correcta in lucẽ dare, quàm aliis corrigenda & ridenda propinare. Quid Bzouius? quæ legat, neſcio, quæ ſcribat, ſcio. Ipſe ne triginta annos parturientem vterum contineret; antequam primum fœtum effũderet? ſemeſtri ſpacio prægrandis illi Tomus naſcitur; & tametſi Bzouius id non dicat, apparet tamen eſſe properatam, & informẽ,

con-

confuſis adhuc membris, vrſæ maſſam.

Erit fortaſſe, qui id per omnes eius hiſtoriæ partes oſtendet, docebítque eum per varias terras cœco quodam impetu Andabatarũ ritu ferri, perindéque in Hiſpanorum, Italorum, Gallorum, Britannorum, Hibernorum, Scotorum rebus exponẽdis, atq; in Germanicis Boicíſq; noſtris exerrare, quod ego in extremâ mantisâ indicis loco breuiſsimè quaſi παρέργως, lectoris monendi cauſsâ attingo. Hîc vnam duntaxat mihi partem deligã, in qua Ludouicũ Cæſarem Bauaræ ſtirpis, & in Ludouico Sereniſsimos eius poſteros immodica amarulẽtia ex profeſſo calumnijs inceſsit ac lacerat: ſi res ipſa narranda fuit, quid acerbitate verborum opus erat? Data & capta, adeóque rapta

occa-

occaſione non pro hiſtorici grauitate, ſed hiſtrionis procacitate in Cæſarem illudit ac vehemētiùs agit, quàm Tullius in Catilinam. Pepercisſet ſaltem eminentisſimæ genti, cuius auctoritate & patrocinio hodie ipſa religio per Germaniam collabaſcens ſuſtentatur.

Ego certè quia pœne à puero Bauarum cœlum hauſi, & inter nobilis ſoli indigenas numeror, faciendum mihi putaui, & meâ ſponte, & Væ. Serenitatis iusſu, vt Principum meorum nomen famámq; calamo vindicarē; eóque magis, quòd aduertam Bzouium ex quodā liuore & aliis adulandi pruritu, in Cæſarem noſtrum debacchari. Quæ de eo ſcribit, ſubinde vera ſunt, ſæpisſime falſa: ſed vera comitē ſemper habent loquentiæ ſuæ fucum, vt

gau-

gaudere videatur, mali quid patratũ eſſe: imò etiam falſa barbaro ſtibio colorat.

Atque eiuſcemodi ſunt quæ ſcribit. At qualia illa quæ omittit? decora & illuſtria; ſed à Bzouio luci ſubtrahuntur, ne Cæſar illuſtris appareat. Exemplo eóque breuiculo rem demõſtro. Inuaſerat Pannoniæ ſuperioris Ducum exercitus, inferiorem Bauariam, & hoſtilia omnia fecerat, nec erât qui reſiſteret, Principibus adhuc pueris. Ergo Ludouicus tutelæ nomine, ne agnato ſanguini deeſſet, cõſcriptum à ſe militẽ duxit in hoſtem, & aperiente ſeſe ad imperium fortunâ nobili prælio decertat ac vincit, multis Auſtriacorum cæſis ac captis. Hanc clariſsimã victoriam, quâ totâ Europâ Ludouicus inclaruit, viámque ſibi ad imperium ſtra-

Digitized by Google

uit, Bzouius ſilentio inuoluit. Rebdorfi-
us Bzouio apprimè familiaris, Monaſte-
rij ad radices montis Wilibaldini apud
Eyſtadienſes Profeſſus, eiuſcemodi in
modũ ſcribit, pag. 422. *Anno Domini M.CCC.
XIII. menſe Nouembri. idem Ludvvicus ſed ante electi-
onem ſuam ad regnum, bellum magnum & cruentũ habuit
cum nobilibus & gente prædictorum Friderici, Leupoldi &
Hainrici fratrum, Ducum Auſtriæ in inferiori Bauariâ
prope villam Gameldorff, in quo prædictos nobiles & gentẽ
cepit Auſtralem, pluribus interfectis. Cauſa autẽ belli huius
fuit, quia ipſe datus fuit tutor Ducibus Hainrico & Otto-
ni fratribus, & Hainrico eorum patrueli in inferiori Baua-
riâ adhuc pueris & * viuentibus, & eorũ terræ, quam præ-
dicti Duces Auſtriæ afferre & deſtruere nitebantur. Ex
hoc itaque bello famoſus effectus, ſequenti anno in odiũ præ-
dictorum Ducũ Auſtriæ, & contra eos eſt ad regnũ electus.*

* *fortaſſe iuuẽibus.*

Neque verò ſolus Rebdorfius prælium
hoc victoriámque poſteris tradit, ſed Al-
bertus Argentinenſis quoque in Chro-
nico, vbi inter cætera, cùm de tranſlato in
Ludouicum imperio agit, hæc ſcribit.

Indu-

Inductus eſt autem Dux Ludouicus Bauariæ iunior, qui & aliàs Friderico præualuit in conflictu, & contra eum eligi ſe permiſit, &c. Hæc igitur victoria, ob quã per ora hominum fama Ludouici illuſtris ijt, dignúmque virum qui imperaret oſtendit, à Bzouio præterita eſt, quaſi nihil intereſſet, cùm deſcripturus Imperatorẽ erat, tegere aut prodere, quâ ſemitâ ad Cæſareum faſtigium graſſari Ludouico contigiſſet.

At iſta fortaſſe ad vniuerſæ Eccleſiæ hiſtoriam nõ attinent. Quid audio Bzoui? ad Eccleſiæ hiſtoriam non pertinent, quæ politicum caput & ſupremum eius aduocatum attingũnt? Fuerit hoc priuati Principis factum; tale tamen fuit, vt ab eo publicus & ſupremus fieret.

An verò Bzouio viſum eſt rem dignã Annalibus receẽſere Franciſci Petrarchæ

pueri adhuc neſcio quas nugas poeticas de anili podagrę & aranei fabulâ ad priuatum & podagrâ laborantē Dominicanæ familię hominem Ioannem Columnam ſcriptas? An tanti eſt Eccleſiā ſcire, quid ineptè laſciuiens puer luſerit, & non eſt tanti noſcere, quibus artibus Ludouicus ad imperium venerit? Denarrat inſuper paſsim Bzouius monſtra, & neſcio quas alias fabulātium Hiſtoricorum quiſquilias, ne priuata quidem ſcriptione dignas; ſola Imperatoria ſubinde omittēda ſunt, ne nimium eum extollat, quem toto ſuo volumine deprimit ac peſſundat? Vno verbo Bzouius hāc Ludouici victoriam ideò prætermiſit, quia eū laudare noluit.

Sed nos Bzouium ſibi ſua habere iubeamus, reuertamúrque ad Ludouicū,

qui

qui vbi virtutis ſuę nomen fortibus factis diffudit, etiam ipſorum Imperij Electorum curiam adeò cōmouit, vt poſt exceſſum Henrici ſeptimi dignum cēſuerint, qui ſupremas habenas capeſſeret. In Germania mox tanto fortunæ incremento oppoſuêre ſeſe Auſtriaci Duces, potiſsimúmq; Fridericus ingentis ſpiritûs Princeps, qui duobus ab Electoribus Colonienſi ac Palatino Rudolpho & ipſe Cæſar renūciatus, pro eo ſe eò vſq; geſsit, quoad Mildorfium cruentâ pugnâ ab Ludouico & victus & captus eſt.

E Gallia maior contra Cæſarē motus: Ioānes XXII. Pontifex, & Gallus Rex Philippus Ludouici & vixêre & mortui ſunt hoſtes. Quamprimùm auditum eſt poſt diutinam Cardinalium altercationē Or-

bi datum eſſe Põtificem, miſit illico Cæſar Oratores Auinionem (vbi per id tempus ſedes erat Apoſtolica) qui Pontifici electionem ſuam nunciarent, ac pro more ſolemnẽ Imperij inaugurationem poſtularent. Diſplicuit Cæſar Pontifici & repulſus eſt. Tres fuêre repulſæ cauſæ: quòd in diſcordiâ eſſet electus; quòd ius Pontificium per Italiam vſurpâſſet, vicarióſque Imperij vrbibus impoſuiſſet, & antequam confirmatus eſſet, munia Imperij obijſſet; quòd hoſtibus Eccleſię Gibellinis ſuppetias tuliſſet. Et quidem nõ inficior diſcordiam inter Electores enatam, ſed quæ tamen electionẽ nullo modo caſſam nullámue redderet: quid enim officiat electo, duorum pertinacia, vbi quinq; Principum paribus votis conſpirant?

rant? fuit autem Ludouicus à quinque principibus Curiata dignitate præſtantibus electus, vt infra oſtendemus: neque Pontifex ipſe diſertè diſcordiã Ludouico obiecit, ſed idẽtidem addidit, *vt dicitur:* dicebantur autẽ tum varia, pro vario vulgi ſtudio; fuêre qui Fridericum, fuêre qui Ludouicum mallent; nec alius potuit eſſe hominum ſermo, quàm affectus. Ab ſe autem ius Pontificium vſurpatum, neque Ludouicus agnouit, neq; factum eſt. Nam fuerit Põtifici fas vacante Imperio per Italiam Vicarios imponere; hoc iure Ludouicus non eſt vſus, ſed ſuo. Quamprimùm enim declaratus Cæſar fuit, Cęſaris partes exequi permiſſum erat, & prouincijs præſides ſubmittere; neque verò potuit ius vſurpare Pontificis, qui tũ nullus

lius fuit; Pontificia enim ſedes vacabat,& vltra biennium non vidit Chriſtianus orbis vllum ſui caput.

At verò ante Romani Antiſtitis confirmationē negotijs Imperatorijs ſeſe ingeſsit. Ita omnino eſt;nam quis eum confirmaret,cùm nullus Pōtifex eſſet? Deinde non arbitratus eſt neceſſariam ſibi cōfirmationem ad Imperij munus ſubeundum, nam etiam hodiernæ ſcholæ Theologi Doctoréſque Canonum & docent & oſtendunt,fas eſſe legitimè electo Cæſari adminiſtrationem Imperij ante confirmationem Pontificis adire, cur id ſoli Ludouico non licuiſſet? Neque porrò negatum eo Gibellinos ab Ludouico adiutos; ſed ij non erant Eccleſiæ hoſtes, verùm Ioannis duntaxat ciuilem dominatum

natum in terras exercẽtis, inque fide Imperatoris perſiſtebant; iuuit ergo Cæſar ſuos. Et fuerint quidam ex ijs hæretici, hæreſin eorum neque laudauit, neq; præſidio texit, ſed eorum operâ vſus eſt ad ſua defendenda. Igitur nullis de cauſſis iterum, iterúmque reiectus Ludouicus, atque tandem etiam piorũ cœtu motus, Pontificem & ipſe laceſſere cœpit, inſecutáq; eſt talis tragœdia, qualem in paucis vidêre Romani Pontifices. Recenſebimus eam in libri progreſſu ſine vlla Põtificiæ Maieſtatis ſuggillatione, ad quam nihil attinent lites iſtæ. Scimus Catholici, quam obſeruantiam Dei in terris Vicario debeamus, & hanc ſacroſanctam eſſe volumus, in ijs quæ ad Religionẽ, eiúsque bonum publicum pertinent. Nulla

nobis aut cõtrouerſia aut quæſtio de poteſtate Pontificia, ſed de iure ad Imperiũ Ludouici contendimus: ſicut autẽ Pontifices (loquor de politicis) aliquando malè affici poſſunt, ita & malè agere poſſunt ſine vlla Religionis noxa. Quod ſi etiam ius violent, vindicari & illud iure naturæ poteſt. Certè Ludouicum, præter meritum ab Ioanne exagitatum teſtis eſt dignitate Ioanni par Benedictus XII. Pontifex, qui apud Argentinatẽ pag. 126. ita loquitur. *Imò nos fecimus contra eum: ipſe enim cum baculo veniſſet ad pedes Prædeceſſoris noſtri, ſi voluiſſet, ſed ipſe noluit eum recipere, & quicquid ille fecit, quaſi prouocatus fecit.* Hæc Argentinas, qui per id tempus Auinione in aula Pontificia fuerat. Ambigi certè non poteſt, ſi Ludouico alium fata deſtinaſſent Pontificẽ, Imperium ei pacatiſsimum futurum fuiſſe:

cum

cum Ioanne ei conuenire non poterat, vtpote cum homine ingenij aſperi, & in horas conſilia mutante. Verùm non tam contra Pontificem, quàm contra Pontificis Dominum (is erat id temporis rerũ & Eccleſię ſtatus) Regem, inquam, Gallum queri habemus; is enim pro libidine ſummam illam poteſtatem verſabat, nec ſinebat vel bonum eſſe bonum. Bzouius id non neſcit, & fatetur etiam tomo XIV. anno 1305. N. III. §. 2. *Dolebat maiori, ac meliori parti Cardinalium, ea Clementis Pontificis diſpoſitio; non tam quòd ſe contemni, precéſque ſuas nihili fieri arbitrarentur, quàm quòd viderent libertatem Eccleſiaſticam oppreſſum iri; & quandoque pernicioſum ſchiſma in Eccleſiâ exoriturũ, ingenti damno totius Chriſtianitatis, ex translatione ſedis in Gallias. Ubi ſummus Pontifex apud Regem prophanum, quaſi in poteſtatem ſæcularium redactus, omnia & dicere, & facere, & iubere cogeretur, non ex maieſtate pontificiâ, neque ex poteſtate plenariâ; ſed neque ex iuſtitiæ præſcripto, ſed vt Rex & Proceres vellent, adeóque*

mandarent. Et poſt paulum. *Hac ratione Romana ſedes infauſto omine, à præpoſterâ quorundam ſagacitate, in Gallias tranſlata eſt: vbi ad ſeptuaginta amplius annos diram ſeruitutem ſeruiens penè oppreſſa remanſit, cum inæſtimabili omnium Chriſtianorum incommodo, Eccleſiæ dedecore, Vrbis detrimẽto, Italiæ deuaſtatione, & Orientalium regnorum irreparabili iacturâ.* Hæc Bzouius.

Ergo Ludouicus vbi omnes pacis vias obſeptas ſenſit, nec ſibi Imperij ſceptrũ proijciendum exiſtimauit, progreſſus eſt vltrà, bellúmque etiam pontificiis terris intulit; Romæ, quã armatus intrauerat nouum Magiſtratũ impoſuit, aliáque vel inuitus fecit, quæ Bzouius lugubri & ambigua oratione deplorat. Non dubito ſanè multos ex doctoribus Italiæ vidiſſe in propinquiorum nobis ſæculorum hiſtorijs voragines has, quas metuerint, atque adeò prudenter abſtinuiſſe ſcriptione, ne quid aut hinc aut iſtinc callidiſsimus

mus calamus offenderet, ſed Bzouius totus improuidus, ſtatim in deſertã ſtationem manibus pedibúſque irruit, & turbida feſtinantéque operâ inconditam rapſodiam conſarcinauit, ijs ipſis, qui cauti fuêre ridendam. Debuiſſet certè Bzouio in mentẽ venire, periculoſæ eſſe aleæ, in lubrico pedem firmare, & aut Pontificiam Maieſtatem nõ conuellere, aut Bauaricę domûs altitudinem non concutere, vt taceam, meminiſſe etiam decuiſſe duas celeberrimas Europæ familias, lites iam ante tria ſęcula ſepultas obliuioni dediſſe. Quid opus fuit refricare & veteres acies in chartas reducere? quamquã quid mirum eſt duas ſummas gentes inter ſeſe diſſediſſe? Vna Bauara domus ſuis ipſa columnis colliſa eſt. Quis enim acerbi-

or hoſtis Cæſari vnquam fuit, quàm germanus frater Rudolphus? Hoſtilia fecit, hoſtilia paſſus eſt, demúmque, quod miſerrimum fuit, in alieno ſolo illudēte fortunâ exul interiit. Acerrima non rarò odia in amorem vertuntur, nec multùm mouent diſcordiæ tot annis deſitæ, ſatis eſt redintegratā eſſe ex antiquo pacem, & vtramque ſtirpem cōnubiis ita coaluiſſe, vt neutra alteri hoſtis eſſe poſsit, niſi ſibi ſit. Sed nos miſsis his, Sereniſsime Princeps, citra vllius iniuriā, cuius cauſſas procul habemus, Ludouicum Cæſarem non tam tumuli terrâ, quàm Bzouianis calumniis oppreſſum producimus in Europæ lucem, nō inani fiduciâ, ab ęquo rerum arbitro & Ludouicum abſoluendum, & Bzouium reum agendum. Ego

ſi quid

ſi quid in dicenda cauſſa operæ pretium feci, rite atque ordine feci: ſi nonfeci, Bzouius id mihi dicet; quamquam nihil dicet, nam ſi verum loqueretur, aliter loqueretur, quàm ſit in Ludouico locutus.

Devs Opt. Max. in annos plurimos Serenitatem Veſtrã, totámque Domum Bauaricam ſeruet, ſoſpitet, beet. Monachij XIII. Calend. Septemb. Anno cIɔ. Iɔc. XIIX.

Serenitati V.ª

ſubiectiſſimus

Io. Georgivs Hervvartus.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

CVm poſtremæ chartæ in mantiſsã ſub prælo gemerent, iámque curam omnem ponerem, ecce tibi Bzouius, neſcio, an culpæ gnarus, certè futuri metuens ad me excuſatorias ſcribit, totámq; peccati ſui noxam in alios deriuat; non incallido conſilio; præſtat enim, ſi nocens ſis, alium deliquiſſe videri. Verùm vti Lector cognoſcat, fruſtra Bzouiũ ad innocentiam niti, adſcribam ipſius epiſtolam, & vnà meam ad illum.

ILLVSTRI DOMINO D. IOANNI Georgio Heruartho ab Hohenburg, Cancellario Bauarico &c. D. obſeruandiſſimo.

Ill.ris D.ne Cancellarie,

CATHALOGVS *Francofordianus me certiorem reddidit, Ill.rem D. T. pro Lud.co Bauaro vindicias ſcripſiſſe, atque in me ſtylum defixiſſe. Quã porro merito! Ipſam D.tem T. vel hoc argumento appello, quod ego Sereniſſ.mo Duci Maximiliano non ſemel qualem qualem operam meam obtuli, flagitauíque, vt ſiquid in Archiuo ſuo, vel in meditatis ſuorum Chronographorum haberet, familiæ ſuæ vel illuſtrandæ vel ab impoſturis vindicandæ, mihi tranſmitteret,*

Digitized by Google

ego verò ſtylum non meum, (nam non ego auctor, ſed ſarctor eius hiſtoriæ) ſed alienum attemperauiſſem, & Ser.mi Ducis voto fors ſatisfeciſſem. Nihil potui eorum obtinere.

Itaq; extra culpam me credo fore, qui obuia, clara, à coæuis, à gentilitijs ſcripta, litteris tum Ludouici, tum Pontificijs conſentanea, non animo imponendi ſed ſedem Ap.am vindicandi conſarciui, & innocentiæ trium Pontificum aſtruendæ euulgaui: neq; vnquam aut animos, aut cauſas habui, per iniurias aut per impoſturas magna capita proritandi. Porro vt D. T. Ill.ris ſciat me non eo ſenſu, quem mihi in titulo Francofordiano impoſuit, fuiſſe aut eſſe, placuit iterum Ser.mum Ducem interpellare, qui auctor eſſe D. T. Ill.ri velit, ne eum librum publicare pergat, ſed mihi antequam 2°. tomus 14. recudetur mittat. Ego verò illa, quorum pondus à veritate ſtabit, meis ad eum modū commiſcere cupio, vt Ser.mus cognoſcat nunquam mihi voluntatem defuiſſe, aut defore iuſto eius deſiderio ſatisfaciendi. Iſtud ſi impetrare non potuero, ſciat D. T. Ill.ris ſe mihi neceſſitatem iuris naturalis imponere. Romæ 29. Decemb. 1618.

Ill.ri D. T.

bonorum omnium cupientiſſimus

F. Abraham Bzouius S. T. D.
Ord. Præd.

ADMODVM R.do IN CHRISTO PATRI F. Abrahamo Bzouio Ordinis Dominicani Profeſſo, S. Theologiæ Doctori.

CATALOGVS Francofordiēſis, qui R.am T. certiorem fecit, me pro Ludouico Cæſare vindicias ſcribere, non fefellit, & propediem R. T. ſentiet bellum non de nihilo ſuſceptum, ne porro quærere poſſit *quo merito?*

Sereniſſimo noſtro operam abs R. T. oblatam, nō ignoro; ſed & hoc ſcio, R.am T. ea non acceptâſſe, quæ eius Serenitas prolixè obtulit. Supereſt apud me exemplum literarum ab Sereniſſimo ad R. T. datarum; in ijs hæc fuiſſe, facilè recordabitur: *Nobis gratiſſimum R. V. fecerit, ſi, quæ de maioribus noſtris, ſuis operibus inſerere cogitat, nobiſcum antè cōmunicârit, quàm in publicum edantur, vt ſuper ijs R. V. maturè per noſtros, harum rerum peritos, ſiquid opus erit, aut à noſtris diſcrepârit, monere poßimus. Excutient noſtri tabularia, & chartophylacia noſtra diligenter, ſcriptáque R.æ V.æ, ſi qua miſerit, cum tabulis & monumentis noſtris accuratè conferent, certáq; ad R. V. referent & perſcribent.* Hæc Sereniſſimus.

Itaque ſi à nobis peccatum eſt, quia R.æ T. petenti nihil ſubminiſtrauimus, profectò & R. T. culpę magis affinis erit, quę & ipſa poſtulantibus nihil miſit; & debebat tamen, quia fama noménq; illius in eo verſabatur, atq; etiam, ne falſum ſcriberet, pe-

riclitabatur: nobis nulla neceſſitas fuit tranſmittendi noſtra; nam, tametſi R.T. ijs careret, cogitare non poteramus, eam propterea aliena à vero ſcripturam.

Deinde, non erat conſilij ex Principis Archiuo ſecreta extrahere, & per tot montes & terras mittere: R.ᵃ T. chartæ pauciores fuiſſent, & expeditiore viâ ad nos tranſuolâſſent.

Demum, etiam noſtra cum R.T. cõmunicando non feciſſemus operæ pretium; quid enim profuit eam monitam fuiſſe errorum in tom. 13. cõmiſſorum? Ijſdem ferme gem̃is fulget altera editio, quibus prima. Quanti certè R.T. noſtra feciſſet, ſpecimine demõſtrauit, cùm decretum Electorum pro Ludouico facientium, quod ex Cancellis Treuirẽſibus profectum clariſſimus D. Geuoldus vulgauit, abſque vllius rei momento exagitauit. Vereri
An. 1314. primò, inquit, *ne qua ex parte vitiatum ſit:* dein de fide Geuoldi ambigit, ait enim, *Si tamen autographum vidit Chriſtophorus Gevvoldus in ſuo de ſeptemuiratu commentario.* Summa, R.T. ſuo iudicio ſcribit, alieno damnatur. Videt igitur quàm verè ſcribat, *Nihil potui eorum obtinere.* obtinuiſſet omnia, ſi voluiſſet.

Quòd ſcribit, *ſe obuia & clara à coæuis, gentilitiiſque ſcripta conſarciuiſſe*, intelligo, ſed non omne farcire & ſuere laudem meretur; & ſartoriam ſuam

artem

artem videbit toto meo libro depictam rubore ſuo.

At R. T. quæ ſcripſit, *aſtruendæ trium Pontificum innocentiæ cauſa ſcripſit*; ita me credere vult. Sed liber meus aliud docebit, affectus R.^am T.^am in abrupta duxit, vt nonnunquam fingeret, quod defenderet.

Quòd animus R.^æ T.^æ non fuerit, *per iniurias & impoſturas magna capita proritare*, non perſuadet: omiſiſſet aliàs illa, quæ vt indecora obijciuntur, quæq; R.^am T. causámque eius iugulant. Neq; intelligo R.^æ T. aliũ ſenſum fuiſſe, quàm ego in Francofordienſi titulo impoſui. Iniuriarum R.^am T.^am poſtulaui, quia iniurias ſcribendo intulit: & iudicabit iam Europa, an ego, an Bzouius reus ſit.

Fruſtra verò rogat, ne librum meum publicare pergam; nam is eo fine ſcriptus non eſt, vt mox à partu in tenebras iret, & periret; ſcriptus eſt vt Ludouici Cæſaris honor vindicaretur per omnes illas terras, per quas R. T. illum denigrauit. Neque multum moror lancem, in quâ ſpondet, ſe locaturam mea ſcripta, & *commiſturam ſuis, ſi pondus eorum à veritate ſteterit*: iam R.^æ T. libra feſellit; & ideo ego meam in publico appendo, vt de vtriuſque ſtatera Lector dijudicet. Itaque non eſt, quod expectet priuatam aliquam, aut clandeſtinam pacis ineundæ rationem. Publica iniuria publicè vindi-

Digitized by Google

canda eſt. Nec eſt, quod R.ª T. conſpectum libri mei vereatur, ſi à coæuis, ſi à gentilitijs ſua hauſit hiſtoricis; non ipſa, ſed ego aleam ſubibo.

Quod ſi hac mea reſponſione, poſtulationíſque denegatione R.Tª neceſſitatem iuris naturalis impono, ſciat, eandem mihi à R. T.ª prius impoſitam; prouocatus ſcribo. Quanquam non me ſolùm Cæſaris Ludouici nomen ad ſcribendum impulit, ſed etiam publica cauſa, cuius ſanè intereſt in aperto eſſe, qualem R. T.ª ſcriptorem agat; ne hiſtoriæ Eccleſiaſticæ magna imagine decipiatur Lector; nec alio fine adiecta mantiſſa eſt, quàm vt totius operis R.ª T. pretium cognoſceretur.

Quia verò video, ſuperare R.ª T. animum reſcribendi; agat, audeat porrò, & mea, ſi vir eſt, ſcripta confutet; ſed eâ lege, vt præcipua capita lubrico pede ne prætereat, aut diſſimulando tranſiliat: firmet greſſum in potiſſimis; quæque non ſatis maturè profudit, idoneis teſtibus corroboret; dico teſtibus, nam verba R.ª T. nõ flagito; inania illa ſunt; quærimus nos, quid geſtum ſit, quid ab aliis traditum, nõ quid à R. T. cogitatum, aut fictum.

Inter alia R.am T.an Herculem cupio, vt aduerſus me & argumenta mea euincat, *Fraudulentam fuiſſe* [a] *Ludouici electionem; eundem à minore parte, & quidem* [b] *cum dolo Cæſarem deſignatum;* W*alde-*

[a] Pag.6.n. 2 & ſeqq.
[b] P.47. n.26.

marum

marum Marchionem Brandenburgenſem ab Ludouico [c] *eiectum, ac ditione ſpoliatum, vt filium terris augeret; Principibus viris ab Ludouico* [d] *vxores abreptas; eundem ſtupris Germaniam* [e] *fœdâſſe; ab eodem caſam coniugem* [f], *trucidatas alias; occiſum Fridericum imperij æmulum: à pleriſque* [g] *traditum, impœnitentem deceſſiſſe*; & ſexcenta alia iniurijs, calũnijſque plena, aut proxima.

c *Pa. 241. n. 3.* d *P. 279. n. 84. & ſeqq. 844. n. 9. & ſeqq. 929. n. 9.* e *Pa. 935. n. 2.*

f *P. 847. n. 14. & ſeqq.* g *P. 970. n. 12. & ſeqq.*

In his R. T. vires ſuas exerat, quæque ſcripſit, propugnet, ſed clarè, ſed difertè, ſed verè. Certe & hæc & alia omnia, quæ ſilentio inuoluerit, deploratáque reliquerit, inter data conceſſáque numerabo, & numerabo plurima. Monachij 26. Ian. Anno 1619.

Ad.um R.dæ P. T.

bonorum omnium cupientiſſimus

Ioannes Georgius Hervvart ab Hohenburg, Bauariæ Cancellarius.

Ex his cognoſcit Lector, Bzouium non eſſe culpæ purum; nam etiam cum noſtris ſcriptis defuiſſet illi voluntas, vera de Ludouico ſcribendi; non enim ſuis ſolùm verbis Ludouici laudibus officit, ſed etiam alienis: quando enim Hiſtoricorum, qui Ludouicum aut Cæſarem, aut Imperatorem vocauere, dicta exſcribit, magnâ diligentiâ nomen Cęſaris aut Imperatoris expungit, & Bauari vocem ſufficit.

Longè aliter & ſenſere & ſcripſere ſummi Eccleſiæ antiſtites, qui Ludouicum in ſuis Bullis Imperatorem & Regem Romanum nominarunt, & nominatum probarunt. *Extat in archiuo B. M.V. Monachii.* Innocentius IIX. in Bulla, quam ad Archiepiſcopum Salisburgenſem, & Epiſcopum Friſingenſem miſit, anno M. CCCC.XCII. 3. Idus April. Ludouicum claræ memoriæ Romanorum Imperatorem appellat; iiſdémque omnino *Ibidem.* verbis condecoratur in Bulla ad Abbates in Beuren, & Mõtis Sancti Andex ab Alexandro VI. anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, Idibus Octob.

Quòd ſi quis etiã antiquiores Põtifices deſiderat, inſpi- *Seruantur in Etal.* ciat Bullas duas Eugenij IV. ad Abbatẽ in Benedictbeurẽ, in quarum primâ Ludouicus D. memorię Romanorũ Rex vocatur; in altera vero, D. memoriæ Romanor. Imperator.

Ibid. Concilium quoque Baſilienſe in Bulla ad Abbatem Etalenſem Diuæ memoriæ Romanorum Imperatorem eundẽ indigitat. Hos certè Pontifices ſi Bzouius ſequutus fuiſſet, nec erraſset, nec prauum in Bauaricam domũ affectum hoc etiam nomine demonſtraſſet. Meminiſſe debebat, non eſſe ſcriptoris Cæſarem aut creare, aut abdicare.

SI qua his in libris contra fidem Catholicã Romanam, iuráue ſedis Apoſtolicæ dicta ſunt, indicta ſunto: animus fuit abſtinere. Nomini Romano, religionis ſummo Antiſtiti deuotus ſum: & meam vel iam vitã mortémque eidem mancipo.

ANNVS CHRISTI M. CCC. XIV.

Ludouici Imperatoris primus.

Capvt I.

VTRVM TANTA FVERIT INter Electores, quanta inter Cardinales diſcordia.

ANteqvam Bzouius Electionem Ludouici auſpicatur, præmittit quædã ex occaſione diſcordiæ Cardinalium, qui poſt mortem Clementis V. diutius diſtulêre orbi Chriſtiano Pontificẽ dicere, quàm bonum publicum requirebat. Igitur ab hac lite digrediens Bzouius, *Non minore*, ait, *etiam diſcordia, inter Electores Imperij, hoc quoq; anno, gliſcente. Ciacon. Platina, Maſſon. & reliqui ex Bernardo Guidone.* Quæ verba an ad amuſſim vera ſint, exactiùs dimetiri placet. *Col. 241. XI.*

2. Sed benè factũm, quod Bzouius, manu facta, bellum ordiatur; ſolus occumberet: quanquã ne ſic quidẽ tutus erit. Audiamus igitur parem in Eccleſia & Imperio de capite contentionem.

3. Electores Ludouicum Imperatorem quinque legêre; obſtitêre ſolùm duo, qui tertiam partem non faciunt, vnde legitima illa fuit electio, quæ potuiſſet etiam paucioribus votis ſubſiſtere. Longè aliæ turbæ inter Cardinales inualuêre, qui in duas diuiſi factiones, non modò duabus tertijs conſentientibus (quod etiam Bzouio teſte ſufficit) Pontificē non deſignarūt, ſed nec ex ædibus electioni deſtinatis elici, niſi de induſtria incenſis, potuêre, ipſo Bzouio teſtante,

Ibid. col. 238. ſ. IV. poſt m.

Col. 241. XI.

4. *Clemente Pontifice*, inquit, *extincto tres & viginti Cardinales Carpentoractum conuenêre, vt ex præſcripto Gregorij X. nouemdialibus ſacris Pontifici defuncto abſolutis, ſucceſſorem deſignarent. In ædibus Epiſcopi conclaue ingreſſi diſſenſionibus laborarunt, neque quenquam nominare potuerunt, quòd Aquitani magna Purpuratorum pars aliquem ſuæ Prouinciæ, reliqui Galli Italis adiuncti non niſi Italum deſiderarent. Dantes Florentinus datâ ad Patres elegantiſſimâ Epiſtolâ, ex re Chriſtianâ fuiſſe ſuadebat, ſi Italum aliquem elegiſſent, qui ſedem Romanæ Eccleſiæ vnà cum libertatibus Eccleſiaſticorū vehementer à principibus imminutis reſtituere potis eſſet. Intra conclauis ſecreta diſſentientibus Patribus, etiam domeſtici eorum in Vrbe vehementius tumultuabantur. Cúmque aliâ ratione Cardinales vel ad concordiam reducere, vel diſcordes è palatio eli-*

elicere nequirent, multam materiam pinguem & aridam vicinis palatio ædibus famuli ſuppoſitam incenderunt. Ardebat nemine extinguente domus electioni deſtinata, & illi potius re infecta diſcedere, quàm communibus ſuffragijs Pontificem renunciare maluerunt. In id tantùm conſenſerunt, vt præſcripto tempore in locum deſignatum pro Antiſtite eligendo conuenirent. Cæterum auctis vltro citroque per maleuolentium ſtudia odijs ſtato, die minimè redierunt, ſed in ciuitatibus Narbonenſis Prouinciæ loco & propoſito diſiuncti, non ſine maximo Reipublicæ Chriſtianæ detrimento permanſerunt; quamquam ſancti & principes viri non deeſſent, vt eos ad comitia ineunda perurgerent. Duos annos integros interpontificium Eccleſiam vniuerſam tenuit.

5. Hactenus Bzouius, qui diſcordiam adhuc nimis citò finit; nam ad duos annos adijcere inſuper debebat tres menſes, & dies ſeptendecim (qui in illo diſſidio interfluxêre) quanquam id facit alibi, [a] ne vbique ſibi par ſit. Deinde Bzouius infra [b] affirmat, *Fridericum ſine fraude electum & regijs inſignibus iure ornatum.* Quid audio? Ergóne legitimè Fridericus electus eſt vnico, vt ſic dicam, & vnius diei conſeſſu? Et fuit tamen par Electorum diſcordia cum biennali, & prope quadrimeſtri Cardinalium? imò iuiſſet [c] horum lis in longius ſpatium etiam, niſi à Philippo Galliarum

[a] *Col. 275. poſt m. anno 1316. I.*
[b] *N. XII. f.*
[c] *Ciacon. in Ioann. 22. pag. 680. E.m.*

tum moderatore, Cardinalibus vis fuiſſet illata, nō ſine dolo, non audeo dicere, periurio.

4. At Bzouius vt oſtendat parem fuiſſe diſcordiam Electorum & Cardinalium, tres auctores dilaudat. Primus eſt Ciaconius, qui p. 677. poſt m. & 693. § 2. tantùm dicit, *Henricus VII. obijt* IX. *Kalend. Septembris, anno 1313. Interregnum anni vnius, menſis vnius, dierum viginti quattuor. Romanorum reges duo creati fuêre.* Quid hîc ſimile Bzouianis verbis? diſcordiam inter Bzouij calamum, & Ciaconij video; inter alios, non video.

5. Alter eſt Platina, qui in Clemente V. prope finem, ait, non minorem, fuiſſe inter Electores, quàm Cardinales, diſcordiam: ſed hic erroris veniam meretur, ob ignorantiam decreti Bzouio nō ignoti.

6. Tertius eſt Maſſonus qui tertio Franc. in Ludouico Huttino pag. 401. v. 5. tantùm ait, *Hæc publica infortunia inſanas Cardinalium factiones non terrebant. Clemente pridem extincto nullus adhuc ſucceſſor erat deſignatus.* Reliquos eodem, quo Platinā, modo excuſamus, ſi modo eorum aliqui idem, quod Platina, dicunt. Accedamus iam, ſi placet, ad ipſam Electionem, vti eam penicillo ſuo Bzouius delineat col. 241. XII.

Capvt

CAPVT II.

ELECTIO LVDOVICI à BZOuio perperam deſcripta.

1. C*Ompertâ*, inquit, *Henrici morte, cùm primùm Francofordiam ad Mœnum conueniſſent, in duos principes vota cõtulerunt. Petrus Moguntinus, Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopi, Ioannes Rex Boëmiæ, ſiue pro eo Henricus dux Carinthiæ, Ludouicum Ducem Bauariæ; Henricus Colonienſis Archiepiſcopus, Rudolphus Dux Bauariæ Rheni Palatinus & Rudolphus Dux Saxoniæ, Fridericum Ducem Auſtriæ, Imperatorem, die Diuo Lucæ Euangeliſtæ ſacro, ſalutarunt. Valdemarus Brandeburgicus Marchio, cum electioni intereſſe non potuiſſet, nobilem quendam militem pro ſe, ſed in perſonam Auſtrij, ſuffragium ferre iuſſit, hic tamen, præter Marchionis voluntatem, Ludouico Bauaro calculum attribuit, animoſque parti eius fecit, vt, non expectato Romanæ Eccleſiæ conſenſu, Ludouicum pro legitimè electo Imperatore habuerint, & is pro Rege Romanorum, illico ſe geſſerit, multáque diſpoſuerit atque conceſſerit, quæ confirmatum coronatúmque decuit Romani Pontificis conſilio iudicióque ſubijcere. Ferunt Valdemarum Marchionem vehementer exaſperatum, militem ſuum carceri incluſiſſe, &*

Col. 241. XII.

Ludouici Bauari fraudulenta electio.

 inedia

inedia occidiſſe, quòd is contra voluntatem domini ſuffragium tuliſſet, electionémque Imperatoris perplexam reddidiſſet. Conferamus rem in pauca, & Bzouij dicta aliquot pronunciatis comprehendamus.

Legitima Ludouici electio cõfirmatur.

2. Primum Bzouij pronunciatum. Ludouicum habuiſſe tantùm quattuor ſuffragatores, Moguntinum, Treuirenſem, Bohemum & Brandenburgenſem, cum dolo & fraude. Sed hoc pronunciatum à vero alienum eſſe euincetur primo ex publicis principum decretis & ſcriptis, dein ex Francofortenſium ad Aquenſes litteris, ex appellatione Ludouici, ex magno tam veterũ quàm recentiorum hiſtoricorum exercitu, quos in re tãti momenti Bzouius præterit. ſed nimirum pronum eſt cuilibet, ea teſtimonia conquirere, quæ cauſæ ſuæ fauent, ac propterea etiã Bzouio ignoſcendum humana paſſo.

Ex duobus quinq; Electorũ principum decretis.

3. Et quidem quia Bzouius in campum contra magnos heroas procedit ac vinci vult, vincatur ſine iniuria. Quid enim ſperet huius diei homo, contra veteres Imperij proceres, etiamſi ſtipatus ſit vno alteróue ſatellite nuper nato? nam ex veteribus ſolum Argentinatem dilaudat. Per omnem ætatem apud omnes gentes, etiam ab omni humanitate alienas & barbaras primus honos ac prima fides publicis monumentis habetur, nec vlla

cauſſa

cauſſa eſt, quare vlli ſcripturæ credi debeat, ſi his credi non poſſit. Aſſeruantur in tabulario, ſeu, vt iam loquimur, Archiuo Sereniſſimi Ducis noſtri duo à quinque Electoribus Principibus edita decreta autographa, quibus illi ſummo Pontifici futuro (nam vacabat Apoſtolica ſedes per id tempus amplius biennium) fidem de eadem electione faciunt certiſſimam ac planè indubitatam. Ea de re placet ad verbum illa huc tranſcribere, totíque orbi, cui per tot annos fuêre ignota, legenda proponere. Et quia Bzouius in ſuſpicionem fraudis facilè prolabi poſſet, ſicut videtur infra innuere, quaſi fictitia forent; viſum è re fuit à magnis & iuratis oculis inſpici, ac publica auctoritate firmari. Data eſt igitur opera, vti ea Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps, Auguſtanus Epiſcopus perluſtraret, perlegeret, vimque eorum & pondus examinaret, inſigníque calculo ſuo approbaret. Acceſsêre & alij tres Pontificij Cæſareíque Notarij, qui eadem teſtimonijs ſuis & ſignis firmarunt. *N. XIV.*

In nomine Domini Amen.

4. Nouerint vniuerſi & ſinguli hoc præſens publicũ Tranſſumptum inſpe-

ſpecturi, lecturi, atque legi audituri. Quod Nos Henricus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus Auguſtanus, ac ſacri Romani Imperij Princeps &c. vidimus, tenuimus, legimus, nec non diligenter inſpeximus Documẽtum originale, in pergameno ſcriptum, quatuor illæſis ſigillis, in chordis ſericis, rubri flauíque coloris, dependentibus, vtpote Archiepiſcopi atque Principis Electoris Moguntinenſis, Regis Bohemiæ, Marchionis Brandenburgenſis, Ducíſque Saxoniæ, communitum. Et quia illud ſanum, integrum, illęſum, omni prorſus vitio & ſuſpicione carens inuenimus, idcirco ad Sereniſsimi Principis Domini Maximiliani Comitis Pala-

Palatini Rheni, vtriuſq; Bauariæ Ducis &c. inſtantiam atque requiſitionem illud in Cancellaria noſtra, per ſcribam noſtrum iuratum tranſſumi & exemplari, ac in publicā hanc formam redigi fecimus, ac per diſcretos noſtros fideles nobíſque à Conſilijs & Secretis Othonem Gaſſnerum, & Erneſtum Braun, diligenter auſcultari & collationari mandauimus, Decernentes & volentes, vt huic præſenti Tranſſumpto ſiue Exemplo plena ac tanta fides detur, atq; adhibeatur, qualis & quanta dicto originali Documento inferius inſerto, & cū præſenti tranſſumpto auſcultato & collationato, ſi in medio exhibitum fuiſſet, daretur, atq; adhiberetur: Huiuſ-

modi verò Documenti tenor ſequitur ſub his omnino nihil immutatis verbis.

In nomine Domini Amen.

5. *SAnctiſsimo in Chriſto Patri ac Domino ſuo, Domino Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici futuro, Petrus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Sanctæ Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus, ſacri Imperij per Germaniam Archicancellarius, Joannes Dei gratia Bohemiæ & Poloniæ Rex, Waldemarus Marchio Brandeburgenſis; ac Joannes Dux Saxoniæ ſenior humiles & deuoti cum omni reuerentia deuotiſsima pedum oſcula beatorum.*

6. *Vacante nuper per obitum felicis recordationis Sereniſsimi Domini Henrici, quondam Romanorum Imperatoris ipſo Romanorum regno ſeu Romanorum Imperio, & nobis vna cum Reuerendo Domino Balduino ſanctæ Treuirenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo; nec non Reuerendi Domini Henrici Archiepiſcopi Colonienſis; & Illuſtrium Principum Joannis Bohemiæ & Poloniæ regis; Rudolphi Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ; Waldemari Marchionis Brandenburgenſis ac Ducis Saxoniæ honorabilibus procuratoribus, ad quos tam de iure quàm de conſuetudine*

tudine antiqua & approbata ius eligendi Romanorum Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum noſcitur pertinere, ſolemniter concordantibus in diem Electionis huiuſmodi, videlicet craſtinum Beati Lucæ Euangeliſtæ, quæ eſt decima nona menſis Octobris. Et ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinenſis prædictus ex officij mei debito, ipſam diem ad Electionem huiuſmodi celebrandam præfixi, literis meis vocationis ipſis Conprincipibus & Coelectoribus meis deſtinando.

7. *Qua die veniente ſuburbio oppidi Regalis Frankenuordenſium, loco ſiquidem ad hoc ſolito & conſueto, Nobis Petro Moguntinenſi, Balduino Treuirenſi Archiepiſcopis, Ioanne Bohemiæ & Poloniæ Rege, Waldemaro Marchione Brandenburgenſi, ac Ioanne Duce Saxoniæ ſupradictis ibidem conuenientibus, celebrata Miſſa S. Spiritus, deliberatione prouida præhabita, ad procedendum in Electionis negotio prælibato, & in quantum debuimus expectantibus, quod Reuerendus Dominus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis & Rudolphus Comes Palatinus, Dux Bauariæ nondum venerant, nec per ſe, nec per ſuos procuratores in dicto loco conuenerant. Nos pro bono pacis volentes in hoc eis deferre ac facere gratiam ſpecialem, terminum prædictum, videlicet craſtinum Beati Lucæ Euangeliſtæ, vnanimi conſenſu cum Reuerendo Domino Balduino Treuirenſi*

Digitized by Google

Archiepiſcopo, vſque in diem ſequentem duximus cõtinuandum, quam continuationem dictis, Archiepiſcopo Colonienſi & Rudolpho Comiti Palatino ac alijs, quorum intereſſe poterat, Nos Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus per noſtros Nuncios ſpeciales ad id deputatos inſinuauimus, notificauimus, & ad eorũ notitiam deduximus, ipſos citando vice & nomine omnium noſtrorum præſentium, vt præfata die continuata in dicto loco ad eligendum conuenirent.

Erant tum Colonienſis & Palatinus iuxta Francfurt, vt indicat Albertus Argentinenſis pag. 119. §. 2.

8. Qua die continuatâ, ipſis Archiepiſcopo Colonienſi, & Comite Palatino, & alijs quorum intereſſe poterat, ſic vocatis & ſufficienter expectatis, quod non venerunt, nec pro ſe miſerunt, nec vices ſuas alicui ſeu aliquibus commiſerunt, in electionis negotio memorato auditâ Miſſâ ſancti Spiritûs, Nos Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus, ipſa die continuationis, quæ fuit viceſima menſis prædicti, hora debita & conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus & proteſtationem quandam vice noſtra ac omnium ibidem præſentium, ius in ipſa electione Regis Romanorum habentium illa vice, monendo omnes infames, excommunicatos, ſuſpenſos, ac etiam interdictos, nec non quoſcunque alios, ſi qui forent forſitan inter eos, qui de iure vel conſuetudine intereſſe in ipſius electionis negotio non deberent, quod à tractatibus electionis celebrandæ futuri Regis

gis Romanorum, & ab eadem electione recederent, ipſos Coëlectores noſtros, Nos & alios quorum intereſſet, eligere permittentes, proteſtando, quod nõ eſſet noſtra vel Coëlectorum noſtrorum intentio tales admittere, tanquam ius in illa electione habentes, aut procedere vel eligere cum eiſdem. Imò voluimus & intentionis noſtræ fuit, quod voces talium, ſi qui reperirentur poſtmodum interfuiſſe, nulli præſtarent ſuffragium, nec afferrent alicui nocumentum, & prorſus pro non receptis ſiue pro non habitis haberentur.

9. *Quam proteſtationem nos omnes ſupradicti, vna cũ* Reuerendo *Patre Domino Balduino Archiepiſcopo Treuerenſi Coelectores tunc præſentes ratam & gratam habentes, conſenſimus in eandem, & demum poſt tractatus præhabitos, conſideratis ſollicitè & diligenter circumſtantijs pluribus, & ſtatu perſonarum diuerſarum, per quas, ſeu per quam* Regno *vacanti & Imperio poſſet vtilius prouideri, in Illuſtrem virum Ludouicum Comitem Palatinum* Rheni, *Ducem Bauariæ, virum vtique Catholicum, orthodoxæ fidei feruidum Zelatorem, Eccleſiæ Sanctæ Dei & Miniſtrorum eiuſdem ac pacis ſanctæ ab ineunte ætate ſua, experientiâ, quæ eſt rerum magiſtra efficax, atteſtante, deuotum & humilem amatorem; ſtrenuum in armis, in iudicio iuſtum, in conſilijs prouidum, in vniuerſa morum honeſtate præclarum, benignum, affabilem, & man-*

ſuetum, de alto & generoſo ſanguine Diuorum Regum & Principum procreatum, ac in cunctis agibilibus pro regimine reipublicæ quamplurimum circumſpectum, noſtrum intuitum diuina diſponente clementia conuertentes. Nos Petrus Moguntinenſis Archiepiſcopus, pro nobis & nomine noſtro; præfatus verò Dominus Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopus pro ſe & nomine ſuo; Nos verò Ioannes Bohemiæ & Poloniæ Rex; *Waldemarus Marchio Brandenburgenſis; & Ioannes Dux Saxoniæ prædicti, quilibet noſtrum pro ſe & nomine ſuo votis noſtris per D. Moguntinum Archiepiſcopum antedictum vice ſua & noſtra, & ex ſpeciali mandato ſuo & noſtro diligenter inquiſitis, nos electores prædicti in loco prædicto præſentes, ius totale ea vice in electione dicti regis habentes, conſenſimus concorditer in eundem Ludouicum, & ipſum nominauimu, quilibet noſtrum pro ſe nullo penitus diſcrepante in* Ro*manorum* Regem *eligendum, in Imperatorem poſtmodum promouendum & in aduocatum Sacroſanctæ* Romanæ *ac vniuerſalis Eccleſiæ, viduarúmque & orphanorum defenſorem. Quibus ſic peractis ego Petrus Moguntinenſis Archiepiſcopus de mandato ſpeciali & voluntate mea & meorum electorum prædictorum eundem Ludouicum Com. Pal.* Rheni, *Ducem Bauariæ elegi ſolemniter in hunc modum.*

Inno-

In nomine Domini Amen.

10. *Cùm vacante* Romano *regno, ſeu* Romano *Imperio per mortem felicis recordationis Sereniſsimi Domini Henrici quondam* Romanorum *Imperatoris, vocatis qui fuerunt euocandi, & qui in Electione* Regis Romanorum *ius habere dinoſcuntur, ac præſentibus dicta die continuata ad eligendum omnibus qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt commodè intereſſe, placuerat omnibus & ſingulis præſentibus ad electionem procedere futuri* Regis, *inquiſitis votis omnium & ſingulorum ius in electione ipſius Regis habentium & præſentium, omnes & ſingulos electores prædictos appareat ex præmiſsis direxiſſe concorditer vota ſua in Illuſtrem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, in eum conſentiendo, & ipſum nominando in Romanorum Regem eligendum, per cuius quidem Ludouici prædicti experta ſtrenuitatis merita, fidei puritatem & conſtantiam ſperatur Sacroſancta Romana ac vniuerſalis Eccleſia potenter & vtiliter defenſari ac in ſpiritualibus & temporalibus votiua ſuſcipere incrementa, & etiam Reſpublica prouidè dirigi, & pariter ſuperno ſuffragante auxilio gubernari. Ego Petrus Archiepiſcopus Moguntinenſis antedictus vice mea ac Coëlectorum meorum prædictorum ius in ipſa electione habentium, ex poteſtate mihi per vos tradita ſpecialiter*

&

& conceſſa, eundem Ludouicum inuocata ſancti Spiritus gratia in Romanorum Regem eligo, in Imperatorem futurum promouendum.

11. Electione autē huiuſmodi celebrata, eam nos omnes & ſinguli electores prædicti præſentes approbauimus & Te Deum Laudamus *alta voce fecimus decantari, & dictum noſtrum electum, qui præſens extitit, & electioni de ſe factæ, diuinæ nolens reſiſtere voluntati, interpellatus cum inſtantiâ à nobis, reuerenter conſenſit. Et deinde electionem ipſam clero & populo ſolemniter fecimus publicari. Poſtmodum vero ipſum electum in ciuitatem Frankenfordenſium introducentes in Eccleſiam S. Bartholomæi deduximus, & ipſum ſuper altare maius, prout moris & conſuetudinis eſt, adhibitis ſolemnitatibus in talibus debitis & conſuetis poſuimus,* Te Deum Laudamus *denuo decantantes, deinde in cœmiterio Eccleſiæ antedictæ clero & populo ipſum electum præſentauimus, & eius electionem fecimus ſolemniter publicari.*

12. Eapropter Sanctitati Veſtræ tā humiliter quàm deuotè voto vnanimi ſupplicamus, vt ipſum electum noſtrum in Regem Romanorum paternis vlnis amplectentes, munus inunctionis & conſecrationis eidem conferendo, de ſacroſanctis manibus veſtris ſacri Imperij diadema dignemini loco & tempore fauorabiliter impertiri, vt ſciant & intelligant vniuerſi, quod poſuerit in lucem gentium vos dominus, & per ſan-

ſanctitatis veſtræ arbitrium orbi terræ poſt nubilum exoptata ſerenitas elucescat.

13. Cæterum vt Beatitudo veſtra cognoſcat euidentiùs, vota noſtra omnium præſentium in prædictis omnibus & ſingulis concordaſſe, ac in petitione huiuſmodi exiſtere vnanimes & concordes, præſens electionis noſtræ decretũ Sanctitati veſtræ tranſmittimus, ſigillorum noſtrorum appenſione ex certa noſtra ſcientia roboratum. Datum apud Franckenford. x. Kalend. Nouem. Anno Domini M. CCC. XIV.

14. Quibus omnibus & ſingulis tãquam ritè & legitimè factis Auctoritatem noſtram imploratam interponimus præſentium per tenorẽ, & ad ampliorem euidentiam præmiſſorũ & illorum omnium ac ſingulorũ fidem, pręſens tranſumptum manu noſtra ſubſcripſimus, atque illud ſecreti noſtri appenſione communiri iuſsimus. Datum & actum Dilingæ in arce Reſidentiæ noſtræ, decima

 nona

nona die menſis Iulij, Anno ſalutis noſtræ ortæ Milleſimo Sexcenteſimo Decimo Octauo.

Henricus Epiſcopus Auguſtanus.

Locus Sigilli.

15. Nec aliter rem Notarij reperêre, vti ipſi teſtatum faciunt ſuis verbis.

16. Hoc tranſumptum Ego Matthias Mosmüller, Iurium Doctor, Sereniſſimi Ducis Bauariæ &c. Domini Maximiliani Curiæ Aulicæ Aduocatus, necnon vtrâque auctoritate creatus Notarius publicus, cum vero Originali, quod in pergameno ſcriptum, & quattuor illæſis ſigillis in chordis ſericis rubri flauique coloris dependentibus, vtpote Moguntini, Regis Boëmiæ, Marchionis Brandenburgenſis, Ducis Saxoniæ communitum, collationaui, auſcultaui, & de verbo ad verbum conforme reperi. quod hac meâ manu, ſigneto & ſigillo atteſtor. Actum Monachij die 14. Febr. Anno 1618.

Matthias Mosmüller.

17. Ego Oſvvaldus Stadlerus, artium & Philoſophiæ Magiſter, Laicus, Friſingenſis Diœceſis, Prætorij Monacenſis Procurator, Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus publicus & in Archiuo Romani Collegij immatriculatus Notarius, præſens tranſumptum, cum ſuo vero Originali (quod in pergameno ſcriptum & quattuor illæſis ſigillis in chordis ſericis rubri flauique coloris dependentibus, vtpote Moguntini, Regis Boëmiæ, Marchionis Brandenburgenſis, Ducis Saxoniæ, communitum) ab initio vſque ad finem diligenter perlegi, auſcultaui & de verbo

verbo ad verbum conforme reperi. Quod hac mea manu, ſigneto, & ſigillo atteſtor. Actum Monachij die 14. Febr. Anno 1618.

Oſvvaldus Stadlerus.

18. Ego Iacobus Soyer, Imperiali auctoritate publicus creatus Notarius, præſens tranſumptum cum ſuo vero & illæſo in pergameno ſcripto & quattuor ſupra nominatis in chordis ſericis rubri flauíque coloris dependentibus ſigillis communito Originali, vnà cum ſupra ſcriptis Dominis Notarijs auſcultaui & de verbo ad verbum conforme & conſonum reperi. Hoc teſtor propria ſubſcriptione, ſigillo ſignóque, nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis. Actum Monachij die 14. Febr. Anno Domini 1618.

Iacobus Soyer.

19. Quid animi tibi eſt Bzoui? an non tuum primum fundamentum vacillat? Quinque Electorum Ludouico adfuêre; an non legitimus is numerus, quo minor ſuffeciſſet? Sed pergamus ad Treuirenſis Præſulis decretum, quod ijſdem penè verbis, eâdem omnino ſententiâ conceptum & Illuſtriſſimi Epiſcopi verbis pariter inſertum.

In nomine Domini Amen.

20. Nouerint vniuerſi, & ſinguli hoc præſens publicum Tranſſumptum inſpecturi, lecturi, atque legi

audituri. Quod Nos Henricus Dei ac Apoſtolicę ſedis gratia Epiſcopus Auguſtanus ac Sacri Romani Imperij Princeps &c. vidimus, tenuimus, legimus, nec non diligenter inſpeximus Documentum originale in pergameno ſcriptum, quatuor illæſis ſigillis in chordis ſericis rubri flauíque coloris dependentibus, vtpote Archiepiſcopi atque Principis Electoris Treuiren. Regis Bohemiæ, March. Brandenburgen. Ducíſque Saxoniæ, communitum. Et quia illud ſanum, integrum, illęſum, omni prorſus vitio & ſuſpicione carens inuenimus, idcirco ad Sereniſſimi Principis Domini Maximiliani Comitis Palatini Rheni, atque vtriuſq; Bauariæ

riæ Ducis &c. inſtantiam atque requiſitionem illud in Cancellaria noſtra per ſcribam noſtrum iuratum tranſſumi & exemplari ac in publicā hanc formam redigi fecimus, ac per diſcretos noſtros fideles, nobíſque à Conſilijs & ſecretis Ottonem Gaſsnerum, & Erneſtum Braun diligenter auſcultari & collationari mandauimus, Decernentes & volentes, vt huic præſenti tranſſumpto ſiue exemplo plena ac tanta fides detur atq; adhibeatur, qualis & quanta dicto originali documento inferius inſerto, & cum præſenti tranſſumpto auſcultato & collationato, ſi in medio exhibitum fuiſſet, daretur atque adhiberetur. Huiuſmodi verò Do-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

cumēti tenor ſequitur ſub his omnino nihil immutatis verbis.

In nomine Domini Amen.

21. *SAnctiſsimo ac Beatiſsimo in Chriſto Patri ac Domino Domino Sacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici futuro, Balduinus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Treuerenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ſacri Imperij per Galliam Archicancellarius, Ioannes Dei gratia Bohemiæ & Poloniæ Rex, Waldemarus Marchio Brandenburgenſis ac Ioannes Dux Saxoniæ ſenior, humiles & deuoti, cum omni reuerentia deuotiſsima pedum oſcula beatorum.*

22. *Vacante nuper per felicis recordationis obitum Sereniſsimi Domini Henrici quondam Romanorum Imperatoris, ipſo Romanorum Regno ſeu Romano Imperio, & nobis vnà cum Reuerendo Domino Petro Moguntino Archiepiſcopo; nec non* Reue*rendi Domini Henrici Archiepiſcopi Colonienſis & Illuſtrium Principum Ioannis Boëmiæ & Poloniæ* Re*gis, Rudolphi Ducis Bauariæ, Comitis Palatini Rheni; Waldemari Marchionis Brandenburgenſis, ac Ducis Saxoniæ honorabilibus Procuratoribus, ad quos tam de iure quàm de conſuetudine antiqua*

&

& approbata ius eligendi Romanorum Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum, noſcitur pertinere, ſolemniter concordantibus in diem electionis huiuſmodi, videlicet craſtinum Beati Lucæ Euangeliſtæ, quæ eſt decima nona dies menſis Octobris; ex officij noſtri debito, ipſam diem ad electionem huiuſmodi celebrandam præfiximus.

23. Qua die veniente in ſuburbio oppidi Regalis Frankenuorden. loco ſiquidem ad hoc ſolito & conſueto, Nobis Balduino Treuerenſi, Petro Moguntino Archiepiſcopis: Joanne Boëmiæ & Poloniæ Rege, Waldemaro Marchione Brandenburgenſi, ac Ioanne Duce Saxoniæ ſupradictis ibidem conuenientibus celebrata Miſſâ Sancti ſpiritus, deliberatione prouida præhabita ad procedendum in electionis negotio prælibato, & in quantum debuimus expectantibus, quod Reuerendus Dominus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis, & Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ nondum venerant, nec per ſe, nec per ſuos procuratores in dicto loco conuenerant, nos pro bono pacis volentes in hoc eis deferre ac facere gratiam ſpecialem, dictum terminum, videlicet craſtinum Beati Lucæ, vnanimi conſenſu, cum Reuerendo Domino Petro Moguntino Archiepiſcopo, vſque in diem ſequentem duximus continuandum; quam continuationem dictis Archiepiſcopo Colonienſi & Rudolpho Comiti Palatino, ac alijs quorum

rum intereſſe poterat, Nos Treuirenſis Archiepiſcopus antedictus, per noſtros Nuncios ſpeciales ad id deputatos inſinuauimus, notificauimus & ad eorum notitiam deduximus, ipſos citando, vice & nomine omnium noſtrorum ibidem præſentium, vt præfata die continuata in dicto loco ad eligendum cõuenirent.

24. Qua die continuata ipſis Archiepiſcopo Colonienſi & Comite Palatino ac alijs quorum intereſſe poterat, ſic vocatis & ſufficienter expectatis, quòd non venerunt, nec pro ſe miſerunt, nec vices ſuas alicùi ſeu aliquibus commiſerunt, in electionis negotio memorato, auditâ Miſſâ ſancti Spiritus, Nos Archiepiſcopus Treuirenſis antedictus, ipſa die continuationis, quæ fuit viceſima menſis Octobris prædicta, hora debita & conſueta procedere cupientes, in ſcriptis monitionem legimus & proteſtationẽ quandam vice noſtra ac omnium ibidem præſentium ius in ipſa electione Regis Romanorum illa vice habentium, monendo omnes infames, excommunicatos, ſuſpenſos, ac interdictos nec non quoſcunque alios, ſi qui forent forſitan inter eos, qui de iure vel de conſuetudine intereſſe ipſius electionis negotio non deberent, quòd à tractatibus electionis celebrandæ futuri Regis *Romanorum & ab eadem electione recederent, ipſos Coëlectores noſtros, nos & alios quorum intereſſet, eligere permittentes, proteſtando, quòd non eſſet noſtra & Coëlectorum noſtrorum intentio, tales admit-*

tere

Digitized by Google

tere tanquam ius in ipſa electione habentes, aut procedere vel eligere cum eisdem. Imò voluimus & intentionis noſtræ fuit, quod voces talium, ſiqui reperirentur poſtmodum interfuiſſe, nulli præſtarent ſuffragium, nec afferrent alicui nocumentum & prorſus pro non receptis ſiue pro non habitis haberentur.

25. *Quam proteſtationem nos omnes ſupradicti, vna cum* Reuerendo *Patre Domino Petro Moguntinenſi Archiepiſcopo Coëlectores tunc præſentes ratam & gratam habentes, conſenſimus in eandem, & demum poſt tractatus præhabitos conſideratis ſollicitè & diligenter circumſtantijs pluribus & ſtatu perſonarum diuerſarum, per quas ſeu per quam Regno vacanti & Imperio poſſet vtilius prouideri; in Illuſtrem virum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, virum vtique catholicum, orthodoxæ fidei feruidum Zelatorem, Eccleſiæ ſanctæ Dei & miniſtrorum eiuſdem ac pacis ſanctæ ab ineunte ætate ſua, experientiâ, quæ eſt rerum magiſtra efficax, atteſtante, deuotum & humilem amatorem, ſtrenuum in armis, in judicio iuſtum, in conſilijs prouidum, in vniuerſa morum honeſtate præclarum, benignum, affabilem & manſuetum, de alto & generoſo ſanguine Diuorum* Regum *& Principum procreatum, ac in cunctis agibilibus pro regimine Reipublicæ quamplurimum circumſpectum, noſtrum in-*

tuitum diuina diſponente clementia, conuertentes. Nos Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopus pro nobis & nomine noſtro, præfatus verò Dominus Petrus Archiepiſcopus Moguntinus pro ſe & nomine ſuo; Nos verò Ioannes Boëmiæ & Poloniæ Rex, Waldemarus Marchio Brandenburgenſis, & Ioannes Dux Saxoniæ, prædicti, quilibet noſtrum pro ſe & nomine ſuo votis noſtris per venerabilem Patrem Dominum Moguntinum Archiepiſcopum antedictum vice ſua & noſtra & ſpeciali mandato ſuo & noſtro diligenter inquiſitis, nos electores prædicti in loco prædicto præſentes, ius totale ea vice in electione habentes dicti Regis, conſenſimus concorditer in eundem Dominum Ludouicum, & ipſum nominauimus quilibet noſtrum pro ſe, nullo penitus diſcrepante in Romanorum Regem eligendum, in Imperatorem poſtmodum promouendum, & in aduocatum ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ, viduarúmque & orphanorum defenſorem. Quibus ſic peractis venerabilis Pater, Dominus Moguntinus Archiepiſcopus de mandato ſpeciali & voluntate Coëlectorũ noſtrorum ac ſuo & noſtrorum vice & nomine eundem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, elegit ſolemniter in hunc modum.

In

Digitized by Google

In nomine Domini Amen.

26. *Cùm vacante Romano Regno ſeu Romano Imperio per mortem felicis recordationis Sereniſsimi Domini Henrici quondam* Romanorum *Imperatoris, vocatis, qui fuerant euocandi, & qui in electione Regis* Romanorum *ius habere dinoſcuntur, ac præſentibus dicta die ad eligendum omnibus, qui voluerunt, potuerunt, & debuerunt commodè intereſſe, placuerat omnibus & ſingulis præſentibus ad electionem procedere futuri* Regis, *inquiſitis votis omnium & ſingulorum, ius in electione ipſius Regis habentium & præſentium, omnes & ſingulos electores prædictos appareat ex præmiſsis direxiſſe concorditer vota ſua in Illuſtrem Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, in eum conſentiendo, & ipſum nominando in* Romanorum *Regem eligendum, per cuius quidem Ludouici prædicti expertæ ſtrenuitatis merita, fidei puritatem & conſtantiam ſperatur ſacroſancta* Romana *ac vniuerſalis Eccleſia potenter & vtiliter poſſe defenſari, ac in ſpiritualibus & temporalibus votiua ſuſcipere incrementa, & etiam Reſpublica prouidè dirigi & pariter ſuperno ſibi ſuffragante auxilio gubernari. Ego Petrus Moguntinus Archiepiſcopus antedictus vice mea & Coëlectorum meorum prædictorum ius in ipſa electione habentium, ex poteſtate mihi per eos tradi-*

ta ſpecialiter & conceſſa eundem Ludouicum inuocatâ Spiritus Sancti gratiâ in Romanorum Regem eligo, in Imperatorem futurum promouendum.

27. *Electione autem huiuſmodi celebrata eam nos omnes & ſinguli Electores prædicti præſentes approbauimus, &* Te Deum Laudamus *alta voce fecimus decantari, & dictum noſtrum electum, qui præſens extitit, & electioni de ſe facta, diuinæ nolens reſiſtere voluntati, interpellatus cum inſtantiâ à nobis, reuerenter conſenſit. Et deinde electionem ipſam clero & populo ſolemniter fecimus publicari. Poſtmodum verò ipſum electum in ciuitatem Frankenuordenſium introducentes in Eccleſiam ſancti Bartholomæi deduximus, & ipſum ſuper altare maius, prout moris & conſuetudinis eſt, adhibitis ſolemnitatibus in talibus debitis & conſuetis poſuimus,* Te Deum Laudamus *denuo decantantes, deinde in cœmiterio dictæ Eccleſiæ clero & populo ipſum electum præſentauimus, & eius electionem ſolemniter fecimus publicari.*

28. *Eapropter Sanctitati veſtræ tam humiliter quàm deuotè voto vnanimi ſupplicamus, vt ipſum electum noſtrum in* Regem Romanorum *paternis vlnis amplectentes, munus inunctionis & conſecrationis conferendo, de ſacroſanctis manibus veſtris ſacri Imperij diadema dignemini loco & tempore fauorabiliter impertiri, vt ſciant & intelligant vniuerſi,*

quod

quod poſuerit in lucem gentium vos Dominus,& per veſtræ ſanctitatis arbitrium orbi terræ poſt nubilum exoptata ſerenitas eluceſcat.

29. Cæterùm vt Beatitudo veſtra cognoſcat euidentiùs, vota noſtra omnium præſentium in prædictis omnibus & ſingulis concordaſſe, ac in petitione huiuſmodi exiſtere vnanimes & concordes, præſens electionis noſtræ decretũ Sanctitati veſtræ tranſmittimus, cũ ſigillorum noſtrorũ appenſione ex certa noſtra ſcientia roboratum. Datum apud Franckenford. x. Kalend. Nouem. Anno Domini M.CCC.XIV.

30. Quibus omnibus & ſingulis tãquam ritè & legitimè factis Auctoritatem noſtram imploratam interponimus præſentium per tenorẽ, & ad ampliorem euidentiam præmiſſorũ & illorum omnium ac ſingulorũ fidem, preſens tranſſumptum manu noſtra ſubſcripſimus, atque illud ſecreti noſtri appenſione communiri iuſsimus. Datum & actum Dilingæ

in arce Reſidentiæ noſtræ, decima nona die menſis Iulij, Anno ſalutis noſtræ ortæ Milleſimo Sexcenteſimo Decimo Octauo.

Henricus Epiſcopus Auguſtanus.

Locus Sigilli.

Conſpirant etiam Notarij.

31. Hoc tranſumptum Ego Matthias Mosmüller, Iurium Doctor, Sereniſſimi Ducis Bauariæ &c. Domini Maximiliani Curiæ Aulicæ Aduocatus, necnon vtrâque auctoritate creatus Notarius publicus, cum vero Originali, quod in pergameno ſcriptum, & quattuor illæſis ſigillis in chordis ſericis rubri flauique coloris dependentibus, vtpote Treuirenſis, Regis Boëmiæ, Marchionis Brandenburgenſis, Ducis Saxoniæ communitum, collationaui, auſcultaui, & de verbo ad verbum conforme reperi. quod hac meâ manu, ſigneto & ſigillo atteſtor. Actum Monachij die 14. Febr. Anno 1618.

Matthias Mosmüller.

32. Ego Oſvvaldus Stadlerus, artium & Philoſophiæ Magiſter, Laicus, Friſingenſis Dioeceſis, Prætorij Monacenſis Procurator, Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus publicus & in Archiuo Romani Collegij immatriculatus Notarius, præſens tranſumptum, cum ſuo vero & illæſo Originali, quod in pergameno ſcriptum & quattuor ſigillis in chordis ſericis rubri flauique coloris dependentibus, vtpote Treuirenſis, Regis Boëmiæ, Marchionis Brandenburgenſis, & Ducis Saxoniæ, commu-

munitum, vnà cum ſupra & infra ſcripto Notario collatis vtrinque Exemplaribus ab initio vſque ad finem diligenter perlegi, auſcultaui, & de verbo ad verbum conforme planeq; conſonum Originali à me repertum eſſe, hac manus propriæ ſubſcriptione ſigillo ſignoq; Notariatus, nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis atteſtor. Actum Monachij die 14. Febr. Anno 1618.

Oſvvaldus Stadlerus.

33. Ego Iacobus Soyer, Imperiali auctoritate publicus creatus Notarius, præſens tranſumptum cum ſuo vero & illæſo in pergameno ſcripto & quattuor ſupra nominatis in chordis ſericis rubri flauíque coloris dependentibus ſigillis communito Originali, vnà cum ſupra ſcriptis Dominis Notarijs auſcultaui & de verbo ad verbum conforme reperi. Hoc teſtor propria ſubſcriptione, ſigillo ſignóque, nomine & cognomine meis ſolitis & conſuetis. Actum Monachij die 14. Febr. Anno Domini 1618.

Iacobus Soyer.

34. Non arbitror quenquam fore, qui de legitima Ludouici electione porrò ambigat, nam ij ipſi longè grauiſſimi teſtes ſunt, qui elegêre, & quidem plures numero. Neque vero tantas Bzouio tenebras eſſe credo, vt ad hanc lucem adhuc caliget. Victus & fuſus ac magnis teſtimonijs oppreſſus es Bzoui; alterũ ex his, nempe Treuirenſe ſuggillaſti quidem, ſed abſque vllius rei momento, & tamen potuiſſet fortaſſe religio tibi inijci, quòd ab illo, & nomen & ſignum Moguntini abeſſet. Sed ſcire debes moris fuiſſe antiquitus quemcunque Imperij Cancellarium ſummo Pontifici de electo

electo Imperatore perſcribere, & hunc illúmue Cancellarium alterius nomen in ſuo ſcripto non exprimere, quòd quilibet in ſuo id faceret. Quamquam ſi id maxime neſciremus, ſufficeret nobis illud Iuliani Iuriſconſulti L. 2. ff. de legibus. *Non omnium quæ à maioribus noſtris conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt.* Libet nihilominus etiam tanto Soli ſocium lumen addere, aliáque tam principum, quàm aliorum ſcripta proferre.

Ex epiſtola ſex Electorum.

35. Habeat igitur tertium locum Epiſtola ſex Electorum, quam anno 1338. recitabimus, in qua Henricus Archiepiſcopus Moguntinus, Balduinus Archiepiſcopus Treuirenſis, Walramus Archiepiſcopus Colonienſis, Ludouicus Marchio Brandeburgenſis, Rudolphus Palatinus & Rudolphus Dux Saxoniæ Benedicto XII. in hunc modum de

§.3.ſ. Ludouico ſcribunt, *A maiore parte Principum Electorum fuit ritè & rationabiliter in Regem Romanorum electus, in Imperatorem poſtea conſecrandus.* An non tibi cantat auris ſiniſtra Bzoui, & animus trepidat ad hæc Principum verba? tu à minori parte delectum temerè paſſim pronuncias, & tamen imprudens poſtmodum hoc ipſum Principum teſtimonium typo diuulgas.

Ex epiſtola Francofurtenſium.

36. Extat quarto loco inſigne teſtimonium inclitæ Reipublicæ Francofurtenſis, ad cuius mœnia res geſta, ad Aquisgranenſes perſcriptũ: litteræ eiuſcemodi ſermonis ſunt,

37.

37. Prudentibus & multæ honeſtatis viris, Sculteto, Scabinis, Conſulibus, totique vniuerſitati ciuium Aquisgranenſium; nec non vniuerſis terrarum nobilibus, ac alijs quacunque dignitate præditis, Scultetus, Scabini, Conſules totáque vniuerſitas ciuitatis Wetflariæ cum deſiderioſo animo ad ipſorum quæuis beneplacita ſemper beneuolos & paratos. Prudentiam ac honeſtatem veſtram tenore præſentium volumus non latere, quòd cùm dies præciſè & peremptoriè in campis Frankenfúrd, videlicet craſtinum Beati Lucæ Euangeliſtæ proximè tranſactum, fuiſſet ad eligendum Romanorum Regem, *Principibus Electoribus aſsignata, conuenientibus & ibidem comparentibus* Reuerendis *in Chriſto Patribus ac Dominis, Dominis Petro ſanctæ Moguntinæ ſedis, & Balduino ſanctæ Treuirenſis ſedis Archiepiſcopis, ſacri Imperij per Germaniam & Galliam Archicancellarijs; Excellentiſsimo domino Johanne Bohëmiæ & Poloniæ Rege, & Comite Lucelburgenſi, Illuſtribus Principibus ac Dominis, Dominis Waldemaro & Henrico Marchionibus Brandenburgenſibus; nec non Johanne Dei gratia Duce Saxoniæ: Reuerendo in Chriſto Patre ac Domino, Domino Colonienſi Archiepiſcopo, nec non Illuſtri Principe Duce Rudolpho Bauariæ, minimè comparentibus & intereſſe recuſantibus, nec aliquos pro ſe mittentibus; ijdem Principes ex ſuprabundanti expectantes duos Principes prædictos vſque in diem dominicum proximè ſubſe-*

Digitized by Google

quentem, tandem ipſis, vt præmittitur, comparere recuſantibus, Illuſtrem Principem Dominum Ludouicum Ducem Bauariæ, & Comitem Palatinum Rheni purè ac concorditer in Romanorum Regem, meritis ipſius ſuffragantibus, elegerunt. Secunda feria proximè ſubſequente, prædicti principes ſex ad nos, in ciuitate Frankenfordenſi exiſtentes, ſuos idoneos & legatos nuncios miſerunt, notificantes nobis per eoſdem, electionem ab ipſis celebratam, & rogantes quàm intimè, vt prædicto Domino ritè electo in Regem Romanorum, ciuitatem Frankenford. reſeraremus, ſibi reuerentiam & obedientiã debitam exhibendo. Nos deliberatione diligenti præhabitâ, ac vſi prudenti dominorum noſtrorum conſilio, qui nos taliter informarunt, feria quarta proxima poſt diem Beati Lucæ Sereniſſimo Domino noſtro Domino Ludouico Romanorum Regi ciuitatem Frankenfordenſem reſerauimus, ſibique, poſtquam ſuper altare ſancti Bartholomæi exaltatus fuerat, quemadmodũ vero domino noſtro, homagium & obedientiam debitam duximus generaliter faciendam. Datum anno Domini M. CCC. XIIII. *Octauo Kal. Nouemb.*

Rubere te, Bzoui, nullus dubito, quia planè cauſam habes, & indagine deprehenſus viam euadendi non vides.

Ex appellatione Ludouici. 38. Quintum locum ſibi vendicat ipſemet Cęſar Ludouicus, qui in appellatione ſua ad Concilium,

lium, nobis anno 1323. recitanda, prope medium diſertè profitetur ſe *à longè*, vt ipſe loquitur, *maiore numero Electorum fuiſſe electum.*

39. Venio ad vltimum ex propoſitis caput, nempe ad Hiſtoricos, quos in duplici ordine loco. Prima acies eorum eſt, qui quinque Principum ſuffragijs Ludouicum Cęſarem deſignatum ſcribunt. Horum anteſignanus eſt Villanus Ludouico ætate æqualis, homo Tuſcus, diligens, diſertúsque ſcriptor; is in hiſtoria ſua, quam vſque ad annum 1348. continuauit lib. 9. cap. 66. in hunc modum ſcribit, *Eodem anno à Principibus Germaniæ facta eſt electio duorum Germaniæ Regum, fratris nimirũ Ducis Bauariæ, Ludouici nomine, viri ſtrenui & egregij. Hic plura habebat vota, videlicet Archiepiſcopi Moguntini, Archiepiſcopi Treuirenſis, Ioannis Regis Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandenburgenſis. Fridericus verò de Auſtria votum habebat Archiepiſcopi Colonienſis, & Ducis Bauariæ, fratris inimici; hæc vota erant certa: habebat quoque votum Ducis Carinthiæ, qui ratione vxoris Wenceſlai Bohemiæ Regis filiæ primogenitæ ſe de jure Regem Bohemiæ prætendebat: votum quoque Marchionis cuiuſdam Brandeburgenſis, qui & ipſe ſe de iure Marchionem eſſe contendebat, licet Marchionatum non poſſideret. Et Ludouicus quidem omnino & potiori iure fuiſſet Imperator (nem-*

Ex hiſtoricis plurimis variarũ nationũ

pe etiam quoad quietam poſſeßionem) niſi eius frater Bauariæ Dux cum alijs ſupradictis Electoribus votum ſuum iuxta promißionem à ſe factam dediſſet Friderico Auſtriæ Duci; ob quam varietatem & electionem magnum inter vtrumque electum ſurrexit ſcandalum in Germania, & inter Ducem Bauariæ, & Ludouicum fratrem electum multa trica belláque fuerunt.

40. Huic Villano ſuccenturiantur poſteriores Itali, Bernardinus Corius hiſt. Mediolan. parte 2. anno 1313. qui quinque Ludouici Electores annumerat; Cpyrianus Manens hiſt. lib. 2. año 1314. eoſdem cum Villano nominat. Nec aliter Auentinus lib. 7. pag. 748. decretorum Principum non ignarus, & Hieronymus Megiſer Archiducis Caroli Auſtriaci hiſtoricus part. 1. Carinth. fol. 936.

41. In ſecunda acie ſunt Itali, Galli, Bohemi, Germani, qui expreſſis verbis quatuor Ludouici ſuffragatores, & inter hos etiam Brandenburgenſem nulla doli fraudíſue querelâ commemorant. In his eſt Ludouicus Cauitellus annal. Cremon. anno 1315. pag. 112. f. Cæſar Campana in arbore familiæ Ducum Bauariæ pag. 43. Onuphr. 3. Rom. Princip. in Ludouico. Nicolaus Serarius 5. Mogunt. pag. 851. m. Marcus Guazzus chron. vir. illuſt. pag. 259. fac. 2. poſt m. Dubrauius 20. hiſt. Boiem. pag. 164. 30. Rebdorfius p. 421. poſt m.

Chro-

Chronicon m ſ. Nürnbergenſe in 4°. n. 472. pag. 170. ſ. & alij m ſſ. bibliothecæ Sereniſſimi Ducis noſtri, ſicut & monaſteriorum Bauariæ. Nec diſſentire videntur continuatores Steronis, qui pag. 409. §. penult. Ludouicum à maiore, Fridericum â minore Electorum parte electũ produnt. Quare non immeritò ſuſpicor priore paginâ apud eoſdem librarij vitio omiſſum Brandenburgici nomen: licet enim ibidem ſcribant, Ludouicũ quoque ab iuniore Saxone electum, ſignificant tamen pariter, eum electorali dignitate non præſtitiſſe. Quòd ſi ita eſt, ac Ludouicus ex mente continuatorum à pluribus Electoribus nominatus eſt, neq; inter hos referri debet iunior Saxo; ſine dubio Marchio Brandenburgenſis omiſſus eſt ab negligente deſcriptoris manu.

Superſunt duo, qui quatuor quidem pro Ludouico Electores deſignant, Brandenburgenſem tamen nomine non compellant. Primus eſt Nicolaus Dolionus compend. hiſt. vniuerſal. añõ 1314. pag. 391. Alter Genebrardus in Chronolog.

42. Ab horum veſtigijs diſceſsêre quidam rerum adhuc minùs periti, qui paribus ſuffragijs Ludouicum & Fridericum electum dixêre, vt Georgius Merula Antiq. Vicecom. lib. 9. pag. 113. fac. 2. m. Æmilius in Philippo Longo pag. 432. ante m.

43. Longiùs autem abijt auctor Magni Chro-

nici Belgici pag. 290. §. vlt. qui Fridericum à maiore, Ludouicum à minore parte Electorum electū ſcripſit, ſed tamen vt caſtigationem ex parte effugiat, ſapienter addit: *Aliqui Ludouicum concorditer electum ab omnibus Electoribus, dempto Archiepiſcopo Colonienſi Henrico, tradunt, qui elegit Ducem Auſtriæ.* Verùm vti hic auctor in primo errat, ita & in altero claudicat.

44. Finio hunc locum, & ſciens certúſque affirmo, pauciores ſcriptores Fridericum, multò verò plures Ludouicum Imperatorem, aut Cæſarem, aut Romanum Regem appellare, vt anno 1347. oſtendemus; Bzouium excludo, quem cum inter hiſtoricos ars non numeret, quid ego reciperem?

CAPVT III.

CVR ANTIQVI GERMANIÆ hiſtorici neque inter ſe, neque cum decretis electionis eiuſdem & Francofurtenſium epiſtola omnino conſentiant.

1. QVam vim aduerſus veritatem fama habeat, Ludouicus & cum eo omnes Chriſtianæ Reipublicæ ciues, boni, mali, non ſine ingenti ac multiplici damno ſunt experti. Nam tametſi is ritè atque ordine pluribus Principum ſuffragantibus Imperator deſtinatus, valuit tamen aduerſantium

tium ſermo tantum;vt incertus,imò falſus rumor etiam ſcribentes adflaret, ſempérque dein per inſequentia bella magis ac magis apud imperitum & ſtudijs diſtractum vulgus confirmaretur. Ex hoc fonte fluxit,vt Hiſtorici, quia varia audierant, etiam varia ſcriberent,vt taceam,quandoque affectum dictaſſe, quod factum voluiſſet ſcriptor. Vnum potiſſimùm à ſcriptoribus Ludouico ſupparibus, aut paulò poſterioribus conſtanter & pari conſenſu traditum reperio; nempe Ludouicum à pluribus Electoribus Cæſarem renunciatum, vti iamiam retulimus. Placet tamen ſpeciatim tres quatuórue in medium adducere, atque etiam illorum dictorum arbitrum agere.

2. Primùm Steronis continuatores omnium antiquiſſimi (vt qui Chronographiam non vltra annũ 1334. produxerint) rem explicatè denarrant: *Eodem*, inquiunt, *anno quo extinctus fuit per venenum felicis recordationis Henricus Imperator* VII. *huius nominis ab Auguſto* XCVIII. *Principes ad præficiendum Monarcham cœlitus conſtituti, tempore autumnali contentiosè eligentes, quidam in Frankenfurd, aliqui per literas, aliqui in locis ſibi competentibus, & ſic diſcordantes in duas partes, vna elegit Fridericum Ducem Auſtriæ, primogenitum filium Alberti quondam Regis Romanorum, videlicet Rudolphus Palatinus Comes, & ſenior Dux ſuperioris*

Continuatores Steronis.

Pag. 408. v. 17.

ris

ris Bauariæ, Colonienſis Archiepiſcopus, & Dux Saxoniæ ſenior, qui in Epiſcopum Pataunienſem à ſede Apoſtolica erat deputatus, nondum tamen eandem ſedem aſcenderat, ſciens ſe fruſtratum in electione & perfectione Monarchæ, iuniorémque Ducem fratrem ſuum timens, eligere volens* Ducem Bauariæ ſuperioris, nomine Ludouicum, occaſione electionis gratiæ Apoſtolicæ renunciauit, & quod ſenior erat, illico habilis fuit eligendo, Ducémque Auſtriæ cum reliquis ſublimauit. Altera verò pars Electorum videlicet Rex Boëmiæ Ioannes (qui filius fuit felicis recordationis Henrici quondam Imperatoris) Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopus (qui frater fuit Imperatoris modò dicti) Petrus ſanctæ ſedis Moguntinenſis Archiepiſcopus, & iunior Dux Saxoniæ, qui ſe dicebat eſſe in electione, & non fratrem ſuum ſeniorem, ob cauſas ſupra memoratas: Iſti prædicti Principes elegerunt in Regem Romanorum Ludouicum Ducem iuniorem ſuperioris Bauariæ, & coronatur Aquiſgrani.*

*Volentē

Pag. 409. §. penult.

3. Ad annum deinde 1317. hæc de electione repetunt, *Diſſidentibus itaque Romani Imperij electoribus, quos nobilis Germania germinauit, vterque electus (vt ſupra memorauimus) videlicet Ludouicus Bauariæ Dux & Fridericus Auſtriæ Dux, licet Ludouico maior pars, & Friderico minor Electorum conſenſerit, iuribus ſibi per electionem contra-*

ctis

ctis * *inhiabant, atque pro viribus inſudabant, cum* *maxima comitiua Procerum & Magnatum Regni vterque ſe ſecundum ſua vota conſociantibus, & ſic eidem duo electi certatim congreßibus bellicis dietim decertarunt.* * f. contradictis.

4. Habes ex his, Bzoui, à maiore parte, nempe à quatuor Principibus Ludouicum electum, Fridericum autem à tribus: vel potius Ludouicũ à quinque, & Fridericum à duobus, cum Brandenburgenſem non ipſi continuatores, ſed librarius omiſiſſe videatur, vt ſupra monitum. Nec falluntur hi ſcriptores cum maiorem partem Electorũ Ludouico contribuunt, ſed fallunt primùm in eo, quod Electorum quoſdam per literas elegiſſe dicũt: fallunt deinde cum ſcribunt, Friderico ſuffragatum Ducẽ Saxoniæ ſeniorem, cum palam ex decreto & Francofurtenſium epiſtola ſit, ſeniorem Saxonem pro Ludouici cauſa ſtetiſſe. atq; hoc videtur aſteriſcus ille poſt continuatorum verba illa *Dux Saxoniæ ſenior* poſitus indicare.

5. Proximus his Hainricus Rebdorfenſis eſt, nequaquam tamen ab erroribus immunis. *Ludouicus*, inquit, IV. *iunior filius Ludouici Ducis ſuperioris Bauariæ ſupra nominati, anno Domini 1314. in die beati Lucæ Euangeliſtæ per maiorem partem Electorum Imperij, videlicet per duos Petrum Archiepiſcopum Moguntinum, Balduinum Archiepiſcopũ* Rebdorfenſis. Pag. 421. §. vlt.

F Tre-

Treuirenſem, Ioannem Regem Boëmiæ, Waldmarum Marchionem Brandenburgenſem in Frankenfurd eſt electus ad Regem cum magna potentia armatorum, quos prædicti Electores illuc adduxerant. Et ex oppoſito & in diſcordia Fridericus filius ſenior Alberti quondam Regis Romanorum *ſupra dicti, Dux Auſtriæ, ſimiliter eſt electus in Regem* Romanorum, *per minorem partem Electorum Imperij; videlicet per Hainricum Archiepiſcopum Colonienſem &* R*udolphum fratrem prædicti Ludouici Comitem Palatinum Rheni, & Ducem ſuperioris Bauariæ, & per Ducem Saxoniæ nomine Rudolphum, in oppido Bunnenſi Colonienſis Diœceſis, & coronatus ibidem: quia tantam potentiam vnitam habere non potuit idē Fridericus, vt in Franckenfurt in termino ad eligendū comparere auderet. Præfatus autē Ludouicus ſtatim poſthæc in die S.Catharinæ Virginis immediatè ſequenti Aquiſgrani per ſuos Electores etiam extitit coronatus. Hic tempore electionis ſuæ ætatis* XXX. *annorum vel circa, elegans perſona, prudens, patiens, quietus, indulgentioſus, fortunatus in bellis, & in alijs factis, ſed remiſſus in executione iuſtitiæ, & tardus ad laborem.* Hæc Rebdorſenſis.

6. Accede ſis, Bzoui, ad librum, & vide primò, Ludouicum à pluribus electum, Fridericum à paucioribus.

7. Vide ſecundò, Rebdorſenſem ab Steronis cō-

tinua-

tinuatorib⁹ diſſentire, quod iſti quarto loco nominent pro Ludouico ſuffragantem Ducē Saxoniæ iuniorem, ille verò Marchionē Brandenburgenſem.

8. Vide tertiò, Rebdorſenſem errare, quòd electionis diem nominet diem Diuo Lucæ ſacrum, cum in poſterū indicta primùm, deinde, in abſentium gratiam, in tertium omnino dilata ſit.

9. Vide quartò, eum inter Electores annumerare Rudolphum Saxoniæ Ducem, cùm decreta eū Iohannem & quidem ſeniorem nominent: neque verò Principes alium Saxonem pro Electore habuêre, aut ad comitia vocauêre.

10. Vide quintò quàm diuerſum iudicium habuerit de Ludouico ſcriptor monachus, qui cœnobij ſui limitibus incluſus, alienis tantùm auribus credidit, ab ijs, qui in ipſa Reipublicæ puppi ad clauum ſedebant, omniáque exploratoribus oculis contuebantur. Rebdorfius Ludouicum remiſſum in executione iuſtitiæ appellat, & tardum ad laborem; eum contrà ipſimet Septemuiri ſtrenuum in armis, in iudicio iuſtum magno encomio condecorant. Et certè refellitur Rebdorfius tantis & tam multis Ludouici expeditionibus, bellorúmque laboribus, quorum omnino patiens eſſe debuit, aut belligerare non potuit.

11. Tertium ex antiquioribus locum iure meretur Albertus Argentinenſis, qui & vera & fal- *Albertus Argentinenſis.*

Pag. 119. §. vlt.

Hũc ſequitur Mutius pag. 221. antem.

ſa,& fabuloſa demum adfert. loquatur ipſe, *Mortuo itaq; Henrico Imperatore, & vocatis Principibus in Franckenſurt, Fridericus Dux Auſtriæ filius Alberti Regis, & nepos Rudolphi pro Regno laborabat. Cui Petrus Moguntinus & olim Epiſcopus Baſilienſis, quem Albertus quondam Rex læſerat, & Balduinus Treuerenſis & Ioannes Bohemus ſe opponunt. Fridericus autem Auſtralis alloquitur Rudolphum & Ludouicum Duces Bauariæ, Palatinos Rheni, exhibens ſe ad aſſiſtendum eis. At illi æſtimantes ſe tanto negotio impotentes, ſe Friderici ſeruitio aſtrinxerunt. Dux quoq; Saxoniæ & Valdemarus Marchio Brandenburgenſis Friderico adhæſerunt. Hi enim Laici omnes & vxor Bohemi fuerunt quondam Regis Rudolphi nepotes. Item Hainricus de Virnenberg Colonienſis, acto inter alios tractatu, fecit quod filia fratris ſui comitis de Virnenberg copulata fuit Hainrico Duci Auſtriæ fratri Friderici; ſimiliter adhæſit eidem. Veniente autem Friderico cum forti exercitu valde, & caſtra metante iuxta Franckenfurt ad Saxenhauſen, Petrus Moguntinus naues afferens, victualia iuxta Moguntiam abſtulit Friderico. Exercitus autem Moguntini, Treuerenſis & Bohemi ſe ex inferiori parte Mogani collocauit. Inductus eſt autem Dux Ludouicus Bauariæ iunior, qui & alias Friderico præualuit in conflictu, quod contra eum eligi ſe permiſit, quia in promiſſione facta*

Fri-

Friderico ipſe Ludouicus intelligebatur exceptus. Inductus eſt etiam N. miles Goldemari Brandenburgenſis, habens ab eo mandatum ſufficiens in genere eligendi, Ludouicum elegit contra domini voluntatem. Electi ſunt igitur in diſcordia in die Beati Lucæ Euangeliſtæ, anno Domini M. CCC. XIV. Fridericus Dux Auſtriæ ab Archiepiſcopo Colonienſi, à Rudulpho Bauaro Palatino Rheni, & à Duce Saxoniæ; Ludouicus verò à Petro Moguntinenſi, Balduino Treuerenſi Archiepiſcopis, Woldemaro Marchione, & Iohanne Rege Bohemiæ: nec ij Principes conuenerant, ſed quiſque in ſuo exercitu per ſe vel per procuratorem elegit, & in ſuis exercitibus publicarunt. Fridericus autem præ fame recedere eſt coactus, multíque dextrarij in aſcenſu manſerunt in via.

12. Ex his Argentinenſis verbis oſtenditur primò, Ludouicum quatuor habuiſſe Principes, in eius electionem ſuffragium ferentes; nam tametſi dicat Marchionem Brandenburgēſem fauiſſe Auſtriaco, eius tamen ſuffragium Ludouico ceſſiſſe, pariter affirmat: quod an dolo, an aliter euenerit, cauſæ Ludouici non obeſt, vt poſtea docebimus; quod enim miles ille fecit, loco domini ſui, qui eū ablegârat, fecit. Secundò, cupio ab Lectore animaduerti, Argentinenſem inter fautores Friderici Ducem Saxoniæ malè ſtatuere; nam is Ludouico adfuit, vt certiſſima à nobis ſupra allata documēta

oſtendunt. Tertiò, malè quoq; diem electionis aſſignat. Quartò, non omnino cum Rebdorfenſi cõuenit, quoad Brandenburgici votum; nam Argentinenſis fabulam hiſtoriæ aſſuit, de milite ſeu legato Marchionis, cuius Rebdorfenſis non meminit, vti nec continuatores Steronis, & tamen Rebdorfius *tunc viuebat & ſcribebat, & multa præſens videbat* (vt Bzouius[a] ait) ſicut & continuatores, qui ſi rem tanti momenti non ſciuêre, pro officio hiſtorici incurij fuêre; ſi cognitam non deſcripsêre, boni hiſtorici partes non impleuêre. Quintò, ſeipſum proprijs verbis capit & caſtigat; quid eſt enim quod dicit, *Miles Brandenburgenſis habens ab eo* (Marchione) *mandatum ſufficiens in genere eligendi, Ludouicum elegit cõtra domini voluntatem?* Quî conuenit mandatum eligendi in genere, & mandatum Ludouicum non eligendi? aut mandatum in ſpecie Fridericum eligendi? Sextò hallucinatur Argentinenſis, cum ait, Principes eos non conueniſſe, ſed in ſuo quemque exercitu per ſe vel procuratorem elegiſſe, & in ſuis exercitibus publicaſſe. Quinque enim Principes Ludouici ſuffragatores per ſe in ſuburbio Frankenfordenſi conueniſſe, ex decretis & epiſtola Francofurtenſium luce palam eſt.

[a] *N. XIV. v. 2. col. 244. poſt m.*

13. Tanta autem auctorum diſcrepantia, incertæ ac dubię narrationis haud dubiè indicio eſt, quo

in

in alio genere etiã Bzouius ſemel, iterum, tertiúmque nititur. Itaq; minimùm ea diſſenſio mouere Bzouium debuiſſet, vt ſaltẽ de legitima Ludouici electione dubitaret; nunc autem ſine omni ambiguitate ſententiam pronunciat pro libitu; & cõtra quinque Electores ipſe ſolus & vnus Imperatorẽ dicit, magnus nimirum Elector, ſicut & ſcriptor.

Anno 1313. X. XVI. v. 2. XVIII. in m. Pag. 211. v. 1. & 213 & 216. ante m.

CAPVT IV.

RELIQVA BZOVIANÆ DE LVDOVICI electione narrationis vanitas.

1. SEcundum Bzouij pronunciatum. *Fridericum à tribus Electoribus Imperatorem nominatum; Colonienſi nimirum, Palatino, & Saxone Rudolpho.* At verò huic Bzouiano pronunciato refragantur primò Principum diplomata, quę Electorẽ Saxoniæ in Ludouici partes ijſſe docent; nõ potuit igitur Fridericus tria Electorum ſuffragia habuiſſe. Sed dicit Bzouius, decreta Principum Saxonem Electorem Iohannẽ appellare; Rebdorſium autem nominare eum Saxonem, qui Friderico candidato adfuit, Rudolphum. Reſpondeo, omnino ita eſſe, ſed neque Rebdorſium, neque alios quicquam afferre, quod perſuadeat: nam quem Electorem Rebdorſius Rudolphum indigetat, hunc Cuſpinianus

N. XII. col. 242. v. 3. De Electorib. Friderici.

Alber-

a Pag. 458. 29. b 9. Saxon. 8. m.

[a] Albertum vocat, Kranzius [b] Ericum, Continuatores Steronis, ſeniorem Saxoniæ Ducem: quæ ipſa nominis variatio oſtendit, quæſitum eſſe nomen, vt Elector aliquis haberetur. Electores ipſi non alium è Saxonia, qui ius ſuffragij habuiſſet, agnouêre, quam Iohannem Saxonem ſeniorem, qui Bauaro fauit. Abſentē Colonienſem Palatinúmque, quorum intererat, Francofortum iteratò nominatim vocauêre expectauerēque, Saxonem Electorē nullum morati.

De die electionis.

2. Tertium pronunciatum. *Diem electionis fuiſſe Diuo Lucæ conſecratum, hoc eſt decimum octauum Octobris.* Et hoc nullum eſt; nam electus eſt Ludouicus, vt in decretis & epiſtola Francofortenſium habetur, vigeſimo Octobris. Fuerant quidem Imperatori creando indicta comitia ad 19. Octobris, ſed quia Colonienſis Palatinúſque non comparuêre, dilata in alterum diem electio eſt.

De Brandenburgēſi.

3. Quartum pronunciatum. *Brandenburgenſem non interfuiſſe electioni, ſed eius Legatum perfidum, contuliſſéque votum in Ludouicum, cum in Fridericum conferre iuſſus eſſet.* Hic nempe ille lapis eſt, ad quem pede offenſo Bzouius ſauciatus rubet; nam falſiſſimum eſt, Woldemarum Marchionem in perſona ſua, vt planè loquar, præſentē non fuiſſe; adfuit, adfuit ipſe, Bzoui, & quidem cum patruo ſuo [c] Henrico. Quare faceſſat procul fabula mi-

c In Genealogia m ſ. ſtemmatis Brandēburgici.

militis de Book, quã Argentinenſis primùm (nam continuatores Steronis vti & Rebdorfius in deſcriptione electionis Bzouio cariſſimus, Argentinenſi antiquiores de hoc figmento nihil literis mandarunt, & tamen ſine flagitio rem tantam, niſi ignotam, omittere non potuiſſent) neſcio vnde hauſit, cauſamque dedit, vti ex inſequentis æui ſcriptoribus pauculi eandem propagarint, atque etiam auxerint (Argentinenſis enim tantùm ait, *contra domini voluntatem*, quod etiam ſine fraude illa fieri potuit) quod vti manifeſtum fiat, velim obſeruare Lectorem, geminum fuiſſe Francofordiæ conuentum; primò enim Principes conuenêre ad deſignandum electionis diem; deinde ipſo electionis tempore: & quidem qui ad prima comitia ſeu per ſe, ſeu per procuratores comparuêre, ab vtroque Electore Eccleſiaſtico, nempe Moguntino & Treuirenſi apertè ſignantur & diſtinguuntur. Ecce de primo conuentu hæc habent,

5. *Nobis*, inquit, *Moguntinus, unà cum Reuerendo domino Balduino Treuerenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, nec non Reuerendi Domini Henrici Archiepiſcopi Colonienſis & Illuſtrium Principum, Iohannis Bohemiæ & Poloniæ* Regis, *Rudolphi Comitis Palatini Reni Ducis Bauariæ*, W*aldemari Marchionis Brandenburgenſis, & Ducis Saxoniæ honorabilibus procuratoribus*. En diſcrimen præ-

 ſen-

ſentium Principum & abſentium. duo ſolùm adfuêre Moguntinus, Treuirenſiſque; reliqui autem per procuratores. Atque hoc idem diſcrimen legis in decreto Treuirenſis, in hunc modum. *Nobis vnà cum Reuerendo domino Petro Moguntino Archiepiſcopo, nec non* Reuerendi *domini Henrici* &c. planè eodem cum Moguntinenſi ſtylo. At verò in alteris comitijs cùm in ſuffragia itū eſt, nihil inter ſe præſentes abſentéſque diſcriminant, ſed clariſſimè oſtendunt omnes Ludouico fauentes per ſe interfuiſſe, reliquos ne per Legatos quidē. Audiamus vtrumque Archicancellarium, prior ſic infit.

6. *Nobis Petro Moguntino, Balduino Treuerenſi Archiepiſcopis, Johanne Bohemiæ & Poloniæ Rege,* W*aldemaro Marchione Brandenburgenſi, ac Iohanne Duce Saxoniæ ſupradictis ibidem conuenientibus, celebratâ Miſſâ ſancti Spiritus, deliberatione prouida præhabita, ad procedendum in electionis negotio prælibato, & in quantum debuimus expectantibus, quòd Reuerendus Dominus Henricus Colonienſis Archiepiſcopus, & Rudolphus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, nondum venerant, nec p ſe nec per ſuos procuratores in dicto loco cōuenerant.* Et Treuirenſis, *Nobis Balduino Treuerenſi, Petro Moguntino Archiepiſcopis, Iohanne Bohemiæ & Poloniæ Rege,* W*aldemaro Brandenburgenſi, ac Iohanne*

ne

ne Duce Saxoniæ ſupradictis ibidẽ conuenientibus,celebratâ Miſſâ ſancti Spiritus &c. vt Moguntinus.

7. *Nobis conuenientibus*, aiunt Electores, non *procuratoribus* aliquibus, quod tamen neceſſe fuiſſet decreto inſerere, ſi Legatorum aliqui ſuorum Principum loco comitijs interfuiſſent; & decuiſſet magis in electione hoc diſcrimen interponere, quàm in cõuentu priore, in quo tantùm electioni dies deſignabatur. Ne verò vlla ex parte Bzouius titubare in caligine cogatur, accendamus illi clariſſimam facem ex literis Frankenfordenſibus ſuprà in medium allatis: in ijs enim diſertè affirmatur, *conueniſſe & ibidem* (in campis Frankenfurd) *comparuiſſe ipſum Waldemarum cum Henrico*, qui patruus eius fuit. Quare miles ille de Book & totũ eius figmentum vaneſcit, quo eodem nuper demum ſeſe inuoluit Theodoricus Pieſpordius in Auſtriacorum Principum ſtemmate, vbi in Friderico cognomento pulchro hæc habet, ***Theodor. Pieſpord.***

8. *Henrico defuncto, ſecundò ad Imperium adſpirat, & cum Ludouico Bauaro à ſua vterque factione (Bauaro vnico Brandenburgici voto ex eiuſdem Legati & Moguntini fraude ſuperiore) Rex Romanorum eius nominis tertius eligitur 1314. ad Nonas Octobres.* Ita ille. Sed omnia ruunt ex aſpectu decretorum, Francofordenſiúmq; literarum, quæ ipſius Marchionis præſentiam aſpectabili digito

commonſtrant. Deinde offendit in eo Pieſpordius, quòd putet vno tantùm voto Ludouicum ſuperiorem fuiſſe; duobus fuit: niſi teſtatiſſimas Principum tabulas literáſque Electoriæ Vrbis negare aut velit, aut audeat. Tertiò labitur, cùm ad Nonas Octobres electionem fuiſſe ſcribit: Nonæ Octobris non ſunt vigeſimus, ſed ſeptimus.

9. Pari vanitate, maiore varietate & inconſtantia Cuſpinianus [a] ſequitur Petrum Meſſiam [b] Hiſpanum Auſtriacę domui nequaquam inimicũ, *Ecce*, inquit, *immenſum militis cuiuſdam alioqui ſtrenui Nicolai cognomine de Book dolum & facinus animaduerſione dignum. Hunc Waldemarus Marchio Brandeburgenſis cum literis diplomate munitis ac corroboratis, Principum congregationi nuncium miſit, cùm ipſe aut venire nollet, aut non poſſet, Fridericum Regem ſuo ſuffragio conſtituens. Miles is, quòd nihil ſe ſperabat à Friderico conſecuturum, ſimul etiam quòd plurium animos in Ludouicum cerneret inclinatos, abraſâ membranâ, expunctóque nomine Friderici Ludouicum ſubſtituit contra domini voluntatem, literis adulteratis. Ob quod etiam ſcelus Waldemarus Marchio poſtquam intellexit electionem in aliam partem inclinatam proditione legati ſui, militem redeuntem, vinculis alligatum cuſtodiæ demandat, inediáque conficit. Alij ſcribunt binas literas militem à Marchione pari ſigillo*

[a] Cuſpin. p. 458. 41.

[b] In vitis Imperatorũ Hiſpanica lingua centum admodum abhinc annis ſcriptis, pa. 625.

Digitized by Google

gillo munitas accepiſſe, quarum vnæ raſæ (vacuæ ſcripturâ, ſolo ſigno appreſſo, charta bianca Italis) *extiterant, quas fidei ſuæ commendauit, vt illis vteretur pro occaſione,* illi videlicet ſuffragaturus, in quē plurium animos cerneret inclinatos, vt paullò antè ex eodem Cuſpiniano relatum eſt. *Qui fracta fide* (de non prodendo domini ſui animo ex occaſione ſuſpenſo) *cum Ludouicum delegiſſet per literas contra domini voluntatem* (imò verò non contra, ſed ſecundùm domini voluntatem, nec dubito quin Cuſpinianus hæc verba, *contra domini voluntatem* ex priore narratione memoriæ occurſantia, contra voluntatem & mentem narrationíſque poſterioris inſtitutum, vel certè contra fidem de induſtria, ne Ludouici, non Friderici, iuſta fuiſſe videretur electio, huic loco attexuerit, cum ſine eis rectè ſibi conſtet poſterior narratio, cum eis minimè) *animúmque domini prodidiſſet, has tandem proditionis pœnas luiſſe. Fit ergo à Principibus electio. Colonienſis Epiſcopus Fridericum elegit Auſtriæ Ducem. Huic accedit Rudolfus Bauariæ Dux & Rheni Palatinus, fidem promiſſam ſeruans, nec fratrem ſuum Ludouicum eligens. Ob cuius dehinc odium etiam exulare coactus. Dux item Saxoniæ ſenior in Fridericum conſentit. Si Marchio iam præſens fuiſſet* (& prior narratio eſſet vera, ad hanc enim fortaſſe Cuſpinianus iam redit & refert ſequentia) *abſque*

hæſitatione Fridericus plura ſuffragia ſortitus, tantũ præualuiſſet. Hæc Cuſpinianus. Concludo igitur Bzouij verbis, quibus Bernardum defendit ſuum, *Ipſa variata narratione, mendacij ac impoſturæ ſeſe ipſos coarguunt* fabulæ iſtius de Brandenburgenſis abſentia & legatione venditores.

Anno 1313. XIIX. pag. 216. prope f.

10. Quintum Bzouij pronunciatum. *Legatũ Brandenburgicũ cæteris Principibus animos feciſſe, vt Ludouicum, non expectato Romanæ Eccleſiæ conſenſu, pro legitimè electo habuerint, & vt is pro* Rege *Romanorum ilico ſeſe geſſerit, multáque diſpoſuerit conceſſerítque, quæ etiam coronatum Romani Pontificis conſilio & iudicio ſubijcere decuiſſet.*

11. Ipſe Marchio præſens, ipſa legitima electio Principibus animos fecit; ſicut etiam eadem cauſa fuit, cur Ludouicus ſine mora Imperium adierit, Cæſaríſque partes egerit. Sed tu ſodes, edicito quęnam illa ſint, quæ perperam ab Ludouico geſta declamas in exordio Imperij? An deſidem decuiſſet in Bauaria reſidere & plus quàm per annum expectare finem tragœdiæ, quam dabant Cardinales in Gallia? Sed & quæ illa ſunt (ad Religionem attinentia ſcimus Apoſtolicæ curæ & curiæ eſſe) quæ confirmatus & coronatus Imperator nõ audet attingere, niſi prius ab Roma conſilium iudiciúmque acceptet? Haud leui opera, credo, te hinc expedies, quippe qui in ciuilibus Imperatorē

Pon-

Pontificis præfectum conſtituas; quod nec Pontifex ipſe vnquam voluit.

12. Deinde quid falſum imponis Kranzio, quando ex eo refers, Ludouicum ilico poſt electionem multa diſpoſuiſſe atque conceſſiſſe, quæ confirmatum coronatúmq; decuit Romani Pontificis conſilio iudicióque ſubijcere. Nam hîc gemina fraus latet. Kranzius enim ea poſt 8. vel 9. demum annos & Fridericum carceri mancipatum, acta refert. *Comperta*, inquit, *Henrici Imperatoris in Jtalia morte Germaniæ Principes Electores in duos æquè imperio regnóque dignos Principes* (quam laudem Bzouius honoris cauſa omiſit) *vota contulerunt, Ludouicum Bauariæ ac Fridericum Auſtriæ Duces. Qui copijs de repente contractis prælio concurrerunt: in quo cædes vtrinque ſed in Auſtralibus maior fuit, Fridericúſque ſuperatus & captus in carcerem ibat victoris. Ludouicus verò ea elatus victoria, pro rege ilico ſe geſſit: multa diſponens concedénſque, quæ confirmatum coronatúmque decuit Romani Pontificis conſilio iudicióque ſubijcere.* Quanquam ne tum quidem Ludouicus ea, vt ſuo videbimus loco, fecit. Deinde hæc ipſa, excepta tantùm laude illa, Kranzius ex Blondo Italo hauſerat; ac proinde Bzouius id non minùs memorare debebat, quàm de Nauclero ex Iacobo Moguntino, de quo poſtea.

Kranzius à Bzouio deprauatus.

9. Saxō. 8.

Decad. 2. l. 9. poſt m. p. 348. E.

Sed

Sed videbat Bzouius ſi Blondi inijceret mentionem, facilè dici poſſe, id eum odio nationis Germanicæ ſcripſiſſe, aut ab alio ſcriptum, credidiſſe: quemadmodum alibi Bzouius contendit, *Ephemeridarum* (ſic enim per epentheſin pro *Ephemeridum* loquitur) *Henrici* VII. *ſcriptores vel odio gentis Italæ* finxiſſe necem Henrico à Bernardo Dominicano per venenum ſacrę illitum hoſtiæ allatam; aut confictam, ex ſuſpicione aſſeruiſſe.

Anno 1313. XVI. Pag. 211. ante m.

13. Sextum pronunciatum. *Marchionem Brandenburgenſem facinore exaſperatum, carcere & inedia legatum ſuum peremiſſe.* Vaniſſima vanitas; ſi enim nullum procuratorem Marchio ad comitia miſit, nullus contra eius voluntatem ſuffragiū tulit, nullus ob id plecti potuit.

14. Septimum Bzouij pronunciatum. *Marchionem exaſperatum in legatum, quòd perplexam reddidiſſet electionem.* Sed & hoc pronunciatum in fumum abit. Cui enim perplexam reddidit electionē legatus? Brandenburgico an Bzouio? Brandenburgico non potuit, quia nullum miſit: ſi Bzouio; mirum non eſt, quia perplexus hiſtoricus eſt.

CAPVT V.

BZOVIVS LVDOVICVM AMbitus reum facit.

I. O-

Digitized by Google

1. OCtauum pronunciatum. *Ludouicum infauſto omine imperium ambiuiſſe.* Vide audacem calamum tuum, Bzoui; contra tuos ipſos auctores Ludouicum criminis ambitus accuſas, cùm ab eo cupidum pectus multò remotius abfuerit, quàm à te ſuſpirium Purpuræ. Vis te magnis teſtibus opprimam, & digito importunum criminatorem demonſtrem? Certè aduerſum te ſtant Electores in decretis & ſcriptores alij, quos etiam tu, ſed non ſine dolo, laudaſti. *Dictum electum noſtrum*, inquiunt Electores, *qui præſens extitit & electioni de ſe factæ, diuinæ nolens reſiſtere voluntati, interpellatus cum inſtantia à nobis, reuerenter cõſenſit,*

2. Quid videtur tibi, Bzoui, reus is ambitus, qui cum inſtantia, vt verba decreti habent, interpellatur? Lubet & ſcriptores audire, qui Ludouicum de ambitu penitiſſimè excuſant. Sic enim *Argent. p. 118. §. vlt.* Albertus Argentinenſis, *Mortuo itaque Hainrico Imperatore & vocatis Principibus in Frankfurt Fridericus Dux Auſtriæ, filius Alberti Regis & nepos Rudolfi regis pro regno laborabat. Cui Petrus Moguntinus & olim Epiſcopus Baſilien. quem Albertus quondam* Rex *læſerat, & Balduinus Treuerenſis & Iohannes Bohemus ſe opponunt. Fridericus autem Auſtralis alloquitur Rudolphum & Ludouicũ Duces Bauariæ, Palatinos* Reni, *exhibens ſe ad aſſiſtendum eis. At illi æſtimantes ſe tanto negotio impoten-*

H *tes,*

tes, ſe Friderici ſeruitio aſtrinxerunt. Veniente autem Friderico cum forti exercitu valde, & caſtra metante iuxta Franckfurt apud Saxenhauſen, Petrus Moguntinus victualia iuxta Moguntiam abſtulit Friderico. Inductus eſt autem Dux Ludouicus Bauariæ iunior, qui & aliàs Friderico præualuit in conflictu, quòd contra eum eligi ſe permiſit, quia in promiſſione facta Friderico ipſe Ludouicus intelligebatur exceptus.

3. Capíſne, Bzoui, verba iſthæc, *Ludouicus inductus eſt? eligi ſe permiſit?* an aliqua hîc culpanda cupido? an Ludouicus ambitioſus candidatus?

[a] *Naucler. an. 1314.* [b] *Claruit an 1310. vt Geſner in Biblioth. ex Nauclero ſcribit.*

4. Sed magis augebit ruborem tuũ [a] Nauclerus tuus ex Iacobo Moguntino (qui cùm hæc gererentur, vir [b] erat maturus, Alberto Argentinenſi fortaſſe etiam tum adoleſcente) *Conuenientes autem* Electores *in Frankfurt pro electione futuri regis celebranda, venêre quoq; Principes Fridericus Dux Auſtriæ & fratres ſui Lupoldus ac Albertus pro imperio laborantes. Contrarij autem illis erant Archiepiſcopus Moguntinus, Treuirenſis & Bohemiæ Rex. Quod Fridericus intelligens conuênit Rudolphum & Ludouicũ Duces Bauariæ fratres, vt ſibi aſſiſterent* (idque longè credibilius eſt, quàm quod Albertus ſcribit, *Fridericum ſe eis exhibuiſſe ad aſſiſtendum eis,* hoc enim minùs conſentit cum eo, quod idẽ Albertus dixerat de Friderico pro imperio laborante) *qui ſe*

Fri-

Friderici ſeruitio adſtrinxerunt, vt ſcribit Iacobus Moguntinus (Vides, Bzoui, te hunc Iacobum teſtē, quaſi pro te teſtimoniū dicentem produxiſſe, cùm tibi maximè aduerſetur?) *Videntes autem Moguntinus, Treuer. & Bohemiæ Rex, quòd Fridericus eligi vellet, induxerunt Ludouicum Ducem Bauariæ, vt ſe contra Fridericum eligi permitteret* (quàm autem ambitioſus fuit, qui induci debuit, vt eligi ſe permitteret!) *quòd in promiſſione per eum factâ Friderico, perſona loquens intelligeretur excepta.* Hæc Albertus & Nauclerus à Bzouio per ſummam fraudem diſſimulata.

5. En rurſus crimen, Bzoui, en vterum Ludouici imperium & ſceptrum parturientis: imò religione Ludouicus tenebatur, ne oblatum acceptaret, memor promiſſi, quod Friderico dederat; & niſi ſcrupulus ei de pollicitationis illius obligatione exemptus fuiſſet, non admiſiſſet.

6. Vnde falſum eſt, *Ludouicum infauſto omine imperium ambijſſe*, nam ſi non ambiuit, nec infauſto omine ambiuit; nō ambijſſe autem, & principes Electores & hiſtorici teſtantur. Quis Bzouius inter iſtos? Sed velim doceri infauſtum hoc omen, quo Ludouicus imperium capeſſiuit. Si inſidiæ non detectæ fuiſſent, ſi ſicarij manu cecidiſſet Ludouicus; vtique infauſto omine regnum adijſſet. Sed cùm infortunium in caput auctoris reciderit,

Fauſtū omen Bzouius infauſtum vocat.

H 2 cùm

cùm deprehenſus latro iuſtas pœnas dederit, iniuſtas ſumpturus; cùm terra cælóque fauente Ludouicus illæſus euaſerit, mali ominis res eſt Bzouio; fortaſſe mactatum voluiſſet, vt fauſti ominis res eſſet.

Nauclerus. 7. Nauclerus, à quo tua te ſumpſiſſe prædicas, non malum, ſed bonum omen putat, *Ludouico rege,* inquit, *per aliquot dies in Oppenheim pauſante, aduerſarij ſui in oppido Haidelberg, quod fuerat Rudolphi fratris Ludouici, ſubornârunt militem dictum Truchſes de Alzeia, vt parua baliſta ſub chlamyde prouiſus & ſagitta venenata iret in Oppenheim, ſéque aſſimularet eſſe de parte Ludouici, donec opportunitate data eum ſagitta occideret. Sed, Deo prouidente, ab Haidelberga Ludouicus monetur, & formâ ſubornationis detegitur. Altera die venit miles iſte, intendens promiſſa facere, captus eſt, & ad Ludouicum ductus, leuatóque pallio baliſta inuenta eſt, & totum machinationis factum detectum. Hunc Ludouicus longo tempore bigâ ligatum pro ſpectaculo ſecum duxit, tandem ad caudam equi ligatus, & per ciuitatem tractus, primò rotatus, deinde in quatuor partes fuerat partitus.*

8. Ecce Bzoui, Nauclerus ait, *prouidente Deo Ludouicus monetur;* an tibi malum omē eſt, quando quis per prouidentiā Dei admonetur periculi? nemo ergo te moneat, ſi coniuratos in tuum caput

Digitized by Google

nôrit; bonum omen erit. Quid de Chriſto puerulo dices? an etiam ille infauſto omine quondam in Iudæa natus? Certè quamprimum nunciatum eſt eum hanc lucem aſpexiſſe, inſidiantem expertus eſt regem Herodem, qui percuſſores ſubmiſit: fortaſſe malo omine monitus per ſomnium Ioſephus eſt, vt fugâ ſalutem puerulo quæreret. Sed placet fortaſſe exemplum Pontificis,qui per omnẽ vitam Ludouicum exercuit, & ab eo exercitus eſt. Eſt is Iohannes XXII. cui vel primo, vel certè altero pontificatus anno poculum paratum, vt biberet, ne viueret.

9. *Hugo* inquit Bzouius, *Caturcenſis Epiſcopus omnibus pontificalibus inſignibus, annulo, mitra, pileo, cappa, & reliquis exutus, & in carcerem coniectus, vitam cum morte commutauit, maximè quòd diceretur in mortem Ioannis Pontificis & Cardinalium conſpiraſſe, quin & venenum miſcere voluiſſe, ſiue adeo miſcuiſſe. Namque in Ioannis huius anni regeſtro extat 209. epiſtola damnatoria eorum, qui Pontifici & Cardinalibus potionem venenatam obtulerant, vel offerre cogitârant.* An. 1317. XVI. XVII. Col. 298. & 299.

10. Quid cenſes Bzoui? potuit fauſto omine Iohanni parari lethiferum poculum, & non niſi infauſto in Ludouicum telum? Feliciſſimo ſidere occultas in ſeſe machinationes Ludouicus deprehendit, & planum orbi factum eſt, non mala via

Digitized by Google

cum ad imperium perueniſſe, quem in ipſo ſtatim exordio tam mirabiliter Deus defendit.

CAPVT VI.

DE ELECTIONE ET CORONATIONE FRIDERICI.

1. NOnum Bzouij pronunciatum. *Fridericum ſine fraude electum.* Iſtud, mi Bzoui, ſi conſiſtere æſtimas, neceſſe eſt fatearis, Friderico minimùm quatuor vota obtigiſſe; ſed Fridericus duo habuit; quomodo ergo Fridericus ſine fraude electus eſt, ſi electus omnino non eſt?

2. Sed contra fidem mandatúmque egit Brandenburgici legatus? Nihil egit legatus, qui nullus fuit. Sed demus reuera contigiſſe, procuratorem Brandenburgicum eo in genere præuaricatum, an propterea votum, quod Ludouico attribuit, votum non erit? tute tamen ipſe ſcribis; *Ex vſu priſco à Carolo* IV. *in aurea bulla præſcriptum, & vſu perpetuo approbatum, vt Francofurti præſto eſſent Electores ipſi vel eorum legati cum plenis mandatis, noui Cæſaris aut Romanorum Regis eligendi cauſâ.*

An. 1328. IX. p. 520. §. 3.

3. Quæ verò ſint plena illa mandata, ego ex eodem auctore te docebo.

Apud Goldaſt. in collect. cōſtit. Imper. aurea bulla c. 19. p. 363.

FOR-

FORMA PROCVRATORII MITTENdi per eum principem Electorem, qui nuncios ſuos ad electionem faciendam duxerit deſtinandos.

NOs talis, Dei gratia &c. ſacri Imperij &c. Notum facimus tenore præſentium vniuerſis: quòd cùm electio R*omanorum* R*egis ex rationabilibus cauſis imminet facienda, nos de honore & ſtatu ſacri Imperij ſollicitudine debitâ intendere cupientes, ne tam grauibus diſpendijs periculosè ſubjaceat, de fide & circumſpectionis induſtria dilectorum nobis &c. fidelium noſtrorum obtinentes vtique præſumptionis indubiæ fiduciam ſingularem, ipſos & quemlibet eorum in ſolidum, ita quòd non ſit melior conditio occupantis, ſed quòd per vnum inceptum fuerit, per alium finiri valeat, & licitè terminari; omni iure, modo & formâ, quibus meliùs & efficaciùs poßumus ſeu valemus, noſtros veros & legitimos procuratores & nuncios ſpeciales facimus, conſtituimus & ordinamus, ad tractandum vbilibet vnà cum alijs Conprincipibus & Coëlectoribus noſtris, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus, & cum ipſis concordandum, conueniendũ & concludendum de perſona quacunque habili & idonea, in Regem* R*omanorum eligenda, ac ipſis tractatibus ſuper electione talis perſonæ habendis, pro nobis loco & nomine noſtris intereſſendum, tractandũ*

&

& deliberandum, nec non vice & nomine noſtris eandem perſonam nominandum, & in ipſam conſentiendum, ac etiam in Regem Romanorum promouendum, ad ſacrum Imperium eligendum, ac in animam noſtram præſtandum quodcunque iuramentum, quod neceſſarium, debitum ſeu conſuetum fuerit; circa præmiſſa & quodlibet præmiſſorum, alium vel alios procuratores in ſolidum ſubſtituendum & reuocandum, omnia & ſingula faciendum, quæ in præmiſsis & circa præmiſſa etiam vſque ad conſummationem tractatuum, nominationis, deliberationis & electionis huiusmodi, de præſenti facienda neceſſaria, aut vtilia fuerint, ſeu etiam quomodolibet opportuna, etiamſi præmiſſa, vel eorum quodlibet, mandatum exigant ſpeciale, etiamſi maiora vel magis ſingularia fuerint ſupradictis, & quæ noſmetipſi facere poſſemus, ſi huiusmodi tractatuum, deliberationis, nominationis & electionis futuræ negotijs, præſentes & perſonaliter adeſſemus; gratum & ratum habentes, & habere volentes, & nos perpetuo habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos Procuratores ſeu nuncios noſtros, nec non ſubſtitutos aut ſubſtituendos ab ipſis ſeu eorum altero in præmiſsis ſeu præmiſſorum quolibet actum, geſtum ſeu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

4. Quòd ſi Brandenburgenſis Marchio ad electionem Procuratorem miſit, ijs inſtructum literis,

teris, ex priſco & perpetuo vſu miſit, quibus ei poteſtatem faceret, *omnia & ſingula* faciendi, quæ in electione ipſemet Marchio facere poſſet, ſi præſens adeſſet, etiamſi *mandatũ exigerent ſpeciale*; & quibus firmiter promitteret, *gratum & ratum ſe* habere velle & perpetuò habiturum, quicquid per procuratorem in electione *actum, geſtum ſeu factum fuiſſet, aut quomodolibet ordinatum.*

5. Iam ergo reſponde ſodes. Nonne etiamſi miſſus à Brandeburgico miles Ludouicum contra voluntatem domini elegit ſui, ratam tamen habere electionem dominus debuit, præſertim cùm & ipſe, ſi coràm præſens adfuiſſet, voluntatem mutare potuiſſet, ac fortè etiam mutaſſet, quando cauſas mutandi graues Kranzius [a] & Cuſpinianus [b] familiares tui referunt? *Ferunt enim*, inquit ille, *ſubmiſſum à Marchione militem, qui cùm videret principes in Ludouicum propenſiores, ſuámque vocem, quam ex mandato Marchionis pro Friderico daret, futuram inanem: ſtudebat & principi ſuo & proprijs commodis, quòd Ludouicus Marchioni propior & commoda plura amicus & incommoda poſſet inferre maiora inimicus Marchioni* &c. *Miles is*, inquit iſte, *quòd nihil ſe ſperabat à Friderico conſecuturũ, ſimul etiam quòd plurium animos in Ludouicum cerneret inclinatos* &c. Sed ſiue Marchio mutaſſet præſens voluntatem ſiue non; militis ſuffragium

[a] *9. Saxõ. 8. poſt m.*
[b] *Ante Frid. p. 458. f.*

qualecunque habere ratum debuit & gratum.

6. Quid tu iam ad hæc Bzoui? an putidum illud, *non putâram hoc ſecuturum?* procul dubio tamen putaturus, niſi priſco Andabatarum vel cæcorum ritu pugnares. An retro pede cum voce repreſſo per metum muſſas, non omnia aureæ bullæ capita ex vſu priſco deriuata? Iterum ergo *vſque adeo me ſtultum putas, vt nulla ratione reddita quod vis credam, quod non vis non credam?* Eſto, non omnia capita ſint ex vſu priſco (quod tamen à te antè dictum oportuit) hoc certè de legatis & plenis mandatis ex vſu priſco ſit neceſſe eſt, cùm tu id ad cauſam tuam confirmandam referas, quaſi perperam in Ludouici electione violatum; violatum autem non fuit, ſi noua Caroli IV. conſtitutione poſt Ludouici mortem introductum fuit.

Auguſtin. contra epiſt. fund. c. 5.

7. Non hoc, inquies, caput violatum dixi. Quod ergo? nullum enim apparet aliud, quod potius videri violatum queat. nam octo tantùm capita refers, eáque haud dubiè quę ad propoſitum faciũt, hoc eſt, quæ in Ludouici electione ſeruata negas. I. Vt Moguntinus tempus & locum electionis deſignet, quo Electores per ſe vel per legatos cum plenis mandatis compareant. II. Si negligat officium Moguntinus, Electores ceteri nihilominus cõueniant, cum certo equitum armatorum & non armatorum numero: in quo ab Ludouico nec tu

nec

nec alij quicquam violatum memorant: & quid mirum, ſi quinque aut etiam quatuor Ludouici ſuffragatores plus armatorū habuêre, quam duo vel etiam tres Friderici? III. Qui per ſe vel legatum non compareat, aut ante confectum negotium diſcedat, ius electionis eo quidem tempore amittat. Hic obiter aduerte, eos qui Fridericum elegerunt, Francofortum ad diem deſtinatum nec per ſe nec per legatos veniſſe, vt non modò ex decretis electionis & epiſtola [a] Francofurtenſium, ſed etiam ex hiſtoriographis demonſtrauimus. Sic enim Rebdorſenſis ſcribebat, *Fridericus eſt electus in Regem Romanorum in oppido Bunnenſi Colonienſis diœceſis, quia tantam potentiam vnitam habere non potuit, vt in Franckenfurt in termino ad eligendum comparere auderet.* Hoc ergo caput in Ludouici electione ſeruatum eſt, non in Friderici. IV. De officio Francofurtenſium erga Electores. V. De iuramento Electorum, nihil ſe facturos pacti vel mercedis vel pollicitationis causâ. Quod in Ludouici electione ſeruatum non eſſe nuſquam docet Bzouius; nos in Friderici ſeruatum non eſſe, ex Rebdorſenſi docemus, teſtato, Rudolphum Ludouici fratrē acceptâ pecuniâ ab Ducibus Auſtriæ, Friderico dediſſe ſuffragium. VI. De victu Electoribus minuendo ob dilationem electionis. VII. De rata maioris partis electione, & eodem loco ha-

[a] *In archiuo Sereniſſ. noſtri.*

P. 422. §. 4.

Digitized by Google

benda, ac ſi cōmmunibus omnium ſuffragijs nemine repugnante eſſet facta. Ludouici ergo electio non diſcors, ſed concors, Friderici nulla fuit. VIII. De priuilegijs & dignitate Electorum ab electo cō-firmandis.

8. Hæc tu ex aurea bulla, quæ equidem pro te allata principio rebar, at iā contra te pro Ludouico adducta, etiam tu vides, niſi nihil vides. Faciamus tamen, caput illud de plena procuratoris poteſtate, ante auream bullam conditam, non fuiſſe vſitatū; eam certè à Marchione Brandenburgenſi dari debuiſſe, & ſuffragium procuratoris etiam contra domini voluntatem datum, ratum cenſeri & haberi ab ipſo Marchione debuiſſe, Carolus IV. cū principibus & ciuitatibus alijſque imperij proceribus poſtmodùm ſatis ſignificauit, quando ita, vt ſupra vidimus, decreuit.

Aurea bulla præfat. n. 2.

9. Adhæc aut legatus Brandenburgicus in mādatis habuit, vt certum ſibíque à domino ſuo deſignatum nominaret, aut, vt etiam tui hiſtorici dicunt, mandatū habuit in genere eum nominandi, in quem plures inclinarēt, aut quem maximè Reipublicę ſalutarem ipſe cenſeret. Si prius, hoc ipſum vidiſſent in legati inſtructione Electores, neq; pro rato eius votum habuiſſent. Non potuere videre, inquiēt Bzouius, quia perfidus legatus raſerat: rectè habet; ſi nomen deſignati non potuere videre,

quia

quia raſum erat; raſurā certè videre poterant,& vitium tabulis Principis illatum: hanc autē raſuram à Principibus nō viſam inde oſtenditur, quòd alioqui legatus toleratus non fuiſſet in ſuffragatione: non enim Electores pueri ſunt Bzoui, vt facultates facultatúmq; teſtes literas in re tanti momenti nō diligenter explorent. Vigilantiores ſunt oculi in ſum̄o illo imperij ſenatu. Sed fac eos raſuram non animaduertiſſe; nihilominus legati votum ratum fuit, vt paulò ſuprà docuimus. Si poſterius, certè legatus ex vi mandati Ludouico adeſſe debuit, cū plures in eundem inclinarent, eúmq; Reipub. maximè ſalutarem iudicarent. Et ponamus quod tu affirmas, Electorum tres Ludouico, tres Friderico adſuiſſe; potuit adhuc legatus è ſuo æquilibrio vergere in partem Ludouici, præſertim cùm tanti Electores ab eius parte ſtarent.

10. Rectè igitur tres Ludouici ſuffragatores, quartum Brandeburgici procuratoris ſuffragiū ratum iudicaſſent, præſertim cùm eis de contraria domini voluntate non conſtaret: nec aliter re poſtmodum cognitâ iudicare ſummi potuere Pontifices, nec electionem rite peractam in dubium aut iudicium vocare, quando tot eorum ſucceſſores Caroli Cæſaris iudicium ratum habuere.

11. Accedit quòd nullus tū erat pontifex, cùm Ludouicus eligeretur; nec citò propter ingentem

Cardinalium diſcordiam futurus ſperabatur; nec tamen lis in incertum diu pendere, ſed ab Electoribus dirimi; nec imperium rectore, Eccleſia defenſore tam diu carere debuit, argumento Innocentij III. dicentis, *Nunquid enim ſi principes* Electores *admoniti & expectati vel non potuerunt, vel noluerunt in vnum propoſitum conuenire, ſedes Apoſtolica aduocato & defenſore* Imperatore *carebit, eorúmque culpa ipſi redundabit in pœnam?* Ita nec Cardinalium culpa Imperio redundare debuit in pœnam.

De elect. cap. venerabilē m.

12. Vndecimum pronunciatū. *Fridericum regijs inſignibus à Colonienſi iure ornatū.* Imitabor te Bzoui & dicam, Ludouicū regijs inſignibus à Moguntino & Treuirenſi iure ornatum, nam vbi legitima electio præceſſit, vtiq; legitima coronatio eſt; at iam pateſecimus vel cæcutienti, Ludouicū legitimè electum. Neque dici poteſt, Ludouicum non poſſe cenſeri legitimè coronatum, eo quòd ab Colonienſi coronatus non ſit: nam quod per iniuriā Colonienſis negauit, potuit alius optimo iure reſarcire, nempe Treuirenſis, qui olim id ius ſibi vendicauit, quòd Eccleſia eius cæteris antiquitate præſtaret: Colonienſis autem hodie id officium fungitur, quod & conſecratio & coronatio in ſuis finibus fiat: primò certè ad Moguntinum tanquam Germaniæ Metropolitanum & Regni Cancellarium delatum erat, vt Bzouius ann. 1328. VII. ante med. ex Sig. 7. de Reg. Italiæ refert.

CAPVT

CAPVT VII.

DE BELLO INTER LVDOVICVM &Fridericum.

1. DVodecimum pronunciatum. *Ludouicum in Fridericum exercitum duxiſſe.* Significat Bzouius Ludouicum Friderico intuliſſe bellum, quod figmentum eſt,& contra fidem hiſtoricorũ, quos rectè Bzouius in medium contra ſe adducit, vt ſuæ ſeſe fabulæ auctorem commonſtret. Loquatur primùm Argentinenſis à Bzouio laudatus,

2. *Ludouicus itaque Aquisgrani à Moguntino & Treuerenſi in loco quo debuit, ſed non à quo debuit: Fridericus verò in Bunna à Colonienſi à quo debuit, ſed non in loco in quo debuit, coronati ſunt. Adhæſerunt autem Ludouico ciuitates inferiores vſque Selz: Friderico autem Selz & ſuperiores ciuitates excepta Berna & Solodorna, quæ neutrũ curabant. Deſcendit autem Lupoldus Dux Auſtriæ, frater Friderici cum grandi exercitu Spiram contra Ludouicum: vbi Ludouicus ceſſit de campo in cœmiterium Iudæorum; Lupoldus autem villas Spirenſium & aliorum inibi aduerſariorum comburens aſcendit. Tranſiuit poſt hæc ipſe Lupoldus iuxta Auguſtam flumen Lech, & in ſuperiore Bauaria multa & inter alia oppidum Landſperg per ſe victum ignis incendio deuaſtauit.* Argent. p. 119. v. 21.

3. Quis in alterum aramatus iuit, Bzoui? nónne

Cardinalium diſcordiam futurus ſperabatur; nec tamen lis in incertum diu pendere, ſed ab Electoribus dirimi; nec imperium rectore, Eccleſia defenſore tam diu carere debuit, argumento Innocentij III. dicentis, *Nunquid enim ſi principes* Electores *admoniti & expectati vel non potuerunt, vel noluerunt in vnum propoſitum conuenire, ſedes Apoſtolica aduocato & defenſore* Imperatore *carebit, eorúmque culpa ipſi redundabit in pœnam?* Ita nec Cardinalium culpa Imperio redundare debuit in pœnam.

De elect. cap. venerabile m.

12. Vndecimum pronunciatũ. *Fridericum regijs inſignibus à Colonienſi iure ornatũ.* Imitabor te Bzoui & dicam, Ludouicũ regijs inſignibus à Moguntino & Treuirenſi iure ornatum, nam vbi legitima electio præceſſit, vtiq; legitima coronatio eſt; at iam pateſecimus vel cæcutienti, Ludouicũ legitimè electum. Neque dici poteſt, Ludouicum non poſſe cenſeri legitimè coronatum, eo quòd ab Colonienſi coronatus non ſit: nam quod per iniuriã Colonienſis negauit, potuit alius optimo iure reſarcire, nempe Treuirenſis, qui olim id ius ſibi vendicauit, quòd Eccleſia eius cæteris antiquitate præſtaret: Colonienſis autem hodie id officium fungitur, quod & conſecratio & coronatio in ſuis finibus fiat: primò certè ad Moguntinum tanquam Germaniæ Metropolitanum & Regni Cancellarium delatum erat, vt Bzouius ann. 1328. VII. ante med. ex Sig. 7. de Reg. Italiæ refert.

CAPVT

CAPVT VII.

DE BELLO INTER LVDOVICVM &Fridericum.

1. DVodecimum pronunciatum. *Ludouicum in Fridericum exercitum duxiſſe.* Significat Bzouius Ludouicum Friderico intuliſſe bellum, quod figmentum eſt,& contra fidem hiſtoricorũ, quos rectè Bzouius in medium contra ſe adducit, vt ſuæ ſeſe fabulæ auctorem commonſtret. Loquatur primùm Argentinenſis à Bzouio laudatus,

2. *Ludouicus itaque Aquisgrani à Moguntino & Treuerenſi in loco quo debuit, ſed non à quo debuit: Fridericus verò in Bunna à Colonienſi à quo debuit, ſed non in loco in quo debuit, coronati ſunt. Adhæſerunt autem Ludouico ciuitates inferiores vſque Selz: Friderico autem Selz & ſuperiores ciuitates excepta Berna & Solodorna, quæ neutrũ curabant. Deſcendit autem Lupoldus Dux Auſtriæ, frater Friderici cum grandi exercitu Spiram contra Ludouicum: vbi Ludouicus ceſſit de campo in cœmiterium Iudæorum; Lupoldus autem villas Spirenſium & aliorum inibi aduerſariorum comburens aſcendit. Tranſiuit poſt hæc ipſe Lupoldus iuxta Auguſtam flumen Lech, & in ſuperiore Bauaria multa & inter alia oppidum Landſperg per ſe victum ignis incendio deuaſtauit.* Argent. p. 119. v. 21.

3. Quis in alterum aramatus iuit, Bzoui? nónne

ne Fridericus exercitum in Ludouicum Duce Lupoldo fratre ſuo immiſit? imò Ludouicus adeò imparatus fuit, vt aduentanti hoſti cedere coactus ſit. Itaq; non Ludouicus bellum intulit, ſed cùm viribus impar eſſet, locum dedit.

Nauclerus Generat. 44. anno 1315. 4. Alter tuus teſtis eſt Nauclerus, ſed contra te. Sic ſcribit ille loco à te demonſtrato, *Poſt coronationem eorum, omnes ciuitates inferiores vſque ad Argentinam receperunt Ludouicum, in regem: ſed ſuperiores &c. Anno eodem Ludouicus Spiræ præſidem dedit Georgium Comitem de Veldenz, & ei oppidum Germersheim pro habitatione deputauit. Fridericus autem pro præſide nobilem virum de Ochſenſtain conſtituit, & Landou ſibi pro oppido aſſignauit. Argentina etiam Fridericum pro rege recepit. Qui & Sueuiam ſuo dominatui conatus adijcere, quarundam ciuitatum fauore Eſſelingam obſedit. Vnde pauco pòſt tempore vires aucturus diſceſſit, & ſequenti anno oppidum repetens, occupato interim apud ſuos Ludouico, obſidionem magnis copijs communit. Tum Ludouicus auxilijs Bohemi Regis & Epiſcopi Treuiri, hoſti occurrit. inita pugna ad flumen Neccarum, vterq; exercitus magna incommoda paſſus eſt.*

Kranzius 9. Saxõ. 8. 5. Kranzius tertio loco à te allatus, ſolùm ſcribit de pugna illa Mildorfenſi, in qua Fridericus ſuperatus captúſque; ſed hæc longè pòſt contigit; atque ita cum teſtibus tuis ſine teſtibus inteſtabilis

es,

es, cùm vnus nil pro te, duo reliqui pro nobis ſat clarè loquantur.

6. Clariùs Mutius, *Aliquanto igitur tempore neuter alteri mouet bellum, neuter enim voluit cauſa bellorum, & malorum, quæ bellum neceſſariò conſequuntur, videri. Tandem Fridericus videns aduerſarium ſuum potentiorem, & animos ad maiorẽ partem, vbi ſe tutiores iudicant, inclinari; fidens ſuorum virtute (qui erant ab Argentina vſque ad Solodurum, & à Lucerna Conſtantiam vſque, à Conſtantia vſque ad Vlmam. In quibus regionibus etiam noſtra ætate milites palmam ferunt. Nec ferè vllus princeps hodie aliquid feliciter in bello gerit, qui non habet ex illis aliquibus, quos dixi, locis copias) contrahit copias vt illas vrbes ſuis adijceret, quæ proximæ erant. Quam ob rem Eſlingen obſidet. Sed non ſatis ad expugnandas vrbes paratus, poſt vnum menſem obſidionem ſoluit, & quæ vidit illi defuiſſe in oppugnationibus, comparat, ſequentiq; anno rurſum ad obſidendam redit, & magnis conatibus & viribus impugnat: ſed oppidani etiam ſe interim parauerant, quoniam etiam in prima obſidione poterant diſcere, quæ ſibi vſui eſſe poſſent in propugnationibus. Fridericus autem ſolùm cogitârat quid ſibi defuiſſet ad capiendam vrbem, vt erat in priore obſidione, nec ſatis attulit virium, quoniam ad munitiones & præſidia, multa per id temporis, quo abfuit, interuallum adiecerant.* p.222.26.

K Cùm

Cùm igitur pertinaciter & fortiter ſine intermiſſione noctéſque diéſque impugnaret Eſlingenſes, emiſſo clanculum noctu nuncio, ſignificarunt Ludouico, niſi citò veniret cum exercitu, ſe obſidionem non poſſe ferre. Nec agi de ſola Eſlinga, ſi enim aliæ viderint nullam ſpem eſſe in auxilio Ludouici, ſponte ſua acceſſuras ad Fridericum. Conſtituunt illi diem, ante quem ſi non veniat, ſe pacem petituros, & fœdus inituros cum Friderico. Ludouicus intelligens defectionis multarum ciuitatum periculum, etiamſi non admonuiſſent eum Eſlingenſes per nunciũ, quanquam aliâs occupatiſſimus, coacto exercitu, acceptis quoque copijs ex Boëmia à Rege feſtinat ad Eſlingam liberandam. Certior factus de aduentu eius Fridericus, infeſtis ſignis & acie inſtructa illi obuiam it, & in loco æquo iuxta Necarum pugnam ineunt, vix vnquam vſquam pugnatum eſt pertinacioribus animis. Imperatores ipſi periculosè pugnabant, milites in conſpectu Imperatorum fortiſſimè dimicabant. Pugnatum ferunt vſque in atram noctem, itáque diſceſſum, vt neuter iure victoriam ſibi arrogare potuerit: quanquam multò maior multitudo ex Ludouici copijs occubuerit, quàm Friderici: nec ſic ex hoc prælio liberata Eſlinga, ſed poſt prælium, viſum eſt Ludouico hoſtem auocare ab vrbis obſidione ad ſua defendenda, quod ſanè ſalubre Ludouico conſilium fuit.

7. Cla-

Digitized by Google

7. Clariſſimè Cuſpinianus, *Fridericus cum magnis copijs Sueuiam ingreſſus iuxta Eßlingam Ludouicum ad arma prouocauit. Aquantibus enim in Necaro fluuio militibus equos, velitari primùm pugnâ, tandem iuſto bello tantam vtrinque ediderunt ſtragem, vt ſanguine multo Nécarum fluuium cruentum redderent. Sed dubio marte, poſtquam pugnatum eſt, diſceßêre, quibuſdam occiſis, quibuſdam captis*. Et de Berna & Solodoro Fridericum non curantibus, *Sed mox & illa à Leopoldo Duce fratre regis* (Friderici) *coacta ſunt Fridericum agnoſcere dominum.* *In Frid. p. 461. v. 1.* *Ante Frid. p. 459. §. 1. f.*

CAPVT VIII

DE AVCTORIBVS à BZOVIO allatis.

1. POſt tua pronunciata iam vtcunque excuſſa, lubet peculiari loco de tuis auctoribus agere: Kranzio nempe, Nauclero & Argentinenſi.

2. Argentinenſis eſt omnium antiquorum poſtremus, reliqui duo ſunt recentes. Sed dic tu, Bzoui, æquúmne cenſes propinquiſſimos Ludouici temporibus ſub ſcena continere, & in theatrũ producere remotiores rerúmq; veterum magis ignaros? Quid Kranzio Naucleróque gloriaris? an non ad manum habuiſti Steronis cõtinuatores, Iohan-

nem Villanum, & Henricum Rebdorſium? Et cur ex recentibus eos ſolos adduxiſti, qui pro Friderico ſtant, omiſſis pene innumeris, qui pro Ludouico? Qu inquam nō grauatè ignoſcerem tibi, ſi recentes vt debebas adduxiſſes, ac multa ad rem facientia non præcidiſſes. Audiamus eos, è quibus tu tua te promp ſiſſe contendis. Kranzius primum locum occupet, cuius verba à te prætermiſſa magno artificio tuo, ſunt hæc:

9. Sax. 8. ante m. 3. *De electione autem huius regis mira quadam recordantur annales, quæ operæ precium erat poſteris ad memoriam commendare. Electores principes ſeculi, indignum rati, quòd ab Eccleſiaſticis ſolis ea poteſtas expectaretur, non expectatis tribus Archiepiſcopis Electoribus, Ludouicum elegerunt. Archiepiſcopi autem cōtemptum ſui reputantes, nullam eſſe electionem proteſtati ſunt de Ludouico ſine ſe peractam. Nam & Rudolphus Dux Saxoniæ, qui elegiſſe diceretur, non ad eam pertineret, ſed Dux inferioris Saxoniæ Ericus foret aduocandus. Præterea* W*aldemarum Marchionem non præſentem, ſed per nunciū dediſſe vocem, non in eum quem ipſe voluerit* Fridericum, *ſed in eum quem falsò nuncius de ſuo ſenſu nominauerit Ludouicum.* F*erunt enim ſubmiſſum à Marchione militem, qui cùm videret principes in* Ludouicum *propenſiores, ſuámque vocem, quam ex mandato Marchionis pro* F*riderico daret, futuram*

ina-

inanem, ſtudebat & principi ſuo, & proprijs commodis, quòd Ludouicus Marchioni propior & commoda plura amicus & incommoda poſſet inferre maiora inimicus Marchioni: cùm & ipſe nonnihil inde cõmodi ſperaret, ſi ſuo poſſet obſequio vacillantem principum ſententiam Marchionis ſui voce deducere in optatum. Hæc tum obiecere Archiepiſcopi primæ de Ludouico electioni, ipsíque Fridericum elegerunt. Ferunt *Marchionem vehementer exaſperatum in militem nuncium ſuum, quòd non de Domini ſui mente, ſed propria voluntate electionem perplexiorem reddidiſſet, redeuntémque diu carcere maceraſſe, & demum extinxiſſe fame, cùm pomum in eius ſemper aſpectum iuſsiſſet appendi, ſed quòd tangere non poſſet, ſeratóque carcere ſub vltimo vetuiſſe ſupplicio, ne vllum cibi genus vincto immitteretur, vt doceat ille pœna ſua exemplo, diſcántq; minores mandati fines nulla in re præterire.*

4. An adhuc, Bzoui, in triumpho Kranzium circumducis? quot portenta loquitur? quàm multa contra te? Ecce ait

Primò, *Electores principes ſeculi ratos quòd ab Eccleſiaſticis ſolis regia poteſtas expectaretur.* Quis principum vnquam huius opinionis fuit?

Secundò, *Eoſdẽ principes idipſum indignũ ratos.*

Tertiò, *Principes ſeculares non expectatis tribus Archiepiſcopis Electoribus Ludouicum elegiſſe.* An

tu hæc vera æſtimas, Bzoui? ſi ſoli ſeculares elegêre Ludouicum, quomodo ergo tu ſcribis, *Petrus* Col. 241. XII. *Moguntinus, Balduinus Treuirenſis Archiepiſcopi, Joannes Boëmiæ Rex, ſiue pro eo Henricus Dux Carinthiæ, Ludouicum imperatorem ſalutarunt?*

Quartò, *Archiepiſcopos id contemptum ſui reputaſſe, quòd ſeculares ſoli Ludouicum elegiſſent.* Næniæ iſtæ ſunt.

Quintò, *Archiepiſcopos proteſtatos nullam eſſe electionem Ludouici ſine ſe peractam.* Nempe electio peracta eſt ſine ijs qui electionem peregêre etiam Bzouio teſte.

Sextò, *Rudolphum Ducem Saxoniæ qui elegiſſe diceretur, non habuiſſe ius eligendi ſed Ericũ.* Egregiè vineta Bzouij cæduntur. Nam ſi Kranzius Bzouianæ narrationis auctor verum ſcribit, tres Archiepiſcopi, rei geſtę æquales, Rudolpho Saxoni ius eligẽdi adimunt; quomodo id ei tribuit Bzouius poſt annos amplius 300? Si ijdem tres Archiepiſcopi aiunt, Rudolphũ in Ludouici ſuffragium ijſſe; quo- Col. 242. modo dicit Bzouius, Rudolphum in Fridericum contuliſſe votum?

Septimò, *Fridericum ab Archiepiſcopis electum.* Nugæ, & contra calamum Bzouij, iuxta quem vnus Colonienſis pro Friderico ſtetit.

5. Atque hæc omnia à Bzouio ex Kranzio prętermiſſa ſunt, quòd ipſemet falſa ea Bzouius ſenſiſ-

ſet.

ſet.Itaq; Bzouius ex Kranzio caput & caudā ſolùm hauſit. In capite iſta ſunt, *Compertâ Henrici in Italia morte, Germaniæ principes electores in duos æquè imperio regnóque dignos principes vota contulerunt.* Ex his verbis pro affectu, quem Ludouico vbique defert, omiſit Bzouius hæc inſequentia, *æquè imperio regnóque dignos*, quia nimis ſpecioſa videbātur pro Bauaro. In cauda habet Kranzius fabulā illam de legato Brandenburgico, quæ mirificè palatum Bzouij afficit. Illa quæ interiacent, falſiſſima ſunt vel ipſi Bzouio, finis tamen omnino veritati conſentaneus videri debet, quia Bzouio aliud non videtur; neque dubium eſſe debet, Kranzium qui in ſeptem pronunciatis fefellit, in fine verum dixiſſe; quia credibile non eſt, Kranzium perpetuò eſſe vanum, ac proptereà neceſſe eſt, vt ei Bzouius aliquādo credat, præſertim quando optat factum quod alter factum ſcribit. Quanquam neque in hoc figmento quidquam affirmat Kranzius, nam vocabulo vtitur *Ferunt*, vti & Nauclerus vocabulo *Dicitur*, quæ vti & alia id genus verba Bzouio incertam narrationem reddunt. Bzouius autem non velut ex rumore hæc affert, ſed quaſi ex ſcientia affirmat, Brandenburgicum procuratorē & miſſum eſſe, & periurio ſeſe contaminaſſe. *Anno 1313. VII. & ſeqq.*

6. Vide autem quàm prudenter omnia nō modò demat, verùm etiā addat Bzouius. Citauit Kranzium

zium omiſſo Blondo Kranzij auctore: contrà verò Naucleru͂ ex Iacobo Moguntino Ludouici æquali citatum videri vult, vt denuo fallat lectorem, ratum ea, quæ Bzouius de electione ſcripſit, ex tam antiquo ſumpta ſcriptore.

7. At Nauclerus refert ex Iacobo Moguntino tantùm particulam huius narrationis; Bzouius poſt totam rem denarratam ait, *Nauclerus ex Iacobo Moguntino:* neque aſtus hìc abeſt; nam cùm Iacobus Moguntinus eo tempore vixerit, ſi omnia ex illo Nauclerus mutuatus fuiſſet, magnu͂ præiudiciu͂ adferretur Ludouico, & haberet ipſius fabula de Marchionis legato aliquam vmbra͂, propiúſque vero videretur Rudolphum Saxonem in ſuffragatione Friderico adfuiſſe. Quid recenſet ergo Nauclerus ex Iacobo Moguntino? hoc ſolum, Fridericum ad Rudolphum Ludouicúmque Bauaros profectum, poſtulaſſéque vt ſui in electione rationem haberent; *qui ſe Friderici ſeruitio aſtrinxerunt, vt ſcribit Iacobus Moguntinus.* Ecce hoc ſolum ex iſto Iacobo adfertur; de numero Electorum in ſuffragatione nihil, de Rudolpho Saxone in Fridericum prono nihil, de legato Brandenburgenſi nihil, niſi apud Bzouium, cui ampla poteſtas eſt & augendi & minuendi.

Geſner. in Bibl. ex Nauclero.

8. Denique vt maiores Bzouius tenebras aduerſus decreti electionis lucem offundat, ex eode͂

Nau-

Nauclero ambiguum facit, vtrũ Iohannes rex Bohemiæ, an Henricus Dux Carinthiæ Ludouicum elegerit. Verùm non animaduertit hiſtoricorum de electione narrationem tantò eſſe incertiorem & aduerſus decretum infirmiorem, quantò inconſtantiorem ac magis variam; oblitus, hoc ipſo argumento ſe pro Bernardo ſuo, vt ſupra oſtẽdimus, iterum atque iterum vſum. Atque hæc de auctoribus è quibus ſua deprompſiſſe videri vult Bzouius parùm bona fide.

9. Nec verba marginem eius decorantia ferri poſſunt. *Ludouici Bauari*, ait, *fraudulenta electio:* quanquam leui ſpongia hæc iniuria deleri poteſt, totidem nempe pauculis ſyllabis & verbis in hunc modum, *Abrahami Bzouij fraudulenta narratio.*

CAPVT IX.

BZOVIANA DE ELECTORVM DEcreto narratio confutata.

1. SEd pergamus in narratione Bzouiana huius anni. *Electione Ludouici in diſcordia & in dolo peracta decretum tamen electionis ſuffragatores conceperunt, & futuro Pontifici ad cognitionẽ transmittendum deſignarunt, quod iſthic viſum eſt adiungere ob confuſionem illorum, qui vel ſedi Apoſtolicæ nihil eſſe in negotio imperij mentiuntur, vel ad omnes promiſcuè imperij principes, non autẽ ad ſeptemuiros* Col. 248. XIII.

electionem imperij pertinere arbitrantur, adeóque inſtitutionem Electorum deridentes inſectantur. Ita habet ex autographo, ſi autographum vidit Chriſtophorus Genvoldus, in ſuo de ſeptemuiratu commentario. In nomine Domini Amen &c.

2. Facti ſunt Bzouio nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Principes Electores, quibus vt rei ipſius actoribus & ordinis & auctoritatis locum dari primũ oportebat, in poſtremũ agmen non vt triarios, ſed vt calones reiecit; falſorum, quos dixi, rumorũ ſcriptoribus in fronte locatis, & inter hos tironibus Kranzio & Nauclero ante veteranum Argentinatem; quibus tanquam teſtibus impactum ijſdem Electoribus falſi crimen confirmaret. Sed ad Bzouij pronunciata venio.

3. Primum pronunciatum. *Ludouici electionẽ in diſcordia peractã.* Hîc iure vix reprehendi poteſt Bzouius, ſi verba aliter capiantur, quam Bzouius ceperit. Nã reuera Ludouicus in diſcordia electus eſt, quia Colonienſis, Ludouicíq; germanus frater Rudolphus manibus pedibúſq; renitebantur. Sed quid hæc diſcordia pauculorum facit? Pauci, non Cæſarum duntaxat, ſed pontificum quoq;, omnibus conſentientibus electi ſunt. Quare diſcat hiſtoricus iſte ex iure, quænã diſcordia electionẽ vitiet; & quidẽ ne ſeſe diu inquirendo fatiget, Iohannẽ Azorium Societatis IESV Theologũ conſulat, tom. 2. inſtit. moral. lib. 10. c. 4. m. pag. 1567. §. vlt. ante m. vbi ſic infit,

Diſcordia duplex.

4. *In*

4. *In iure duplicem eſſe concordiam* (conſequẽter etiam duplicẽ diſcordiam) *vnam plenam reipſa & verè, ſcilicet quando omnes conſentiunt, ita vt nemo diſſideat; alteram, quæ dicitur concordia iuris fictione, quando ſecundũ canones, leges & iura in electione alicuius requiritur & ſufficit maior pars Electorũ. Sic Alexánder in l. citata Suum, §. Hodie. hac enim concordia eſt talis & tanta, qualẽ & quantã iura poſtulant. Ac proinde id quod dicitur in Clement. de iureiur. (facta nobis de electione huiuſmodi concordi) intelligitur concors electio iuris fictione, nimirum facta à maiori parte, hæc enim dicitur Canonica & legitima electio, iuxta id quod habetur in l. Quod maior, ff. ad municipalem, & in c. Apoſtolica, cũ gloſſa diſt. 56. & cap. Cum inter Canonicos, de elect.* Ita ille reſpondet ad Clement. I. de iureiur. §. Nos eodem, vbi pontifex ait, *Facta nobis de electione huiuſmodi concordi & legitima, plena fide.* — *Concordia duplex.*

5. Ad eund. planè modum Carolus IV. Ludouici ſucceſſor ſanxit, *Poſtquam Electores vel pars eorum maior numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac ſi foret ab ipſis omnibus, nemine diſcrepante, concorditer celebrata.* Quod ex vſu priſtino ſancitum videtur. — *Aur. bull. c. 2. n. 6.*

6. Ex his habes, Bzoui, ſecundùm iura diſcordiam Electorũ planè nil obſuiſſe electioni Ludouici, nec electionẽ ita diſcordem fuiſſe vt nõ etiam

concors fuerit. Diſcordia, quam Bzouius & quidā alij rumoribus falſi tradunt, nulla fuit. Rectè ergo Ludouicus apud Bzouium negat ſe in diſcordia eſſe electum.

An. 1324. VI. ante m.

Dolus Bzouii.

7. Alterum pronunciatum. *Ludouici electionem in dolo peractam.* Dolo deſcriptam debebas dicere, Bzoui. Quem tu mihi dolum probas? doloſè egit Marchionis legatus? nempe tantùm ibi egit, quantùm tu nuper Francofurti, cùm inuictiſſimus Matthias eligeretur.

Et calūnia in Electores.

8. Tertium pronunciatum. *Principes, tametſi in diſcordia & dolo Ludouicus electus ſit, nihilominus decretum electionis concepiſſe & futuro Pontifici ad cognitionem mittendum deſignaſſe.* Hìc, vt video, Ludouicus parumper reſpirare poteſt: nam Bzouianus calamus in Electores vertitur. Nempe hi principes nulla religione ducti, contra repugnantis animi ſenſum, decretum concepere, non neſcij diſcordiæ & doli. Hæc ſanè iniuria latè funditur, Bzoui, & redundat in ampliſſimum imperij ſenatum, quaſi iſti ſummi principes capiti Eccleſiæ pōtifici fucum facere auſi, ad morem Bzouianū ſcripſerint.

Subtilitas.

9. Quartum pronunciatum Bzouij. *Viſum ſibi adiungere hoc decretum, ad confuſionem illorum, qui vel ſedi Apoſtolicæ nihil eſſe in negotio imperij mentiuntur, vel ad omnes principes imperij electionē ſpectare arbitrantur.* Bellè profectò Bzouius ex decreto

creto

Digitized by Google

cretò, quod ipſe improbat tanquā mala fide ſcriptum, orbi monſtrabit, pontifici multum iuris in imperio eſſe. Si fraudulentum decretum eſt, neque Bzouio in probationem vſurpandum eſt. Deinde ipſemet dubitat, vtrum hoc decretum authenticū ſit; quomodo ergo & ipſe authenticè probabit ex eo pontificis in imperio poteſtatem? nō eget pontifex tali cauſidico. Demum velim nomines eos, qui omnes imperij principes ius ſuffragādi habere arbitrentur. nam ij mihi præter Neminem & Nullum ignoti ſunt.

10. Quintum pronunciatum. Clariſſimum virum Doctorem Gevvoldum fortaſſe autographum nō vidiſſe: nam hoc efficiunt verba Bzouij; *ſi tamen autographum vidit Chriſtophorus Gevvoldus*. Quibus certè tantum ſignificat, quantum qui diceret, *ſi non fallit Gevvoldus, qui ſcribit ſe autographum vidiſſe; fortè fallit*. En Bzoui, hoccine probi ſcriptoris eſt, virum integerrimum tot oculis proborum cognitum, Sereniſſimi noſtri tunc Archiuarium, fraudis ſuſpectum reddere, imò palàm traducere? Eſto, dubitaris de fide Gevvoldi, cur hac ſuper re ad nos non ſcripſiſti? præſertim cùm tibi per literas fuerit facta poteſtas ex Archiuo noſtro poſtulandi quæ velles. Cur Gevvoldum non monuiſti, vt decretum notarijs aut principi alicui luſtrandum & publica fide confirmandum curaret?

Criminatur Gevvoldum.

Sed nimirum verebare potiùs, ne allata à te de Ludouici electione vitia apparerent fictitia, quàm ne decretum vlla eſſet ex parte fictitium: id quod citiùs quàm velles experiris.

Capvt X.

DECRETVM ELECTIONIS
à Bzouio fruſtra oppugnatum.

Col. 244. XIV. 1. PRocedamus in textu Bzouiano. *Hactenus diploma electionis, vereor ne aliqua ex parte fictitium: eo quòd Henricus Radborſius, qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa præſens videbat, in annales ſuos retulerit; ducem Saxoniæ Ioannem non Rudolphum Electorali dignitate præſtantem fuiſſe, eúmque in Auſtriaci ſuffragium iuiſſe, adeò vt Ioannes XXII. pontifex habuerit eandem electionẽ, tum ab hoc capite, tum quòd Waldemari Marchionis Brandenburgici procurator ſyngrapham à Principe in Fridericũ ſcriptam ſignatámque vitiaſſet, improbare. Namq; idem Radborſius viuens & videns tunc temporis aſſerit, Francofordiæ non omnes, quod aiunt, perſonaliter præſentes, ſed alios per literas, alios per procuratores ſuffragationi interceſſiſſe, & hinc dolo malo occaſionẽ datam fuiſſe. Vt vt res ceciderit, inſequentium annorum narratio à publicis monumentis deſumpta declarabit, ſcilicet & electionem Ludouici vitioſam,*

&

Digitized by Google

& Romano pontifici ius in eius cognitionem fuiſſe vel ab his præſcriptionibus, quas ſubiungo,&c.

2. Primum Bzouij pronunciatum. *Vereri ſeſe ne diploma aliqua ex parte fictitium ſit.* Rectè habet, Bzouij; ſi ex parte fictitium vereris, cur non totum? cur ſupra argumentum ex eo ſumpſiſti ad ſtabiliendum pontificis ius in imperio? mirificus ſanè homo es, & cum Lectore ludere videris. nam ea quæ in decreto ad pontificis honorem pertinẽt, vis credi; quæ ad Imperatoris, non vis credi. vtraq; credo, ſed non tua cauſa. *Formido fictitia.*

3. Sed audiamus cauſam, quare fictitium ex parte videatur. *Henricus Rebdorfius* (Radborfium Bzouius appellat) *qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa præſens videbat, Ducem Saxoniæ Rudolphũ non Ioannem Electorali dignitate præſtantem fuiſſe refert.* Iſtæ ſcilicet machinæ tantæ ſunt, vt tabulas publicas rumpant. Maximis principibus, ſupremo imperij collegio Bzouius Rebdorfium obijcit hominẽ religioſum, intra ſepta monaſterij incluſum, qui res geſtas duntaxat ex fama & priuatorum literis emendicauit, ſcriptiſque tradidit quæ audiuit; & tamen huic homini Bzouius fidem adhibet cõtra quinque Electores, cauſæ ipſius actores, quíque fide publica rem ad ſummum pontificem perſcripſere. Si pars alterutra deſerenda fuit, nónne vnus potiùs, quàm quinque? priuatus, quàm tantis hono-

noribus fulgentes? abſens, quàm præſentes? auritus, quàm oculati rei teſtes? præſertim cum autographum à Gevvoldo viſum noſſes.

Rebdorſius an tum vixerit, 4. At Rebdorſius vtique rerum gnarus fuit, quia eo tempore viuebat, inquit Bzouius. In primis Bzouio fortaſſe aqua hæreret, ſi hæc confirmata cuperem. Nam cùm iſta agerentur, agebatur annus Chriſti 1314. & Rebdorſius deſijt ſcribere anno 1363. ita vt inter hæc tempora intercurrerint anni quadraginta nouem, potuit igitur tribus aut quatuor annis poſt Rebdorſius naſci & nihilominus poſt annum trigeſimum ſuæ ætatis hiſtoriam contexere vſque ad annum domini ſexageſimum tertium, ita vt Bzouius fruſtra ac ſine fundamento affirmet, Rebdorſium hoc tempore vixiſſe.

Scripſerit, 5. Quid dico vixiſſe? ſcribebat etiam, ait Bzouius. Atqui ſi Rebdorſius hoc tempore, nempe anno 1314. ſcripſit, fieri potuit, vt tunc eſſet annorũ circiter triginta, nam rarius quiſquam ſcriptor infra hanc ætatem in lucem prodit. His annis ſi adijcias (ab anno 1314. numerando ſeriem annorum interiectorum, nempe vſque ad annum ſexageſimum tertium) quadraginta nouem; neceſſe eſt Rebdorſium, cùm calamum laſſus poſuit, fuiſſe annorum ſeptuaginta nouem. Quòd ſi anno quadrageſimo ſcriptionem primùm adornaſſet, inueniremus, anno ætatis vndenonageſimo adhuc

chartis

chartis & libris inuolutum, quod ſi Bzouio credibile videtur, nobis probet.

6. Sed nondum finis. Rebdorfius non ſolùm tunc viuebat & ſcribebat, ſed etiam multa præſens videbat. Facetè ſanè; homo cellæ inſuetus, domi ſeſſitans, clauſtro tanquam carcere clauſus, multa præſens videbat, quę Francofordiæ in comitijs procul gerebãtur. Fortaſſe teleſcopio Galilęi munitus, pinnas monaſterij, aut ipſam lunã conſcendit, vt oculis in longinquum eſſet excurſus, fierétq; præſens beneficio inſtrumenti, q corpore abſens erat. *Viderit comitia Frãcofurti.*

7. At verò licet & nobis argumento Bzouiano vti, ſed maiore pondere. Credendum eſt Rebdorfio, quia tunc viuebat. Quæro ex te Bzoui, an non & Electores iſti vixerint, cùm comitijs interſuere? Fortaſſe in tumbis funera eorum comparuere, & regem creauere vmbrę? at Rebdorfius eo tempore ſcripſit. an non etiam Electores ſcripſere decreta? Rebdorfius in monaſterio degens, tamen multa præſens vidit Francoforti. Rectè, ſed ego arbitror plura vidiſſe Francoforti principes, Francoforti præſentes, & ſe mutuò noſſe, noſſe item numerum in Ludouicum inclinantium.

8. Sed quid in annales ſuos retulit Rebdorfius tuus, qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa præſens videbat? Ducem Saxoniæ non Ioannem ſed Rudolphum Electorali dignitate præſtantem *Rudolphus Saxo.*

M fuiſſe.

fuiſſe. Hoc ſanè indicat Rebdorfius, cùm Fridericum ſcribit electum per minorē Electorum partem, atque in his per Rudolphum Saxonem. Sed iam ſupra tibi confirmaui, Rebdorfium aduerſus quinque Electores principes, aduerſus inclitam Francofurtenſem Rempub. aduerſus hiſtoricos, quinq; Ludouico ſuffragia tribuentes audiendum non eſſe.

9. Equidem in ea opinione ſum, & auctores habeo, plures eo tempore Saxones fuiſſe, qui ius Electoratus ſibi vendicarint. Nam continuatores Steronis anno Chriſti M. CCC. XIII. ſeniorem & iuniorem ducem commemorant. *Dux Saxoniæ ſenior,* aiunt, *qui in Epiſcopatum Pataujenſem à ſede Apoſtolica erat deputatus, nondum tamen eandem aſcenderat, ſciens ſe fruſtratum in* electione & perfectione monarchæ, iunioremque Ducem fratrem ſuum timens, eligere volens* Ducem Bauariæ ſuperioris nomine Ludouicum, occaſione electionis gratiæ Apoſtolicæ renunciauit, & quod ſenior erat, illico habilis fuit eligendo.* De iuniore hæc habent, *Iunior Dux Saxoniæ, qui ſe dicebat eſſe in electione, & non fratrem ſuum ſeniorem ob cauſas ſuprà memoratas,* &c.

§. ult.

* iri.

* volentem.

10. En Bzoui, tametſi hi auctores in eo errent, quòd ſeniorem Saxonem pro Friderico facientem affirment, iuniorémque pro Ludouico; tamen ſigni-

gnificant penes ſeniorem ius eligendi fuiſſe, quod & Electores cæteri confirmarunt, qui Iohannem ſeniorem ad ſuum conſeſſum admiſere, nulla habita ratione iunioris, quippe quem nominatim ne vocarint quidē ad comitia, ſicut vocauere Colonienſem & Palatinum refragantes. Certè cùm duo Saxones elegerint & quidem diuerſos, vterq; dignitate electorali præſtare non potuit, ſed vnus duntaxat, nempe ſenior.

11. Secundum pronunciatum. *Ex hoc capite, nempe quòd ex iure eligendi Rudolphus Saxo Auſtriacum deſignarit, Joannem pontificem electionem Ludouici improbaſſe.* Hoc pronunciatum tam verum eſt, quàm vera narratio Rebdorfij de Rudolpho Saxone Electore. Falſum eſt, quod dicis, ſi reſponderi verbo vis. nam Iohannem non Rudolphum Saxoniæ Ducem electorali dignitate præſtantem fuiſſe ſuprà demonſtrauimus.

12. Tertium pronunciatum. *Ioannes Pontifex etiam electionem nullam habuit ob procuratoris Brandenburgici vitiatam ſyngrapham.* Somnia hæc tua ſunt, Bzoui, ſed, patere verbum, planè improba. An pontifex legati perfidiam Ludouico obijcere potuit, cùm nullus legatus fuerit? Oſtendes ſis alibi hanc improbationis cauſam: in libro tuo figmenta reperio. Nihil eſt, nihil eſt, Bzoui, & pudet me calami tui.

13. Quartum pronunciatum. *Rebdorſium viuentem & videntem tunc temporis, aſſerere, Francofordiæ non omnes* Electores *præſentes perſonaliter, ſed alios per literas, alios per procuratores ſuffragationi interceßiſſe.* O os, ô lingua Bzoui! Hæccine Rebdorſius tuus viuens & videns? profectò tu nec viuens, nec videns videris. vbi iſta cõmemorat Rebdorſius? nuſquam, nuſquam, & audes tam audacter? ſed agamus tabulis publicitus oſtenſis,

p.421.32. 14. *Ludvvicus* IV. ait Rebdorſenſis, *iunior filius Ludvvici Ducis ſuperioris Bauariæ ſupranominati, anno domini 1314. in die Beati Lucæ Euangeliſtæ per maiorem partem Electorum imperij, videlicet per duos, Petrum Archiepiſcopum Moguntinum, & Balduinum Archiepiſcopũ Treuerenſem, Iohannem regem Boëmiæ & Waldemarum Marchionem Brãdenburgenſem in Frankenfurt eſt electus ad regem cũ magna potentia armatorum, quos prædicti Electores illuc adduxerant. Et ex oppoſito & in diſcordia Fridericus filius ſenior Alberti quondam regis Romanorum ſupradicti, Dux Auſtriæ ſimiliter eſt electus in regem Romanorum per minorem partem Electorum imperij, videlicet per Hainricum Archiepiſcopum Colonienſem & Rudolphum fratrem prædicti Ludvvici Comitem Palatinũ Rheni & Ducem ſuperioris Bauariæ, & per Ducem Saxoniæ nomine Rudolphum, in oppido Bunnenſi Colonienſis diœceſis, &*

co-

coronatus ibidem, quia tantam potentiam vnitã habere non potuit idem Fridericus, vt in Frankenſurt in termino ad eligendum comparere auderet. Præfatus autem Ludouicus ſtatim poſthac in die Beatæ Catharinæ immediatè ſequenti Aquiſgrani per ſuos Electores etiam extitit coronatus.

15. Hactenus Rebdorſius, in quo nihil tui pronunciati: & meritò laborabit fides tua, quamdiu in Rebdorſio non oſtendes Principum quoſdam per legatos comparuiſſe. Inuenio hoc quidem non in Rebdorſio, ſed in continuatoribus Steronis. *Quidam* Electorum, aiunt iſti, *in Frankenſurt, aliqui per literas, aliqui in locis ſibi competentibus* &c. Pag. 408. 19.
Quid ſimile Rebdorſius? imò video aliquid ſimile, ſed vnà tuam ineptiã. Quàm leui tu tantus ſcriptor muſcipula deprehenſus es? typographus te fortaſſe in caſſes induxit; is continuatores ſimul & Rebdorſium continuatis chartis vulgauit typis, & antequã inchoaretur Rebdorſius, per aliquot antecedentia folia in ſupremâ papyri orâ nomẽ Rebdorſij poſuit, quaſi iã Rebdorſius loqueretur, cùm tamen continuatorum ſcripta nondum finirẽtur. Quod ſi ita euenit, error tuus puerilis eſt, ſed non ferendus in eo hiſtorico, q̃ accuratiſſimo ſucceſſit.

16. Quintum pronunciatum *Ex eo quod principes non omnes perſonaliter Frankofordiæ, ſed per legatos ſuffragationi interceſſerint, dolo malo datam*

occaſionem ex mente Rebdorfij. Siniſter tuus in Ludouicum affectus dolo malo cauſam dat. Rebdorfius nihil ſimile vidit ſcripſitue, ſed tu excogitaſti hanc cauſam. Neque verò continuatores vel minuto apiculo inſinuant, per abſentiam principum datã eſſe cauſam dolo malo, imò nec ipſi nec Rebdorfius meminere vllius doli commiſſi, nec militis quidem Brandenburgici.

17. Si tanti tibi eſt Rebdorfius hoc tẽpore viuẽs & videns, vt propterea ei fides habẽda ſit; quid cauſæ eſt, cur ab eo abeas, cùm ait Ludouicũ per maiorem partem Electorum regẽ deſignatum? tu certè à viuente & vidente diſcedis cæcus, quãdo infrà ſcribis Ludouicũ à minore parte electũ. Quid videtur tibi? rectène vidit Rebdorfius, cùm Rudolphũ Saxonem eligentem vidit? & viſu falſus eſt, quando plures Electores Ludouici vidit, quàm tu videas?

18. Sextum pronunciatum. *Inſequentium annorum narratio à publicis monumẽtis deſumpta, declarabit electionem Ludouici vitioſam.* Quomodo, Bzoui, vana de præteritis locutus es, ita & in futurũ vaticinaris. nam nulla vnquam publica inſtrumenta proferes, quæ vitioſam Ludouici electionem teſtatura ſint; & refricabo tibi memoriam ſuo tempore, ſed non ſine nota tua. Et quid porrò tu nobis publica monumenta minaris, qui publica monumẽta etiam autographa aduerſum te prolata tã leui telo

re-

repellis? Præuideo te bullis pontificum confidere. non malè profectò, ſi eas intelligeres. nam quando illæ identidem repetunt, Ludouicum in diſcordia [*Anno 1323. IV. col. 413.*] electum, addunt inſuper, *vt dicitur*, quo ipſo ſigni- [*m. an. 1346 IX. §. 3. col.*] ficant, rumore acceptum in electione vitium, non [*984. §. 2.*] ordine ad iuſtum tribunal probatum: niſi tu fortè [*v. 4. & alibi.*] exiſtimes famam & rumorē vulgi in epiſtolis pontificum expreſſum, non eſſe rumorem vulgi. Si pōtifices dicerent, *Reperimus in diſcordia electū Ludouicum, cognouimus electionem vitioſam*; haberes argumentū planè cauſę tuæ, ſed cùm dicāt, *vt dicitur, vt fertur*, nihil inde deducere potes, niſi præter hiſtoricum prauū, malum Dialecticum profiteri te velis. Accedit quòd pontifices non ſatis explicant diſcordiā illam, an cum electionis vitio iuncta fuerit; potuerúntque tantùm velle, Ludouicum non ab omnibus omnino Electoribus fuiſſe electum, nam ſi ab omnibus fuiſſet electus, minùs ei pontifex negare comprobationem debuiſſet.

19. Poſtquam Bzouius Ludouici electionem infamia aſperſit, de iure ſeptemuirorum multa declamat, aitque plures aliquando principum extra Electorum collegium etiam imperatores elegiſſe, non iure ſeptemuirali ſed optando vel proponendo: & ſubiungit, *Ad eum modum & in Ludouici* [*Col. 252. poſt m.*] *Bauari ſuffragia præter aliquos ex ſeptēuiris alij pro-* [*XIX. ſ.*] *ponendo ſeu nominando ſeu etiā conſentiendo iuerunt,*

ſtante

ſtante ſua iuriſdictione eligendi ſeptemuiris à ſede Apoſtolica olim dignatis. Sed nos ad alia. Hæc Bzouius, qui ante hæc ad alia abire debebat, iuiſſet certè inoxius & ſine flagris, nunc nō niſi pulſatus profugiet. Compertum eſt Bzouio, plures ex antiquioribus memoraré Ludouicũ à maiore parte electũ: quod cùm inuitis oculis legat, nec radere poſſit, videtur eò tacitè collimare, vt perſuadeat à pluribus quidē electum, ſed non iure ſeptemuirali, verũ optando tantùm, proponēdo ac ſuadendo. nam huc videntur pertinere Bzouiana verba, *Ad eum modum & in Ludouici Bauari ſuffragia præter aliquos ex ſeptemuiris alij iuerunt.* Effundit bucca quibus impletur. Qui Ludouicum à maiore parte deſignatum Cęſarem referunt, referunt vnà plures Electores legitimos, quiq; ex vi ſui muneris ac iuris eligere poſſunt ac debent. Et mirari vehementer ſubit, ex qua obſoleta ſcheda ſumpſerit Bzouius, alios quoq; principes in ſuffragia Ludouici iuiſſe; enumeret quęſo hos ſuffragatores: qui ſunt illi & quot? imò vnũ nominet. Vnicum præter Electores adfuiſſe Marchionis Brandenburgici patruum ex literis Francofortenſium didicimus; neq; tamen ipſum ex ſuffragatoribus fuiſſe, Bzouius enunciare audebit. Indicentur igitur alij principes, qui ſua vota contulere Bauaro: indicentur. Peto à Bzouio, quæ fieri non poſſunt, quia ipſe quæ facta non ſunt, ſcripſit.

ANNVS

ANNVS CHRISTI
1 3 1 5.
Ludouici Imperatoris ſecundus.

SECVNDVM BELLVM LVDOVICO à Friderico illatum.

1. BZouius. *In Germania de ſumma imperij Ludouicus Bauarus & Fridericus Auſtrius depugnabant. Illum Archiepiſcopus Treuirorum, qui non potuit, Aquisgrani; hunc Archiepiſcopus Colonienſis Bonnæ, in loco in quo non debuit, diademate ferreo ornatum, Regem Rom. renunciauit. Ludouico inferiores ciuitates Rheni, ſuperiores Friderico parebant. Berna & Solodora neutrum curabant. Sueuiam cogitabat primò Fridericus occupare. Quamobrem Leopoldi fratris copijs auctus, Spiram magno exercitu cinxit. Neque minorem militum numerum Ludouicus conſcripſit; ſed longè tamen viribus inferior fuit. Cùm Leopoldus Spiram, Auguſtam, Landspergium cœpiſſet, multáque in ſuperiori Bauaria igni vſſiſſet. Ludouicus aduerſarijs impar in F. Rudolphum Palatinum Rheni ſæuire voluit, bonisq; omnibus illius publicatis in Angliam fugere coëgit, quòd is ſuffragium in Fridericum tuliſſet, eúmque armis* N.11 col. 270.§.2.

N iu-

iuuaſſe (ſic enim lego in Bzouio, vt & multa eiuſmodi alia) *diceretur*.

Obſeruabo morem meum, & Bzouianæ orationis ſeriem in pronunciata partiar.

2. Primum pronunciatum. *Coronatum Ludouicum Aquisgrani, Fridericum Bonnæ.* An hæc coronatio in hunc annum inciderit, iudicet is, qui tum viuebat, ſcribebat, & multa præſens videbat Rebdorfius, qui ſic infit, *Præfatus autem Ludvvicus ſtatim poſthac* (nempe poſt electionē anno 1314.) *in die Beatæ Catharinæ virginis immediatè ſequenti Aquisgrani per ſuos Electores etiam extitit coronatus.* Hæc Rebdorfius, quem, miror, cur tu non præferas Nauclero, qui coronationem anno hoc ad Epiphaniam Domini peractam commemorat. Auſus es ſuprà Rebdorfium anteferre imperij principibus, & iam eum deſeris ob longè minorem Naucleri auctoritatem.

P.421. v.45.

Generat. 44. anno 1315.

3. Secundum pronunciatum. *Ludouicum à Treuirenſi, qui non potuerit; Fridericũ in loco, in quo non debuerit, coronatum.* Iterum memoriæ me miſeret tuæ. Fridericum iure regijs inſignibus ornatũ [a] ſcripſeras; Ludouicum verò Aquisgrani non legitimè coronatum & hîc & alibi [b] ſignificas, quòd nō à Colonienſi, cui id [c] iuris erat, ſed contra priſcum vſum à Treuirenſi Archiepiſcopo primum diadema regium accepit. Hoc ergo eſt quod hîc decernis

a pag. 242. §. 1. f.

b an. 1328. VI. f. X. pr. col. 518.

c Aurea bulla c. 4. n. 4.

cernis, & quaſi ſic loqueris, Etſi Ludouicum Archiepiſcopus Treuirorum, qui non potuit, Aquisgrani; Fridericum Colonienſis Bonnæ in loco in quo non debuit, diademate ornauit: Fridericus tamen legitimè coronatus cenſetor, Ludouicus non item. Cur, quando vterq; cõtra priſcum vſum? Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione, quæ ſæpe me deſtituit, voluntas, quæ eò plus valere hîc debet, quòd Fridericus nec electus nec coronatus eſt loco, quo debuit; Ludouicus verò aliena iniuria, quæ ei obeſſe non debuit, loco quo non debuit coronatus; quódque egomet ipſe [a] rationem regni & imperij Romanorum ſuſcipiendi aduerſus eundẽ Ludouicum ex Carolo [b] Sigonio explicaturus dicã, *Conſecrationis*, quæ cum coronatione coniuncta eſt, *ius ad Moguntinum antiſtitẽ, qui Germaniæ Metropolitanus & regni Cancellarius erat, delatũ eſt; quamuis Treuirenſis id munus ſibi vendicaret, quòd Eccleſia ſua ceteris antiquitate præſtaret; Colonienſis verò, quòd ea conſecratio in ſuis finibus fieret*. Iam autem Ludouicus non modò à Treuirenſi, quod hoc loco dixi; ſed etiam à Moguntino [c], quod nõ dixi (ac proinde illud Sigonij dictum hîc non moror) coronatus eſt. Sic decreui ego Abrahamus Bzouius. Sanè lepidum Ludouicus eſt nactus aduerſarium, cui non tanta cum ipſo, quanta ſecum contentio eſt. Pro Ludouico aërem plerunque verberat, ſe tãgit.

[a] An. 1328. VI. f. col. 518.
[b] 7. Regn. Ital.
[c] Argent. 119. §. 3.

iuuaſſe (ſic enim lego in Bzouio, vt & multa eiuſmodi alia) *diceretur.*

Obſeruabo morem meum, & Bzouianæ orationis ſeriem in pronunciata partiar.

2. Primum pronunciatum. *Coronatum Ludouicum Aquisgrani, Fridericum Bonnæ.* An hæc coronatio in hunc annum inciderit, iudicet is, qui tum viuebat, ſcribebat, & multa præſens videbat Rebdorfius, qui ſic infit, *Præfatus autem Ludvvicus ſtatim poſthæc* (nempe poſt electionē anno 1314.) *in die Beatæ Catharinæ virginis immediatè ſequenti Aquisgrani per ſuos Electores etiam extitit coronatus.* Hæc Rebdorfius, quem, miror, cur tu non præferas Nauclero, qui coronationem anno hoc ad Epiphaniam Domini peractam commemorat. Auſus es ſuprà Rebdorfium anteferre imperij principibus, & iam eum deſeris ob longè minorem Naucleri auctoritatem.

p. 421. n. 45.

Generat. 44. anno 1315.

3. Secundum pronunciatum. *Ludouicum à Treuirenſi, qui non potuerit; Fridericũ in loco, in quo non debuerit, coronatum.* Iterum memoriæ me miſeret tuæ. Fridericum iure regijs inſignibus ornatũ [a] ſcripſeras; Ludouicum verò Aquisgrani non legitimè coronatum & hîc & alibi [b] ſignificas, quòd nõ à Colonienſi, cui id [c] iuris erat, ſed contra priſcum vſum à Treuirenſi Archiepiſcopo primum diadema regium accepit. Hoc ergo eſt quod hîc decernis

a pag. 242. §. 1. f.

b an. 1328. VI. f. X. pr. col. 518.

c Aurea bulla c. 4. n. 4.

cernis, & quaſi ſic loqueris, Etſi Ludouicum Archiepiſcopus Treuirorum, qui non potuit, Aquisgrani; Fridericum Colonienſis Bonnæ in loco in quo non debuit, diademate ornauit: Fridericus tamen legitimè coronatus cenſetor, Ludouicus non item. Cur, quando vterq; cõtra priſcum vſum? Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione, quæ ſæpe me deſtituit, voluntas, quæ eò plus valere hìc debet, quòd Fridericus nec electus nec coronatus eſt loco, quo debuit; Ludouicus verò aliena iniuria, quæ ei obeſſe non debuit, loco quo non debuit coronatus; quódque egomet ipſe [a] rationem regni & imperij Romanorum ſuſcipiendi aduerſus eundẽ Ludouicum ex Carolo [b] Sigonio explicaturus dicã, *Conſecrationis*, quæ cum coronatione coniuncta eſt, *ius ad Moguntinum antiſtitẽ, qui Germaniæ Metropolitanus & regni Cancellarius erat, delatũ eſt; quamuis Treuirenſis id munus ſibi vendicaret, quòd Eccleſia ſua ceteris antiquitate præſtaret; Colonienſis verò, quòd ea conſecratio in ſuis finibus fieret*. Iam autem Ludouicus non modò à Treuirenſi, quod hoc loco dixi; ſed etiam à Moguntino [c], quod nõ dixi (ac proinde illud Sigonij dictum hìc non moror) coronatus eſt. Sic decreui ego Abrahamus Bzouius. Sanè lepidum Ludouicus eſt nactus aduerſarium, cui non tanta cum ipſo, quanta ſecum contentio eſt. Pro Ludouico aërem plerunque verberat, ſe tãgit.

[a] *An. 1328. VI. f. col. 518.*

[b] *7. Regn. Ital.*

[c] *Argent. 119. §. 3.*

4. Tertium pronunciatum. *Ludouicum Fridericúmque diademate ferreo ornatum.* Ferreo etiam ore riderem, niſi natura mollius dediſſet: quid tu cum ferreo diademate, lepidiſſime ſcriptorũ Bzoui, in Germania? Quis neſcit Germaniæ coronam ex argento fabrefactam? Et potuiſſes tu hocipſum
N. VII. col. 519. ante m. ex te ipſo diſcere: ſcribis enim Anno Chriſti 1328. hunc in modum ex Sigonio, *Coronam Germanicã in omnibus commentarijs argenteam fuiſſe inuenio. Italiam autem ingreſſus* nouus Rex *rectà Mediolanum adibat. Ibi verò Archiepiſcopus ad reliqua inſignia ferream ei coronam imponebat.* Fridericum verò ferrea Bonnę coronatum, ait Bzouius, ſed quo auctore?

5. Quartum pronunciatum, *Sueuiam cogitaſſe Fridericum, ideóque Spiram magno exercitu cinxiſſe.* Nempe Spiram Bzouius è Nemetibus in Sueuiam gigantum ope iam tum ante 300. & quod excur-
[a] p. 119. §. 5. [b] p. 460. poſt med. rit, annos tranſtulerat. Porro Argentinas,[a] & Cuſpinianus[b] in Friderico ſcribunt, Ludouicum cedere Leopoldi exercitui coactum fuiſſe: de obſidione nulla mentio, vti nec apud Trithemium.

6. *Fridericus Sueuiam*, inquit Nauclerus, *ſuo dominatui conatus adijcere, quarundam ciuitatum fauore Eſſelingam* (pro qua Bzouius egregius Geographus & Germaniæ locorum Nauclero peritior Spiram ſuppoſuit) *obſedit, vnde pauco pòſt tempore*

vires

vires aucturus diſceßit, & ſequenti anno opidum repetens, occupato interim apud ſuos Ludouico obſidionem magnis copijs communijt. Tum Ludouicus auxilijs Boëmi Regis & Epiſcopi Treuiri hoſti occurrit, inita pugna ad flumen Neccarum, vterq; exercitus magna incommoda paſſus eſt. Nemo ergo præter Bzouium Spiram exercitu cinctam ſcribit.

7. Quintum pronunciatum. *Non minorem militum numerum Ludouicum contraxiſſe, longè tamen Friderico inferiorem fuiſſe.* Nimirum quia non viros, ſed fœminas conſcripſerat, atque ideo etiam *victor euaſit & Fridericum aduerſarium cum ſuis fugere turpiter compulit,* auctore [a] Trithemio, quem Bzouius & hîc teſtem laudauit, & [b] alibi virũ grauem, ſanctum, & omni fide maiorem vocauit. Inter pugnas, vt video, ſecum ipſe pugnat.

[a] *In Hirsaug. & Spõheim.*

[b] *an 1313. XVIII. col. 215. & 217.*

8. At verò cùm hoc eodem anno memorabile prælium inter vtrumque electum contigerit, vix tibi ignoſci poteſt, quòd illud ſilentio inuoluas, præſertim cùm præter Nauclerum & Cuſpinianum, etiam id Rebdorfius tuus, qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa etiam præſens videbat, commemoret his verbis, *Anno ſecundo regni ſui bellum habuit* Ludouicus *cum Friderico prædicto iuxta Ezlingen in fluuio Neccaro, in quo plures ab vtraque parte ſunt occiſi, & quiuis ab alio diſceßit.* Hæc Rebdorfius. Certè adeo cruentã fuiſſe hanc pugnam ferunt,

pag. 422. §. 4.

a Argentin. p. 120. §. 3. Cuſpin. in Frid. pag. 461. v. 4. b Fol. 119. § 3. f.

[a] vt fluctus Neccari cæſorum ſanguis colorarit.

9. Sextum pronunciatum. *Leopoldum Spiram & Auguſtam cepiſſe.* Figmenta rurſus ſua recenſet Bzouius. Argentinas [b] hæc habet, *Lupoldus autem villas Spirenſium & aliorum inibi aduerſariorum comburens aſcendit.* Itaque vt compendio rem dicam, Villas Spirenſium comburere, eſt Spiram ciuitatem capere. Pergit Argentinas, *Tranſiuit poſthac ipſe Leopoldus iuxta Auguſtam flumẽ Lech, & in ſuperiore Bauaria multa & inter alia oppidum* Landsperg *per ſe victum, ignis incendio deuaſtauit.* Iterum vnam phraſin addiſco Bzoui, te doctore; Tranſire iuxta Auguſtam Lechum, eſt Auguſtã capere; iuxta Romam tu ſæpius pontem Miluium tranſiuiſti, & ſtatim Romam cepiſti, magnus belli terror.

p. 460. 33. c Lech.

10. Cuſpinianus Argentinenſi cõſentit. In Friderico Pulchro ita ſcribit, *Valles Spirenſium hoſtium ferro ignéque populatus* Leopoldus *ad Auguſtã peruênit. Lycum* [c] *fluuium tranſiens Bauaros deuaſtare non ceſſauit, oppidúmque* Landſperg *flammis abſumpſit.* Hæc ille, nihil de Spira Auguſtáque capta.

In Chron. Hirſaug. An. 1315.

11. Trithemius ita memorat, *Lupoldus frater Friderici in circuitu* iuxta Spirã *villas complures incendio cremauit, & multa pauperibus intulit damna.* Sed vbi occupatæ à Leopoldo vrbes Spira & Auguſta?

12. Superſunt ex auctoribus tuis Nauclerus, qui neque Spiræ neque Auguſtæ meminit, & Iacobus

bus Moguntinus, quem equidē magna cupidine ex tua officina ſpectatum cuperem, quia cùm eum Geſnerus Germanus nō niſi ex Nauclero deſcribat, *In Biblioth.* nec nos Germani Germanicum ſcriptorem habeamus, ac tu quoq; eundem anno præcedente nō niſi *N. XII. f.* ex Nauclero referas; ſatis conſtat, te eum non vidiſſe, niſi per fragmenta apud Naucleum: vbi igitur iam ipſummet à Nauclero duobus alijs auctoribus interpoſitis diremptum, manicis aut lacinia prenſaſti, vt in lucem reduceres? Fumum vendis Bzoui, nos nihil emimus, nec credimus Iacobum hūc apud te viuere, multò minùs id ſcribere, quod tu ſcribis.

13. Septimum pronunciatum. *Ludouicum aduerſarijs imparem in fratrem Rudolphum, quòd is ſuffragium in Fridericum tuliſſet, eúmque armis iuuiſſe diceretur, ſæuiſſe, eundémque ex prouincia ſua fugaſſe bonis publicatis.* Ne hoc quidem firmum. Iuſtitia Bzouio ſæuitia eſt, & neque hoc anno, neque hac cauſa pulſus eſt Rudolphus; extant enim literæ in tabulario Sereniſſimi Ducis noſtri, initæ ab vtroque fratre pacis teſtes, offenſis & iniurijs vtrinque ſepultis, datæ ſeptimo ab electione mēſe, & quidem hoc anno. Quare longè rectiùs tradit Nauclerus, Ludouicum in Rudolphum fratrē armis demum iuiſſe anno decimo octauo ſeculi decimi quarti. *Anno*, inquit, M. CCC. XVIII. *Ludouicus*

eus regni ſui quinto in Bauariam redijt, vbi Rudolphum fratrem ſuum perſequitur, eò quòd Friderico aduerſario ſuo adhæſit, ipſúmque Rudolphum à medietate ferè terra ſua eiecit cum coniuge ſua, filia Adolphi quondam regis, qui ad terram Auſtria ſe receperunt, in qua tanquam exules manſere vſque ad mortem Rudolphi Ducis. Verùm alij dicunt, Rudolphũ fuiſſe proſcriptum à Ludouico in Angliam, vbi vſq; ad vita terminum in magna paupertate manens moritur. Hactenus Nauclerus.

In Hirſaug. an. 1314. §. vlt. 14. Similia ſcribit Trithemius. Vtriuſque auctoris non ſolùm verba ſed ſenſum quoq; ex more corrumpis, cùm ais, *quòd eum armis iuuaſſe diceretur*, quaſi non ſuam ſententiam ſed incertum vulgi rumorem (hunc enim apud te verbum *dicendi* & ſimilia ſignificant) expoſuiſſent.

p.225.15. 15. Mutius hæc de eadem re, *Duxit quoq;* Ludouicus *exercitum in Bauariam aduerſus* Rudolphum *fratrem ſuum, quoniam, vt diximus, fouebat Friderici partes. Diſtinebat interea alio loco Fridericum, ne poſſet Rudolpho ſuccurrere. Cùm igitur in Bauariam perueniſſet inexpectatus hoſtis*, Rudolphũ *inuenit imparatum, & aduentu eius territa vrbes & arces cùm nullum viderent praſens auxilium, dederunt ſe, eiectúſque eſt cum tota ſua familia Rudolphus. Confugit autem ad Ducem Auſtria, ſpe ſuſpenſus, Fridericum breui eum reducturum in ſuum*

duca-

Digitized by Google

ducatum: ſed vana fuit ſpes, Friderico enim negotia grauiora & magis vrgentia inciderunt, ex quibus antequam ſe extricauit Fridericus, defunctus eſt vita Rudolphus Dux.

16. Suſpicari pronum eſt, Rudolphum aut palàm tantùm fratri reconciliatum deuotúmque, clàm autem Auſtriaco ſtuduiſſe, aut certè poſt pacem ex ſincero compoſitam ad ingenium redijſſe, & vt dicit Nauclerus, Friderico adhæſiſſe, nam ſemel exacerbatis fratrum animis difficile eſt omnes cicatrices obducere, cùm præſertim oculi mortalium parùm æquè in alio videant, quod in ſe mallent. Quòd verò Bzouius addit, Ludouicum fratris bona publicaſſe, hoc nos non neſcimus; ſed ſcimus, eadem etiam poſtea filijs reſtituta; & gaudet adhuc hodie Ludouici clementiâ, Rudolphi poſteritas imperij ſceptro Imperatorib. præferendo, ſeptemuiratúſque honore inſignis.

ANNVS CHRISTI
1316.
Ludouici Imperatoris tertius.

a N.I.&II. I. BZouius hoc anno a electionem Iohãnis XXII. Pontificis dum recenſet, auctores rei geſtæ b Ciacon. p. 681. v. 5. Maſſon. in Ioan. 22. prope init. nominat, quorum veſtigijs, cùm quædam b omittat, non vbique inſiſtit. Et licet de induſtria Iohãni nonnunquam parcat, imò extollat, vt Ludouicus eò magis deprimatur, periurij tamen eum apertè inſimulat: quam ego laudem nolim mihi vel ab inimico tribui. Sed ego camerinam hanc non moueo; pergo ad inſtitutm.

N.IV. col. 277. 2. Bzouius. *Facile fuit Matthæo Vicecomiti ferociam in aduerſarios Guelfos explicare, quòd is à Ludouico Bauaro titulum vicarij imperij in vniuerſa Italia ſibi rite collatum eſſe exiſtimaret, illúmque verum ac legitimum imperatorem electũ eſſe putaret. Nam & hic quò ſibi ſuíſque in Italiam iter aperiret, atque adeò ad imperij inſignia totiúſque Italiæ dominium aſſequendum facilitatem præoccuparet, incitantibus Germanis à caſibus Henrici irritatis, nihil aliud animo verſabat, quàm vt Gibellinos cõtra Guelfos armaret, ac vtraſque factiones ad inuicem committeret, ſpecie quidem Gibellinos defendendi, reuerà autem, Italiæ, & vrbis Romanæ per abſentiam pontificum occupandæ. Iſtud altâ mente cum ei repoſitum eſſet, nihil etiam eorum prætermiſit, quæ ad ſtudium occultum tegendum, pontificémque recens electum demerendum facere arbitrabatur. Quamobrem cùm in arroganda imperatoria dignitate & vicarios prouin-*

Digitized by Google

uincijs & præfectos vrbibus imponeret, non niſi pacis publicæ mentionem inijciebat, clam autem Gibellinis animos & ſpes faciebat, quibus illi concitati quieſcere contra Guelfos neſciebant; maximè quod futurum cenſerent, vt Iohannes pontifex Clementis V. exemplo eam electionem imperatoris Romani probare deberet. Nam per id temporis Ludouicus Bauarus vulpizans, ad Iohannem ſummum antiſtitem nuncios deſtinarat, qui confirmationem cuiuſcuius electionis, & reliqua inaugurationis Rom. imp. ipſi illi flagitarent. Non potuit quicquam Johannes Ludouico tam properè concedere, quòd Fridericus competitor à ſaniore parte electus vitioſam ac fraude dolóque contaminatam electionem Bauari aſſereret, ſéque rite & legitimè, & ſecundum Brandenburgici votum à maiore parte electum fuiſſe, fraudémque Nicolai Bockij militis ſibi non poſſe officere oſtenderet; ideóque iure merito à ſede imperij inſignia poſtularet. Jllud etiam Ioannem Pontificem, aliquantum offenderat, quòd Ludouicus armis, non iure, de iure imperii cum Friderico decerneret, & præcipiti temeritate prouinciis & vrbibus Italiæ Gubernatores vicarióſque præponeret, adeóq; ius ad imperium præoccuparet, ac quod grauius eſt, eos qui ab Eccleſiæ partibus ſtabant, depreſſum iret. Itaque cùm & ille & Fridericus conſenſum ſedis Apoſtolicæ & reliqua imperij conſequendi ſolemnia ab Ioanne per nuncios exigerent, non qui-

dem ea quæ Ludouicus præſeferebat, abrogauit, neq; Friderici electionẽ pramaturè comprobauit, ſed vtriq; diem dixit, vt id quicquid iuris vel facti pro ſe quiſque adduceret, apud ſedis Apoſtolicæ ſubſellia cognoſceretur; cùm penes Romanũ Pontificem in Chriſtianos Imperatores, ſi Chriſti oues audire volunt atq; eſſe, tanquam penes ſupremum paſtorem ſummã poteſtatem eſſe Chriſtus voluerit, & Romanũ imperium primum in Francos, deinde in Germanos non ſanguinis, nõ dotis, non venditionis, aut permutationis, aut quouis humani cõmercij titulo, ſed nec armis, ſed ſolâ vnius pontificis Romani auctoritate fuerit deriuatum; cum nõ vnquã repudiata cõditione reſeruatæ naturalis plenariæ poteſtatis penes ſucceſſores Romanos pontifices cognoſcendi, quẽ, quomodo, cui fini, idoneũ, vel ſecus, rite vel ſecus, bono vel damno Reipublicæ Chriſtianæ, Electores, non alij, plures, non pauciores, legitimè ac ſine vitio Imperatorem deſignarint. Cuſp. in Lud. Bauaro. Naucl. volum. 2. generat. 44.

3. Primum Bzouij pronunciatũ. *Matthæum Vicecomitem à Ludouico imperij in vniuerſa Italia vicarium fuiſſe conſtitutum.* Hoc pronunciatũ, vti & ſequẽtia pleraque, Bzouij proprium eſt, qui proinde Cuſpiniano & Nauclero ſe vel primũ paulò antè adſcribere debebat, vt vnicum ferè omnium dictorum auctorem. Quid? ſi Ludouicus Matthæum Vicecomitem imperij vicarium inſtituiſſet, id

ei

ei Iohannes in epiſtola anni 1323. à Bzouio ibidem *N.IV.*
allata non potius obieciſſet, quàm quòd Matthæi
filijs Galeatio & eius fratribus ſe exhibere fautorē
& defenſorem contra Romanam Eccleſiam nō ſit
veritus, vt in eadem epiſtola dicitur, & à Ludouico *§.2.ante m.*
in appellatione [a] anni 1323. à nobis ibidem reci- [a] *§.7.*
tanda repetitur? Matthæo enim hoc ipſo anno, *N.III.*
vt Bzouius memorat, Iohannes Pontifex anathe- *poſt m.*
matis ſpiculum intorſerat, atque vniuerſæ Medio-
lanenſium ciuitati ſacris interdixerat, & ſequen-
tibus annis per ſe & ſuos contra eundem Matthæ-
um graues proceſſus inſtituit, & promulgauit eo-
dem Bzouio [b] auctore. Ac videtur Ludouicus [b] 1317 IX. X.
Friderici armis vſque ad III. Kal. Octobres anni 1318. II.
1322. exercitus, non tantùm habuiſſe otij, vt res 1319. III. 1320. II.
Italicas curaret, & Matthæus eodem anno 1322. 1321. II.
vt Bzouius [c] narrat, ad VI. Kal. Iul. extinctus fuit, 1322. VI. VII. IIX.
cùm Fridericus nōdum à Ludouico ſupremo præ- [c] *Ibidem N. XIII.*
lio ad finem Septembris victus eſſet. *poſt m.*

4. Secundum pronunciatum. *Matthæum vicecomitem à Ludouico Bauaro titulum Vicarij imperij in vniuerſa Italia ſibi rite collatum exiſtimaſſe.* Hoc quoque Bzouius ſine teſte finxit, vt ex primi confutatione liquet. Solebant Romani Cæſares cùm aut alibi degerent, aut Italia excederent, prouincijs vicarios imponere, qui ex æquo bonóque reipublicæ præeſſent. Quare & Ludouicus hunc

non iniuria morem ſecutus, vbi legitimo titulo ad imperium peruênit, vicarium imperij per Italiam dicere potuit Matthæum vicecomitem, qui tum meritò etiam exiſtimauit, ſibi eum titulum rite collatum ab imperatore rite electo.

5. Tertium pronunciatum. *Matthæum in ea fuiſſe ſententia, vt Ludouicum verum ac legitimũ imperatorem electum putaret.* Hìc quoque nil niſi teſtem deſidero, nam ſi ita Matthæus ſenſit, rectè ſenſit.

6. Quartum pronunciatum. *Ludouicum vt iter ſibi in Italiam aperiret, & Italiam Romámque abſente pontifice occuparet, ſpecie Gibellinos defendendi, inter ſe factiones commiſiſſe &c.* Apparent ſtricturæ Bzoui, è malè affecto animo promicantes, omníque teſtimonio deſtitutæ. quanquam enim Ludouicus per electionem Italię dominus deſignatus, meritò de ea (quantùm erat imperio obnoxia) occupandíque modo cogitaſſet, ſed quòd reipſa cogitarit, ac præſertim quòd nihil aliud animo verſarit, quàm quomodo Gibellinos contra Guelphos committeret, quo auctore Bzouius hæc ſcribit? Cuſpinianum & Nauclerum auctores facit, & neuter huius vel verbo meminit: ſi ſcripſiſſet Bzouium ita poſteris tradere, crederem.

7. At verò multò atrocior iniuria eſt, quod Bzouius dicit Ludouicum partes Italicas inter ſeſe com-

commiſiſſe, ſub ſpecie Gibellinos defendendi, vt Italiam vrbémque dominam per abſentiam pontificis occuparet. Iniuria inquam hæc eſt, quā Bzouius nunquam purgabit, niſi reuocando. Nec Cuſpinianus nec Nauclerus iſta denarrant, & tamen eos iſta narrare dicit Bzouius. Sed fortaſſe huius rei alios auctores habet? quid igitur alios non nominauit? maluítne in falſis quàm in veris deprehendi?

8. Eam Italiæ partem, quæ ad imperium pertinebat, deſtinaſſe Ludouicum ſibi ſubijcere, nullus ambigo: Romam verò aliásque pontificis prouincias cogitaſſe armis ſibi ſubijcere, Bzouio oſtēdendum eſt, ſed ex alijs auctoribus: his quos citat, falſum imponit.

9. Quintum pronunciatum. *Arrogaſſe ſibi Ludouicum imperatoriam dignitatem, & altamente repoſuiſſe propoſitum occupandæ Vrbis & Italiæ, & ideò ſtuduiſſe demereri pontificem, pacis publicæ mentionem inijcere, clam Gibellinis ſpem facere, &c.* Arrogati imperij repetitam calumniam iam ſuprà depulimus. Verùm qui ſcit Bzouius tam altè Ludouico repoſitum fuiſſe, vrbem terráſque non ſuas capere, cùm eius auctores id non meminerint? Deinde placet mihi, quòd Ludouicus nihil prætermiſerit ad pontificē demerendum: ſed hac ipſa de cauſa meruiſſet impetrare, quòd petebat. Nec verum *Anno 1314. c. 2. n. 2. & ſeqq.*

Digitized by Google

iuuaſſe (ſic enim lego in Bzouio, vt & multa eiusmodi alia) *diceretur*.

Obſeruabo morem meum, & Bzouianæ orationis ſeriem in pronunciata partiar.

2. Primum pronunciatum. *Coronatum Ludouicum Aquisgrani, Fridericum Bonnæ.* An hæc coronatio in hunc annum inciderit, iudicet is, qui tum viuebat, ſcribebat, & multa præſens vi-
P.421. v.45. debat Rebdorfius, qui ſic infit, *Præfatus autem Ludvvicus ſtatim poſthæc* (nempe poſt electionē anno 1314.) *in die Beatæ Catharinæ virginis immediatè ſequenti Aquisgrani per ſuos Electores etiam extitit coronatus.* Hæc Rebdorfius, quem, miror,
Generat. 44. anno 1315. cur tu non præferas Nauclero, qui coronationem anno hoc ad Epiphaniam Domini peractam commemorat. Auſus es ſuprà Rebdorfium anteferre imperij principibus, & iam eum deſeris ob longè minorem Naucleri auctoritatem.

3. Secundum pronunciatum. *Ludouicum à Treuirenſi, qui non potuerit; Fridericū in loco, in quo non debuerit, coronatum.* Iterum memoriæ me miſeret tuæ. Fridericum iure regijs inſignibus ornatū
a pag. 242. §. 1. f. [a] ſcripſeras; Ludouicum verò Aquisgrani non legi-
b an. 1328. VI. f. X. pr. col. 518. timè coronatum & hîc & alibi [b] ſignificas, quòd nō
c Aurea bulla c. 4. n. 4. à Colonienſi, cui id [c] iuris erat, ſed contra priſcum vſum à Treuirenſi Archiepiſcopo primum diadema regium accepit. Hoc ergo eſt quod hîc de-

cernis

cernis, & quaſi ſic loqueris, Etſi Ludouicum Archiepiſcopus Treuirorum, qui non potuit, Aquisgrani; Fridericum Colonienſis Bonnæ in loco in quo non debuit, diademate ornauit: Fridericus tamen legitimè coronatus cenſetor, Ludouicus non item. Cur, quando vterq; cõtra priſcum vſum? Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione, quæ ſæpe me deſtituit, voluntas, quæ eò plus valere hìc debet, quòd Fridericus nec electus nec coronatus eſt loco, quo debuit; Ludouicus verò aliena iniuria, quæ ei obeſſe non debuit, loco quo non debuit coronatus; quódque egomet ipſe [a] rationem regni & imperij Romanorum ſuſcipiendi aduerſus eundẽ Ludouicum ex Carolo [b] Sigonio explicaturus dicã, *Conſecrationis*, quæ cum coronatione coniuncta eſt, *ius ad Moguntinum antiſtitẽ, qui Germaniæ Metropolitanus & regni Cancellarius erat, delatũ eſt; quamuis Treuirenſis id munus ſibi vendicaret, quòd Eccleſia ſua ceteris antiquitate præſtaret; Colonienſis verò, quòd ea conſecratio in ſuis finibus fieret*. Iam autem Ludouicus non modò à Treuirenſi, quod hoc loco dixi; ſed etiam à Moguntino [c], quod nõ dixi (ac proinde illud Sigonij dictum hìc non moror) coronatus eſt. Sic decreui ego Abrahamus Bzouius. Sanè lepidum Ludouicus eſt nactus aduerſarium, cui non tanta cum ipſo, quanta ſecum contentio eſt. Pro Ludouico aërem plerunque verberat, ſe tãgit.

[a] *An. 1328. VI. f. col. 518.*

[b] *7. Regn. Ital.*

[c] *Argent. 119. §. 3.*

4. Tertium pronunciatum. *Ludouicum Fridericúmque diademate ferreo ornatum.* Ferreo etiam ore riderem, niſi natura mollius dediſſet: quid tu cum ferreo diademate, lepidiſſime ſcriptorũ Bzoui, in Germania? Quis neſcit Germaniæ coronam ex argento fabrefactam? Et potuiſſes tu hoc ipſum

N. VII. col. 519. ante m. ex te ipſo diſcere: ſcribis enim Anno Chriſti 1328. huncin modum ex Sigonio, *Coronam Germanicã in omnibus commentarÿs argenteam fuiſſe inuenio. Italiam autem ingreſſus* nouus Rex *rectà Mediolanum adibat. Ibi verò Archiepiſcopus ad reliqua inſignia ferream ei coronam imponebat.* Fridericum verò ferrea Bonnę coronatum, ait Bzouius, ſed quo auctore?

5. Quartum pronunciatum, *Sueuiam cogitaſſe Fridericum, ideóque Spiram magno exercitu cinxiſſe.* Nempe Spiram Bzouius è Nemetibus in Sueuiam gigantum ope iam tum ante 300. & quod excur-

a p. 119. §. 5. b p. 460. poſt med. rit, annos tranſtulerat. Porro Argentinas,[a] & Cuſpinianus[b] in Friderico ſcribunt, Ludouicum cedere Leopoldi exercitui coactum fuiſſe: de obſidione nulla mentio, vti nec apud Trithemium.

6. *Fridericus Sueuiam*, inquit Nauclerus, *ſuo dominatui conatus adÿcere, quarundam ciuitatum fauore Eſſelingam* (pro qua Bzouius egregius Geographus & Germaniæ locorum Nauclero peritior Spiram ſuppoſuit) *obſedit, vnde pauco pòſt tempore*

vires

vires aucturus diſceſſit, & ſequenti anno opidum repetens, occupato interim apud ſuos Ludouico obſidionem magnis copijs communijt. Tum Ludouicus auxilijs Boëmi Regis & Epiſcopi Treuiri hoſti occurrit, inita pugna ad flumen Neccarum, vterq; exercitus magna incommoda paſſus eſt. Nemo ergo præter Bzouium Spiram exercitu cinctam ſcribit.

7. Quintum pronunciatum. *Non minorem militum numerum Ludouicum contraxiſſe, longè tamen Friderico inferiorem fuiſſe.* Nimirum quia non viros, ſed fœminas conſcripſerat, atque ideo etiam *victor euaſit & Fridericum aduerſarium cum ſuis fugere turpiter compulit*, auctore [a] Trithemio, quem Bzouius & hìc teſtem laudauit, & [b] alibi virũ grauem, ſanctum, & omni fide maiorem vocauit. Inter pugnas, vt video, ſecum ipſe pugnat.

[a] *In Hirsaug. & Spõheim.*

[b] *an 1313. XVIII. col. 215. & 217.*

8. At verò cùm hoc eodem anno memorabile prælium inter vtrumque electum contigerit, vix tibi ignoſci poteſt, quòd illud ſilentio inuoluas, præſertim cùm præter Nauclerum & Cuſpinianum, etiam id Rebdorfius tuus, qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa etiam præſens videbat, commemoret his verbis, *Anno ſecundo regni ſui bellum habuit* Ludouicus *cum Friderico prædicto iuxta Ezlingen in fluuio Neccaro, in quo plures ab vtraque parte ſunt occiſi, & quiuis ab alio diſceſſit.* Hæc Rebdorfius. Certè adeo cruentã fuiſſe hanc pugnam ferunt,

pag. 422. § 4.

a *Argentin. p. 120. §. 3.* [a] vt fluctus Neccari cæſorum ſanguis colorarit.

Cuſpin. in Frid. pag. 461. v. 4. 9. Sextum pronunciatum. *Leopoldum Spiram & Auguſtam cepiſſe.* Figmenta rurſus ſua recenſet Bzouius. Argentinas [b] hæc habet, *Lupoldus autem villas Spirenſium & aliorum inibi aduerſariorum comburens aſcendit.* Itaque vt compendio rem dicam, Villas Spirenſium comburere, eſt Spiram ciuitatem capere. Pergit Argentinas, *Tranſiuit poſthæc ipſe Leopoldus iuxta Auguſtam flumẽ Lech, & in ſuperiore Bauaria multa & inter alia oppidum* Landsperg *per ſe victum, ignis incendio deuaſtauit.* Iterum vnam phraſin addiſco Bzoui, te doctore; Tranſire iuxta Auguſtam Lechum, eſt Auguſtã capere; iuxta Romam tu ſæpius pontem Miluium tranſiuiſti, & ſtatim Romam cepiſti, magnus belli terror.

b *Fol. 119. § 3. f.*

p. 460. 33. 10. Cuſpinianus Argentinenſi cõſentit. In Friderico Pulchro ita ſcribit, *Valles Spirenſium hoſtium ferro ignéque populatus* Leopoldus *ad Auguſtã peruênit. Lycum* [c] *fluuium tranſiens Bauaros deuaſtare non ceſſauit, oppidúmque* Landſperg *flammis abſumpſit.* Hæc ille, nihil de Spira Auguſtáque capta.

c *Lech.*

In Chron. Hirſaug. An. 1315. 11. Trithemius ita memorat, *Lupoldus frater Friderici in circuitu* iuxta Spirã *villas complures incendio cremauit, & multa pauperibus intulit damna.* Sed vbi occupatæ à Leopoldo vrbes Spira & Auguſta?

12. Superſunt ex auctoribus tuis Nauclerus, qui neque Spiræ neque Auguſtæ meminit, & Iacobus

bus Moguntinus, quem equidē magna cupidine ex tua officina ſpectatum cuperem, quia cùm eum Geſnerus Germanus nō niſi ex Nauclero deſcribat, nec nos Germani Germanicum ſcriptorem habeamus, ac tu quoq; eundem anno præcedente nō niſi ex Nauclero referas; ſatis conſtat, te eum non vidiſſe, niſi per fragmenta apud Naucleum: vbi igitur iam ipſummet à Nauclero duobus alijs auctoribus interpoſitis diremptum, manicis aut lacinia prenſaſti, vt in lucem reduceres? Fumum vendis Bzoui, nos nihil emimus, nec credimus Iacobum hūc apud te viuere, multò minùs id ſcribere, quod tu ſcribis. *In Biblioth.* *N. XII. ſ.*

13. Septimum pronunciatum. *Ludouicum aduerſarijs imparem in fratrem Rudolphum, quòd is ſuffragium in Fridericum tuliſſet, eúmque armis iuuiſſe diceretur, ſæuiſſe, eundémque ex prouincia ſua fugaſſe bonis publicatis.* Ne hoc quidem firmum. Iuſtitia Bzouio ſæuitia eſt, & neque hoc anno, neque hac cauſa pulſus eſt Rudolphus; extant enim literæ in tabulario Sereniſſimi Ducis noſtri, initæ ab vtroque fratre pacis teſtes, offenſis & iniurijs vtrinque ſepultis, datæ ſeptimo ab electione mēſe, & quidem hoc anno. Quare longè rectiùs tradit Nauclerus, Ludouicum in Rudolphum fratrē armis demum iuiſſe anno decimo octauo ſeculi decimi quarti. *Anno*, inquit, M. CCC. XVIII. *Ludouicus*

Digitized by Google

cus regni ſui quinto in Bauariam rediјt, vbi Rudolphum fratrem ſuum perſequitur, eò quòd Friderico aduerſario ſuo adhæſit, ipſúmque Rudolphum à medietate ferè terræ ſuæ eiecit cum coniuge ſua, filia Adolphi quondam regis, qui ad terram Auſtriæ ſe receperunt, in qua tanquam exules manſere vſque ad mortem Rudolphi Ducis. Verùm alij dicunt, Rudolphũ fuiſſe proſcriptum à Ludouico in Angliam, vbi vſq; ad vitæ terminum in magna paupertate manens moritur. Hactenus Nauclerus.

In Hirſaug. an. 1314. §. vlt. 14. Similia ſcribit Trithemius. Vtriuſque auctoris non ſolùm verba ſed ſenſum quoq; ex more corrumpis, cùm ais, *quòd eum armis iuuaſſe diceretur*, quaſi non ſuam ſententiam ſed incertum vulgi rumorem (hunc enim apud te verbum *dicendi* & ſimilia ſignificant) expoſuiſſent.

p.223.18. 15. Mutius hæc de eadem re, *Duxit quoq;* Ludouicus *exercitum in Bauariam aduerſus* Rudolphum *fratrem ſuum, quoniam, vt diximus, fouebat Friderici partes. Diſtinebat interea alio loco Fridericum, ne poſſet Rudolpho ſuccurrere. Cùm igitur in Bauariam perueniſſet inexpectatus hoſtis,* Rudolphũ *inuenit imparatum, & aduentu eius territæ vrbes & arces cùm nullum viderent præſens auxilium, dederunt ſe, eiectúſque eſt cum tota ſua familia Rudolphus. Confugit autem ad Ducem Auſtriæ, ſpe ſuſpenſus, Fridericum breui eum reducturum in ſuum*

duca-

ducatum: ſed vana fuit ſpes, Friderico enim negotia grauiora & magis vrgentia inciderunt, ex quibus antequam ſe extricauit Fridericus, defunctus eſt vita Rudolphus Dux.

16. Suſpicari pronum eſt, Rudolphum aut palàm tantùm fratri reconciliatum deuotúmque, clàm autem Auſtriaco ſtuduiſſe, aut certè poſt pacem ex ſincero compoſitam ad ingenium redijſſe, & vt dicit Nauclerus, Friderico adhæſiſſe, nam ſemel exacerbatis fratrum animis difficile eſt omnes cicatrices obducere, cùm præſertim oculi mortalium parùm æquè in alio videant, quod in ſe mallent. Quòd verò Bzouius addit, Ludouicum fratris bona publicaſſe, hoc nos non neſcimus; ſed ſcimus, eadem etiam poſtea filijs reſtituta; & gaudet adhuc hodie Ludouici clementiâ, Rudolphi poſteritas imperij ſceptro Imperatorib. præferendo, ſeptemuiratúſque honore inſignis.

ANNVS CHRISTI 1316.

Ludouici Imperatoris tertius.

[a] *N.I.&II.* 1. BZouius hoc anno[a] electionem Iohañis XXII. Pontificis dum recenſet, auctores rei geſtæ nominat, quorum veſtigijs, cùm quædam[b] omittat, non vbique inſiſtit. Et licet de induſtria Iohañi nonnunquam parcat, imò extollat, vt Ludouicus eò magis deprimatur, periurij tamen eum apertè inſimulat: quam ego laudem nolim mihi vel ab inimico tribui. Sed ego camerinam hanc non moueo; pergo ad inſtitutm.

[b] *Ciacon. p. 681. v. 5. Maſſon. in Ioan. 22. prope init.*

N. IV. col. 277. 2. Bzouius. *Facile fuit Matthæo Vicecomiti ferociam in aduerſarios Guelfos explicare, quòd is à Ludouico Bauaro titulum vicarij imperij in vniuerſa Italia ſibi rite collatum eſſe exiſtimaret, illúmque verum ac legitimum imperatorem electũ eſſe putaret. Nam & hic quò ſibi ſuiſque in Italiam iter aperiret, atque adeò ad imperij inſignia totiúſque Italiæ dominium aſſequendum facilitatem præoccuparet, incitantibus Germanis à caſibus Henrici irritatis, nihil aliud animo verſabat, quàm vt Gibellinos cõtra Guelfos armaret, ac vtraſque factiones ad inuicem committeret, ſpecie quidem Gibellinos defendendi, reuerà autem, Italiæ, & vrbis Romanæ per abſentiam pontificum occupandæ. Iſtud altâ mente cum ei repoſitum eſſet, nihil etiam eorum prætermiſit, quæ ad ſtudium occultum tegendum, pontificémque recens electum demerendum facere arbitrabatur. Quamobrem cùm in arroganda imperatoria dignitate & vicarios prouin-*

uincijs & præfectos vrbibus imponeret, non niſi pacis publicæ mentionem inijciebat, clam autem Gibellinis animos & ſpes faciebat, quibus illi concitati quieſcere contra Guelfos neſciebant; maximè quod futurum cenſerent, vt Iohannes pontifex Clementis V. exemplo eam electionem imperatoris Romani probare deberet. Nam per id temporis Ludouicus Bauarus vulpiZans, ad Iohannem ſummum antiſtitem nuncios deſtinarat, qui confirmationem cuiuſcuius electionis, & reliqua inaugurationis Rom. imp. ipſi illi flagitarent. Non potuit quicquam Johannes Ludouico tam properè concedere, quòd Fridericus competitor à ſaniore parte electus vitioſam ac fraude dolóque contaminatam electionem Bauari aſſereret, ſéque rite & legitimè, & ſecundum Brandenburgici votum à maiore parte electum fuiſſe, fraudémque Nicolai Bockij militis ſibi non poſſe officere oſtenderet; ideóque iure merito à ſede imperij inſignia poſtularet. Jllud etiam Ioannem Pontificem, aliquantum offenderat, quòd Ludouicus armis, non iure, de iure imperii cum Friderico decerneret, & præcipiti temeritate prouinciis & vrbibus Italiæ Gubernatores vicarióſque præponeret, adeóq; ius ad imperium præoccuparet, ac quod grauius eſt, eos qui ab Eccleſiæ partibus ſtabant, depreſſum iret. Itaque cùm & ille & Fridericus conſenſum ſedis Apoſtolicæ & reliqua imperij conſequendi ſolemnia ab Ioanne per nuncios exigerent, non qui-

Digitized by Google

dem ea quæ Ludouicus præſeferebat, abrogauit, neq; Friderici electionẽ præmaturè comprobauit, ſed vtriq; diem dixit, vt id quicquid iuris vel facti pro ſe quiſque adduceret, apud ſedis Apoſtolicæ ſubſellia cognoſceretur; cùm penes Romanũ Pontificem in Chriſtianos Imperatores ſi Chriſti oues audire volunt atq; eſſe, tanquam penes ſupremum paſtorem ſummã poteſtatem eſſe Chriſtus voluerit, & Romanũ imperium primum in Francos, deinde in Germanos non ſanguinis, nõ dotis, non venditionis, aut permutationis, aut quouis humani cõmercij titulo, ſed nec armis, ſed ſolâ vnius pontificis Romani auctoritate fuerit deriuatum; cum nõ vnquã repudiata cõditione reſeruatæ naturalis plenariæ poteſtatis penes ſucceſſores Romanos pontifices cognoſcendi, quẽ, quomodo, cui fini, idoneũ, vel ſecus, rite vel ſecus, bono vel damno Reipublicæ Chriſtianæ, Electores, non alij, plures, non pauciores, legitimè ac ſine vitio Imperatorem deſignarint. Cuſp. in Lud. Bauaro. Naucl. volum. 2. generat. 44.

3. Primum Bzouij pronunciatũ. *Matthæum Vicecomitem à Ludouico imperij in vniuerſa Italiæ vicarium fuiſſe conſtitutum.* Hoc pronunciatũ, vti & ſequẽtia pleraque, Bzouij proprium eſt, qui proinde Cuſpiniano & Nauclero ſe vel primũ paulò antè adſcribere debebat, vt vnicum ferè omnium dictorum auctorem. Quid? ſi Ludouicus Matthæum Vicecomitem imperij vicarium inſtituiſſet, id

ei

Digitized by Google

ei Iohannes in epiſtola anni 1323. à Bzouio ibidem *N.IV.*
allata non potius obieciſſet, quàm quòd Matthæi
filijs Galeatio & eius fratribus ſe exhibere fautorē
& defenſorem contra Romanam Eccleſiam nō ſit
veritus, vt in eadem epiſtola dicitur, & à Ludouico *§.2. ante m.*
in appellatione [a] anni 1323. à nobis ibidem reci- [a] *§. 7.*
tanda repetitur? Matthæo enim hoc ipſo anno, *N. III.*
vt Bzouius memorat, Iohannes Pontifex anathe- *poſt m.*
matis ſpiculum intorſerat, atque vniuerſæ Medio-
lanenſium ciuitati ſacris interdixerat, & ſequen-
tibus annis per ſe & ſuos contra eundem Matthæ-
um graues proceſſus inſtituit, & promulgauit eo-
dem Bzouio [b] auctore. Ac videtur Ludouicus [b] 1317 IX. X.
Friderici armis vſque ad III. Kal. Octobres anni 1318. II.
1322. exercitus, non tantùm habuiſſe otij, vt res 2319. III. 1320. II.
Italicas curaret, & Matthæus eodem anno 1322. 1321. II.
vt Bzouius [c] narrat, ad VI. Kal. Iul. extinctus fuit, 1322. VI. VII. IIX.
cùm Fridericus nōdum à Ludouico ſupremo præ- [c] *Ibidem N. XIII.*
lio ad finem Septembris victus eſſet. *poſt m.*

4. Secundum pronunciatum. *Matthæum viceccomitem à Ludouico Bauaro titulum Vicarij imperij in vniuerſa Italia ſibi rite collatum exiſtimaſſe.* Hoc quoque Bzouius ſine teſte finxit, vt ex primi confutatione liquet. Solebant Romani Cæſares cùm aut alibi degerent, aut Italia excederent, prouincijs vicarios imponere, qui ex æquo bonóque reipublicæ præeſſent. Quare & Ludouicus hunc

commiſiſſe, ſub ſpecie Gibellinos defendendi, vt Italiam vrbémque dominam per abſentiam pontificis occuparet. Iniuria inquam hæc eſt, quā Bzouius nunquam purgabit, niſi reuocando. Nec Cuſpinianus nec Nauclerus iſta denarrant, & tamen eos iſta narrare dicit Bzouius. Sed fortaſſe huius rei alios auctores habet? quid igitur alios non nominauit? maluítne in falſis quàm in veris deprehendi?

8. Eam Italiæ partem, quæ ad imperium pertinebat, deſtinaſſe Ludouicum ſibi ſubijcere, nullus ambigo: Romam verò aliáſque pontificis prouincias cogitaſſe armis ſibi ſubijcere, Bzouio oſtēdendum eſt, ſed ex alijs auctoribus: his quos citat, falſum imponit.

9. Quintum pronunciatum. *Arrogaſſe ſibi Ludouicum imperatoriam dignitatem, & alta mente repoſuiſſe propoſitum occupandæ Vrbis & Italiæ, & ideò ſtuduiſſe demereri pontificem, pacis publicæ mentionem inijcere, clam Gibellinis ſpem facere, &c.* Arrogati imperij repetitam calumniam iam ſuprà depulimus. Verùm qui ſcit Bzouius tam altè Ludouico repoſitum fuiſſe, vrbem terráſque non ſuas capere, cùm eius auctores id non meminerint? Deinde placet mihi, quòd Ludouicus nihil prætermiſerit ad pontificē demerendum: ſed hac ipſa de cauſa meruiſſet impetrare, quòd petebat. Nec verum

Anno 1314. c. 2. n. 2. & ſeqq.

Digitized by Google

verum eſt, eum arrogaſſe ſibi imperium; iuſto titulo acceperat; & vicarios prouincijs ſi impoſuit, tanquam electus Imperator impoſuit.

10. Sextum pronunciatum. *Vulpizaſſe Ludouicum, & per legatos à pontifice confirmationem cuiuſcuius electionis & reliquam Romani imperatoris inaugurationem flagitaſſe.* Cuſpinianus huius tuæ hiſtoriæ auctor in ſuo libro non reperiet, quæ tu ex eo deſcribis, quippe qui nullam legationem Ludouici hoc anno commemoret, ſed poſt aliquot demum annos cùm Mediolani ageret Imperator.

Pag. 467. 13. *Cæterum Mediolani exiſtens*, inquit Cuſpinianus, *Ludouicus oratores Auinionem mittit ad pontificem qui petant, vt imperialia inſignia more maiorum ſibi benignè conferat.* At verò Nauclerus alter auctor tuus quoad legationem hoc anno inſtitutam tibi quidem conſentit, ſed alia omnia dicit, quàm tu dicas, ac ſequitur Blondum, cuius ſententiam poſtea referemus.

11. Et quidem inunctionem, conſecrationem ac coronationem à pontifice Ludouicum petijſſe conſtat ex literis Electorum ſuprà[a] recitatis: petitionem verò illam hoc primo Iohannis anno factā ſuadet ratio, qua dubitare non licet, Ludouicum, quamprimum de Iohannis electione cognouit (cognouit autem ſtatim vt Bzouius[b] etiam docet) ab eo petijſſe inſignia imperij. Blondus[c] quoque, &

a *An. 1316. c. 2. n. 12. & 28.*
b *N. 11. col. 275. v. penult.*
c *Decad. 2. l. 9. §. 348. f.*

& ex eo Nauclerus & Kranzius aiunt, Ludouicum hoc anno Iohanni ſignificaſſe electionem ſuam, & petiuiſſe confirmationem aſſenſúmue, nec impetraſſe: non impetraſſe ex aliis quoque hiſtoricis & ſequentium annorum decurſu conſtabit. Porrò non videtur Iohannes omnino negaſſe Ludouico, quaſi nunquam conceſſurus quod petebat, ſed diſtuliſſe, vt docet Ludouicus in anni 1323. appellatione, [d] vbi dicit, ſe circiter decem annos nomen & titulum, adminiſtrationem & diſpoſitionem regni in pacifica poſſeſſione continuè ſcripſiſſe & geſſiſſe abſque reprobatione electionis & perſonæ ſuę, ac ſæpe miſſis ad pontificem à ſe nunciis & reſcriptis à pontifice literis, per eos vel in illis nunquam ſe fuiſſe reprehenſum. [d] *In med.*

12. Septimum pronunciatum. *Pontificem nihil potuiſſe tam properè concedere hanc ob cauſam, quòd Fridericus à ſaniore parte electus aſſereret, dolo contaminatam eſſe Bauari electionem.* Primam ergo dilationis cauſam Bzouius facit, irritam Ludouici, ratam Friderici imperalia inſignia iure poſtulantis electionem. Atqui Ludouici electionem ratam, iam demonſtrauimus contra Bzouium. Fridericum verò à pontifice confirmationẽ non niſi poſtquam eam Ludouico negatam audiuit, petiuiſſe, & Mutius docet, & ratio ſuadet. *Quamprimum audiuit Ludouicus,* inquit ille, *eſſe pontificem electum* *An. 1314. c. 2. n. 2. & ſeqq.* *p. 223. 33*

 mittit

Digitized by Google

mittit Romam (Auinionem) *legatos cum muneribus & promiſſis ampliſſimis confirmationem petens à Johanne* XXII. *Pontifice Maximo; Pontifex verò cauſis redditis, recuſauit. Quod vbi audiuit Fridericus negatum aduerſario, Pontificémque parùm æquum Ludouico ob delicta quædam, mittit ſtatim Romam* (Auinionem) *legatos, ſubijciens ſe & ſuum imperiū ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, iuraturúmque pollicetur ſe nunquam à ſententia pōtificis diſceſſurum. Pontifex non negat illi confirmationem, ſed differt, neſcio quā ob cauſam. Rediere legati, bonam ſpem afferunt de confirmatione, ſed certi nihil.*

13. Itaque Fridericus vbi cognouit Ludouici petitionem à pontifice reiectam, procul dubio auſus eſt petere, quod prius non fuerat auſus. Nam Fridericum ante Ludouici repulſam petiuiſſe confirmationem electionis ſuæ vt legitimæ, Bzouij poëma eſt, quod ipſe nec teſte nec ratione probat. Cuſpinianus enim & Nauclerus & Kranzius, quos ſolos citat, nil tale dicunt. Scribit quidem Kranzius, pontificem dixiſſe, Fridericum cum Ludouico electum & eodē iure nixum; ſed hoc ex famâ hauſiſſe potuit, quam etiam ſolam in Bullis poſtea præ ſe tulit, nulla facta Friderici literarum aut legatorum mentione, quæ maximè facienda erat, ſi Fridericus, qualia Bzouius hîc proponit, pōtifici propoſuiſſet.

14. De-

Digitized by Google

14. Deinde etiam de tuo cenſu rem auges Bzoui, & ais Fridericum competitorem à ſaniore parte electum; hanc verò ſententiam nemo dum Pontifex in Ludouicum dixit. De electione nimirum fuit aliqua controuerſia inter aliquos auctores ratione Friderici, apud te autem res certa eſt, & indubitata, atque ideo erecto ſceptro Ludouicum non poſtulatus iudex condemnas. Sed libet ex te quærere, quænam ſanior pars fuerit? Rudolphus certè Ludouici frater Auſtriaco fauebat, an ſana omnino mente, neſcio: affectus in fratrem ſiniſter non multùm ſanitatis habuit; nam facile eſt ſuſpicari, doluiſſe ipſi tanquam maiori natu & ingentis ſpiritus viro fratrem minorem eſſe antepoſitum ſibi, alioqui enim non fuiſſet cauſa inuidendi decus imperiale domui ſuæ adſcitum. Sine dubio clandeſtinis votis id Rudolphus etiam optauit, ſed maluiſſet per ſe illatum, & in ſuo vertice diadema fulgens reſidere. Aperit certè inuidiæ vulnus Rudolpho Trithemius cùm ſcribit, *Colonienſis, Dux quoque Saxoniæ, & Rudolphus Comes Palatinus dúxque Bauariæ, frater ipſius Ludouici, non fauens ei honorem, in Regem elegerunt Fridericum Ducem Auſtriæ.* En ſanam inuidiam Bzoui & ſanum iudicium tuum.

In Chron. Hirſaug. An. 1314.

15. Deinde velim me doceas, an iudicium auro obductum ſatis ſanum; & votum pecunia em-

ptum non ſatis ægrum ſit? *Rudolphus autem fra-*
p.422.§ 4. *ter ſuus*, (ait Rebdorfius, qui iuxta te, tunc viuebat,
v.3. ſcribebat, & multa præſens videbat, *ratione comi-*
tatus Palatini accepta pecunia à prædictis Ducibus
Auſtriæ auunculis ſuis, contra fratrem elegit Fride-
ricum prædictum. Nempe hæc eſt ſanitas Bzouij,
quam etiam iura vetant.

16. Alter ſuffragatorum Friderici antiſtes
Colonienſis fuit, è cuius ſtirpe Auſtriacus alius v-
xorem duxerat, & hinc ſanitas tua ſeu potius affe-
ctus, qui vt plurimum iudicia veſtit; nam perſua-
p.119.v.3. demus nobis recta, quæ amamus. Audi Alber-
tum Argentinenſem, *Hainricus de Virnenberg*
Colonienſis, acto inter alios tractatu fecit, quòd filia
fratris ſui comitis de Virnenberg copulata fuit Hain-
rico duci Auſtriæ, fratri Friderici; ſimiliter adhæſit
eidem Friderico.

a. Rebdorf. 17. Tertius ex Electoribus iuxta hos [a] Rudol-
b Cuſpin. phus Saxo fuit, iuxta iſtos [b] Albertus, iuxta il-
c Kranz. los [c] Ericus. Hic quam ſanus fuerit dicam, vbi
Bzouius mihi verum nomen dixerit. Quanquam
parùm refert, ſanúſne fuerit, an æger, cùm Elector
non fuerit.

18. Quartus Elector pro Friderico ſit Mar-
d Argent. chio; [d] ſit inquam, nam reuera non fuit, vt ſuprà
p.119.v.1 viſum, & ideo falſiſſimum eſt, quod tu Bzoui pro-
fers Fridericum obtendiſſe apud pontificem, frau-
dem

dem militis de Book non debere eſſe ſibi fraudi. Hæccine apud pontificem Fridericus? Quid militem de Book Auſtriacus obiiceret, qui cõtra ipſum nunquam fuit? Ipſemet Marchio cum patruo Henrico interfuit electioni: an præſentium principum legatus abſentium perſonas ſuſtinuit? nugas, Bzoui; imò, vtinam nugas ageres, donaremus iniuriam, nam in re ſummi momenti fallis.

19. Octauum pronunciatum. *Iohannem pontificem offenſum, quòd Ludouicus non iure de iure imperij ſed armis cum Friderico decerneret.* Hæc eſt altera repulſæ apud pontificem cauſa, Bzouio auctore, non autem Nauclero aut Cuſpiniano. Sed edicat mihi hic rogo annalium ſcriptor, an non pontifex etiam Friderico ſuccenſuerit, quòd cum Ludouico armis decerneret? Certè Fridericus au- *an. 1314.*
ctor belli fuit, & primus arma ſumpſit, vt ſuprà *c. 7. n. 1. & ſeqq.*
oſtendimus. Quid faceret hîc Ludouicus? an Codicem ſolum & Decretales haſtatorum ordini obiicere debebat, & ius appellare, cùm alij terras raperent? Lepidus es, Bzoui, ſi tibi Polonica framea communito, non alio ſchemate me occurrentem velis, quàm calamo. Deinde nemo iure ius illud quærit, quod legitimè obtinuit; an non Ludouicus quinque ſuffragiis ius imperij adeptus eſt? ſi vitium electioni interueniſſet, ſi fraus interceſſiſſet in Friderici damnum, Friderici fuiſſet iura im-

plorare, non eius in quem plura ſuffragia publicè collata.

20. Ergo quòd bellum à Ludouico cum Friderico geſtum cauſa repulſę fuerit, figmentũ Blondi vel alterius externi & rerum geſtarum imperiti hominis eſt, nam antiqui Germani, Steronis continuatores, Rebdorfius, Argentinenſis id ſilent; Kranzius refert, ſed paulò aliter, vt infrà dicemus. Blondus Guelphus, non magnus Ludouici amicus ait, *Ioannes primo pontificatus anno* (ad marginem notatur *An. ſal.* M. CCC. XVI.) *requiſitus Ludouicũ Bauariæ ducem confirmare, ideo recuſare dixit, quòd præter admiſſum in conſobrino ſecum in controuerſia electo ſcelus, multa præſumpſerit facere & concedere, imperatoris Romani legitimè per gradus omnes inſtituti excedentia poteſtatem.* Hæc Blondus.

Decad. 2. l. 9. p. 341. f.

21. Sed pontificem diſtuliſſe, non omnino negaſſe Ludouico petita; nec de eius in Fridericum impietate & ceteris actis queſtum hoc anno, imò nec ſequenti quinquennio; planũ fit ex Ludouici appellatione anno 1323. interpoſita, in qua Ludouicus ait, ſe circiter decem annos nomen & titulũ, adminiſtrationem & diſpoſitionem huiuſmodi in pacifica poſſeſſione continuè ſcripſiſſe, & tum primùm Iohannem contra ſe queſtum atque inuectum. Addit ſe neque per ſæpe miſſos ad eum legatos, neq; in eius ad ſe reſcriptis literis ab eo vnquam fuiſſe reprehenſum.

In medio.

22. No-

22. Nonum pronunciatum. *Offenſum pontificem, quòd Ludouicus præcipiti temeritate prouinciis & vrbibus Italiæ vicarios gubernatoréſque præponeret, atque adeò ius ad imperium præoccuparet.* Hæc eſt, vt vis, tertia repulſæ cauſa. Ego verò aio te hæc præcipiti temeritate ſcripſiſſe, neque niſi ex cerebro finxiſſe tuo, cùm auctores à te nominati nil ſimile narrent. quanquam ſi Ludouicus gubernatores & vicarios conſtituiſſet, iure conſtituiſſet; nã diligentis principis fuit rem partam tueri. Itáne verò Bzoui? quis tum ſedit in cathedra Romana, qui confirmare potuiſſet? electus eſt Ludouicus anno 1314. vigeſimo Octobris cùm interpontificium eſſet, neque deinceps ob altercantes Cardinales pontifex eligi ante ſeptimum Idus Auguſti anni 1316. potuit; Itaque Iohannes XXII. primùm coronatus eſt eodem anno Nonis Septembris, quod tempus ſi à Ludouici electione numeres, duos & viginti menſes inuenies, & ſexdecim dies. Ergóne interea nouus imperator deſes ſedere debuit & ſpectare otioſus fluctuans imperium? nihílne regere? nullam imperatoriæ functionis partem attingere? Quid ſi Cardinales diutius inter ſe digladiati fuiſſent, ſicut planè contigiſſet, niſi magno carcere attenti fuiſſent? an propterea orbis interquieſcere, & dormire electus imperator debuit? præſertim cùm etiam ſedente pontifice ante con-

confirmationem eidem ſtatim fas & ius ſit imperium adminiſtrare.

23. Accedit, quòd parùm prudenter feciſſe Ludouicus iudicandus fuiſſet, ſi æmulo ſuo imperium ſibi vindicante, ipſe domi quietus ſpectaſſet terras ſibi & regna eripi. Igitur ne præueniretur, ipſe præuênit, vt illa, quæ ei virtus pepererat, tueretur. At fortaſſe te offendit, quòd gubernatores Gibellinos dederit: eſto, ſed ſcire debes fidiſſimum quemque rectè prouinciis imponi: Guelphi palàm imperij hoſtes erant: quomodo ipſos præficere potuiſſet? Superioribus temporibus multi Italorum ad pontificem reſpectabãt, ſpreto Germanorum ſceptro, & hi Guelphi appellati ſunt: alij in antiqua fide erga imperatores perſtitere, & vti ſeſe ipſos à Guelphis diſcriminarent, Gibellinorum nomen ſuſcepere. Hi igitur viciſſim ab imperatoribus culti, & contra Guelphos defenſi. Laborabat autem maximè hac duplici factione Italia ſub prima Ludouici auſpicia, & ideo, citra cuiuſquam iniuriam, ad Italiæ imperium ſtabiliendum, ſibi fidos ſubditos contra Guelphos imperio aduerſos defendit. Quòd ſi hoc in genere abs Ludouico peccatum vis, neceſſe eſt fateri, Germanis Imperatoribus aut nullum deinceps in Italiam ius fuiſſe, aut Ludouico tanquam ſolenni electione deſtituto non licuiſſe imperatorium

rium

rium munus exequi, quorum vtrumque falſum eſt; ſicut & hoc quòd ante confirmationem nihil potuerit curarum attingere, præſertim cùm tamdiu non eſſet qui confirmaret.

ELECTVM REGEM ROMANORVM rite imperium adminiſtrare etiam ante pontificis confirmationem.

24. TOtum hoc Azorius egregiè probat diſputatione à nobis hìc adferenda. *Secundò,* inquit, *quæritur, An quamprimum atque electus aliquis eſt in regem Romanorum, rite & legitimè res imperij adminiſtret, ita vt rata ſint & firma, quæ facit, quamuis nondum ſit coronatus à Romano pontifice, vnctus, ſacratus, vel confirmatus. Hanc quæſtionem tractauit Oldradus conſ. 180. & in vtramque partem multa argumenta congeſſit, Gloſſa in Clementina prima, de iureiurand. in verbo Reges, Albericus, Cynus, Salicetus & alij in l. vlt. C. de Quadrien. præſcript. Caſtald. de Imperatore, quæſtione quadrageſima ſexta, Auguſtinus Triumphus de poteſtate Eccleſ. quæſt. 93. Turrecremata in capitul. Legimus, diſtinctione 39. quæſt. ſexta. Corneus in conſil. 177. volumine primo, & conſil. prim. volumine tertio. Eam quæſtionem publicè olim diſputauit Iacobus Arena, quam diſputationem inſeruit Cynus in L. Bene à Zenone, C. de Quadrien. præſcript. &*

To. 2. inſt. moral. l. 10. c. 6. §. 2. & ſeqq. p. 1581.

teſte Alberico in l. prædicta, Bene à Zenone, tempore Iohannis 22. & Benedicti XII. & Ludouici Bauari electi in diſcordia imperatoris, agitata eſt magnopere hæc controuerſia: & Ludouicus ille Bauarus anno 1338. conſtitutionem edidit, conſilio, vt refert Naucler. vol. 2. chronogr. generat. 45. quorundam religioſorum fratrum ex familia Franciſcana, quam ad verbum habent Albericus & ipſe Nauclerus, in qua decreuit, ex ſola electione eſſe verum & legitimum imperatorem, & rite ac legitimè eo ipſo imperij res adminiſtrare: & contrarium dicentes voluit vt omni iure, dignitate & officio priuarentur, & vt tanquam læſæ maieſtatis pœna punirentur. Addit idem auctor, ſe in curia Romana eo tempore fuiſſe, & Prælatos ac Doctores tum in Curia tum extra eam de hac re conſultos reſpondiſſe, ex ſola electione imperatorem legitimam imperij adminiſtrationem conſequi.

25. In hac igitur quæſtione ſunt duæ opiniones; quarum vna negat imperatorem ex ſola electione imperium adminiſtrare poſſe. Hæc ſententia ſolùm conſiderat, quid poteſtatis ex iure communi imperator habeat, non quid ex conſuetudine & more poſſit. Sic gloſſa in l. Bene à Zenone, C. de Quadrien. praſcription. in verbo Inſulas. Salicetus ibid. Hoſt. in cap. Super quibuſdam, De verborum ſignificat. Speculator in tit. de reſcripti præſentatio. §. vlt. verſicul. Item quod obtentum, Oldrad. con-

ſil.

ſil.180. Auguſt. Triumphus de poteſtate Papæ, quæſt. 39. Turrecremata in cap. Legimus, diſt 93. quæſt. 6. Felinus in caput. Eam te, de reſcript. n. 2. Qui omnes ea innituntur ratione, quòd ex ſola electione imperator non eſt, vt ſuperiùs oſtendi; ſed nemo operatur antequam ſit.

26. *Altera opinio affirmat, Imperatorem ritè, & legitimè ex ſola electione habere ius & auctoritatem imperium adminiſtrandi. Huius opinionis Caſtaldus in tract. de Imperatore, q. 46. dicit eſſe Innocentium, Archidiaconum, Baldum, Calderinum, Paulum Imolam, Abbatem, Cardinalem Alexandrinum, Ioannem Andream, Bartolum, Andream Siculum, Antonium Roſellum, Albericum, & alios ibi ab eodem memoratos, videlicet Socinum conſil. 63. vol. 3. Decium in c. Eam te, de reſcriptis, & Corneum conſ. 1. vol. 3. qui dicunt hanc eſſe communem ſententiam, & reuera communis fuit. Cæterum Panormitanus in c. Venerabilem, de electio. ait, Licet olim variæ fuerint opiniones, hodie receptum eſt conſuetudine, vt ſtatim adminiſtret. Innocentius* (floruit anno 1250.) *in eodem c. Venerabilem, Si in loco, inquit, debito non poßit coronam accipere, nihilominus ius & poteſtatem adminiſtrandi poteſt recipere à Colonienſi Epiſcopo, vel eam habet ſua auctoritate. Idem pene eiſdem verbis ex Innocentio habet Archidiaconus in caput Legimus, diſt. 93. Hanc etiam ſen-*

teſte Alberico in l. prædicta, Bene à Zenone, tempore Iohannis 22. & Benedicti XII. & Ludouici Bauari electi in diſcordia imperatoris, agitata eſt magnopere hæc controuerſia: & Ludouicus ille Bauarus anno 1338. conſtitutionem edidit, conſilio, vt refert Naucler. vol. 2. chronogr. generat. 45. quorundam religioſorum fratrum ex familia Franciſcana, quam ad verbum habent Albericus & ipſe Nauclerus, in qua decreuit, ex ſola electione eſſe verum & legitimum imperatorem, & rite ac legitimè eo ipſo imperij res adminiſtrare: & contrarium dicentes voluit vt omni iure, dignitate & officio priuarentur, & vt tanquam læſæ maieſtatis pœna punirentur. Addit idem auctor, ſe in curia Romana eo tempore fuiſſe, & Prælatos ac Doctores tum in Curia tum extra eam de hac re conſultos reſpondiſſe, ex ſola electione imperatorem legitimam imperij adminiſtrationem conſequi.

25. In hac igitur quæſtione ſunt duæ opiniones; quarum vna negat imperatorem ex ſola electione imperium adminiſtrare poſſe. Hæc ſententia ſolùm conſiderat, quid poteſtatis ex iure communi imperator habeat, non quid ex conſuetudine & more poſſit. Sic gloſſa in l. Bene à Zenone, C. de Quadrien. præſcription. in verbo Inſulas. Salicetus ibid. Hoſt. in cap. Super quibuſdam, De verborum ſignificat. Speculator in tit. de reſcripti præſentatio. §. vlt. verſicul. Item quod obtentum, Oldrad. con-

ſil.

ſil. 180. Auguſt. Triumphus de poteſtate Papæ, quæſt. 39. Turrecremata in cap. Legimus, diſt 93. quæſt. 6. Felinus in caput. Eam te, de reſcript. n. 2. Qui omnes ea innituntur ratione, quòd ex ſola electione imperator non eſt, vt ſuperiùs oſtendi; ſed nemo operatur antequam ſit.

26. Altera opinio affirmat, Imperatorem rite, & legitimè ex ſola electione habere ius & auctoritatem imperium adminiſtrandi. Huius opinionis Caſtaldus in tract. de Imperatore, q. 46. dicit eſſe Innocentium, Archidiaconum, Baldum, Calderinum, Paulum Imolam, Abbatem, Cardinalem Alexandrinum, Ioannem Andream, Bartolum, Andream Siculum, Antonium Roſellum, Albericum, & alios ibi ab eodem memoratos, videlicet Socinum conſil. 63. vol 3. Decium in c. Eam te, de reſcriptis, & Corneum conſ. 1. vol. 3. qui dicunt hanc eſſe communem ſententiam, & reuera communis fuit. Cæterum Panormitanus in c. Venerabilem, de electio. ait, Licet olim variæ fuerint opiniones, hodie receptum eſt conſuetudine, vt ſtatim adminiſtret. Innocentius (floruit anno 1250.) *in eodem c. Venerabilem, Si in loco, inquit, debito non poßit coronam accipere, nihilominus ius & poteſtatem adminiſtrandi poteſt recipere à Colonienſi Epiſcopo, vel eam habet ſua auctoritate. Idem pene eiſdem verbis ex Innocentio habet Archidiaconus in caput Legimus, diſt. 93. Hanc etiam ſen-*

Digitized by Google

tentiam ſequitur Gloſſa Clem. 1. *de iureiùr. in verbo Reges.* Quibus addi debet Cardinalis Cuſanus 3. Concord. Cathol. 4. poſt m.

27. *In præſenti quæſtione, ſi canones & iura per ſe ſola conſideremus, prima ſententia magis videtur cum ipſo iure Canonico conuenire, quoniam is qui eſt electus in Regem Romanorum, niſi confirmetur & coronetur à pontifice Romano, imperator non eſt, quamuis deſignatus ſit in imperatorem: ergo res imperij non adminiſtrat. Quomodo etiam inſtitutus & deſignatus hæres, teſtatore viuente, res hæreditarias non adminiſtrat; nec vllus operatur antequam ſit. Præterea imperator per confirmationem & coronationem imperium conſequitur; ergo ius imperij adminiſtrandi antè non habebat. Adde quòd cæteri qui per electionem & confirmationem ſuperioris auctoritate factam præficiuntur Eccleſiis, iuriſdictionem non accipiunt ex ſola electione, cuiuſmodi ſunt epiſcopi & cæteri præfecti Eccleſiarum, ca. Noſti de elect. At verò conſuetudine factum eſt, vt imperator ex ſola electione imperium adminiſtret, & ideo ſecunda ſententia conſuetudini & vſui conſentanea in hac controuerſia valuit.*

28. Ne verò de Italia dubites, paulò pòſt addit, *Conſuetudine receptum eſt, vt ius habeat adminiſtrandi tum regnum Germaniæ, tum regnum Italiæ per ſolam electionem. Quæri etiam ſolet, An rex*

§. 1. ſ.

Ecma-

Digitized by Google

Romanorum electus, nondum tamen à Romano pontifice confirmatus, poſſit priuilegia concedere, cuiuſmodi ſunt, legitimis natalibus reſtituere, emancipare, manu mittere, tutores & curatores dare, dignitates conferre; Comites, Marchiones & Duces creare, tabelliones & alios miniſtros & magiſtratus conſtituere. Speculator tit. de reſcripti. præſentatio. §. vlt. verſic. Item quòd obtentum, docet, ius habere concedendi priuilegia, & cætera quæ ſunt voluntariæ iuriſdictionis, qualia ſunt iam à nobis commemorata; non tamen poſſe, quæ ſunt contentioſæ iuriſdictionis. Sed dicendum eſt iuri magis eſſe conſentaneum, vt non poſſit vlla priuilegia concedere: vſu tamen & conſuetudine introductum eſt, vt priuilegia concedat ſiue ad voluntariam ſiue ad contentioſam ſpectent iuriſdictionem.

29. Decimum pronunciatum. Ioannem potiſſimùm offenſum, quòd Ludouicus eos, qui ab Eccleſiæ partibus ſtabant, depreſſum iret. Hæc eſt quarta, ſi Bzouio credimus, cauſa, cur Ludouici electionem Pontifex non confirmarit. Ego quidem non negarim hanc cauſam in Pontificis animo locum reperiſſe; ſed auctorem eius edat Bzouius, nihil de ea re habet Nauclerus, nihil Cuſpinianus. Cæterum aut Ludouicus Imperium in Italia amittere, aut eos qui à Pontifice ſtabant, opprimere velle debuit, nam in eum ſtatum Italia

Digitized by Google

deuenerat, vt ſtantibus & ſuperantibus Guelphis, Imperium omnino concideret, quare Ludouicus ibi aquam affudit, vbi incendium excitatū. Guelphi Cæſari hoſtes erant, quid mirum ſi Cæſar hoſtis Guelphis fuit? Sed Guelfi ſtabant à parte Eccleſiæ; Ita eſt, ſed neque Gibellini contra Eccleſiam ſtabant, nam æquè Catholici (exceptis fortaſſe paucis qui hæretici ſcribuntur) & Orthodoxi erant Gibellini atque Guelphi. Non agebatur de religione, ſed regione; neque Ludouico vnquam mens fuit, matrem Eccleſiam religionémque à maioribus acceptam vlla ex parte violare, ſed Imperium vindicare; hoc autem fieri non potuit, niſi in ordinem redactis Guelphis.

30. Reſpondeat ergo mihi Bzouius; aut Ludouicus Imperator legitimè dictus ius aliquod Imperij in Italia habuit; aut nullum habuit: ſi nullum habuit, procul dubio perperam Guelphis arma intulit. Sed Bzouio demonſtrandum eſt, Germanis Imperatoribus nihil amplius poteſtatis Imperialis in Italia fuiſſe; quod faciet, cùm lucidus Sol noctem vehet. Si quid verò iuris ſuperfuit, defendere illud Ludouicus potuit contra quoscunque aduerſantes. Et eſto Gibellinorum quidam, quibus Ludouicus ſuppetias tulit, hæretici fuerint, non tamen iis tulit vt hæreticis, ſed vt ſuis clientibus, militibúſque, quorum forti fidáque

opera

opera vſus eſt, non ad oppugnandam religionem, ſed ad ea defendenda; quæ iure electionis ei obtigere, & virtute maiorum ſuorum acquiſita erant. Nec attingebat ea lis, tametſi Pontifex in parte erat, ſacra religionis, ſed dominatum duntaxat, & Italiæ principatum. Itaque potuit haud dubiè mordere Pontificem, ſi Ludouicus Guelphos infeſtaret, quia & Ludouico moleſtum fuit, Gibellinos ſibi deuotos ab Guelphis vexari.

31. Vndecimum pronunciatum. Non Ludouicum ſolùm, ſed & Fridericum conſenſum ſedis Apoſtolicæ & reliqua Imperij conſequendi ſolennia per nuncios exegiſſe. Fridericum hoc anno ſimile quid poſtulaſſe Bzouius non probat, nam eius auctores ad hanc fabulam muti ſunt; depromat ſimile quid ex Nauclero & Cuſpiniano; depromat, videamus.

32. Duodecimum pronunciatum. Pontificem ea quæ Ludouicus præſeferebat, non abrogaſſe. Quid ergo eſt, quod Nauclerus à te citatus dicit, *Iohannes primo Pontificatus ſui anno requiſitus Ludouicum Bauariæ confirmare, recuſauit.* Recuſare apud Bzouium eſt, non negare, non abrogare. Ne quæſo pueros aut fungos nos putes Bzoui, aliquid intelligimus.

33. Decimum tertium pronunciatum. Iohannem Ludouico Fridericóque diem dixiſſe, vt

quic-

quicquid iuris vel facti pro ſe quiſque adduceret, apud ſedis Apoſtolicæ ſubſellia cognoſceretur. Audes tu Bzoui apud ſubſellia Apoſtolica hæc effutire, teſtes & auctores nominando qui non ſunt? profer talia ex Nauclero & Cuſpiniano. Quid diem is vtrique diceret, qui neutrum promotum cupiebat? Certè iis annis, quibus Eccleſiæ caput fuit, auctoritate Pontificia id efficere poterat, vt alteri ius addicendo alter cederet aut cedere cogeretur. Quantum malum auertiſſet à Germania, quæ tot annis pernicioſo ſciſſa ſchiſmate in ſua viſcera ſæuiebat! Vnum Pontificis verbum pacem dare poterat. *Nam ita tum habebat Germania,* inquit Mutius, *vt nulli dubium eſſet, fore Imperatorem, quem approbaturus eſſet Pontifex Romanus.* Et pòſt paulò; *Tota enim Germania intenta in Romanam ſedem erat, plurimi namque expectabant confirmationem, interea neutri adhærere volebant. Tanta Romanæ ſedis auctoritas & religio erat apud pleroſque, vt non iudicarent, nec appellandum cenſerent Imperatorem, niſi prius vnctus & coronatus confirmatúſque eſſet per Apoſtolicum aut Apoſtolicos Legatos.* Hæc Mutius. Sed quæ abſterruerint Iohannem cauſæ, vt vtrumque ſuſpenderet, facilè edixerit is, qui apud Mutium iſta credet, *Johannes Papa etiam, cùm videret Imperatores duos propter diſcordiam non modò non tantùm*

L. 14. p. 226.

p. 226. v. 3

tùm poſſe, quantùm vnus in Imperio promouendo & defendendo valeret, ſed etiam Imperium diſcordia illorum dilabi, putauit occaſionem ſe habere ſuos iuuandi & prouehendi ex Imperij bonis. Quare quacunque potuit ſibi vendicare per Italiam, fecit, dedítque exemplum aliis idem faciendi. Hæc Mutius, verè falſóue ſcripſerit, non eſt meum enunciare. Kranzius quidem his adfinia ſcribit, *Interim*, inquit, *Papa excitato rege Neapolitano Roberto, exercitum miſere in Mediolanum Imperio detrahendum.* 9. Saxon. 14. annsem.

14. Quæ alia hìc magna loquentia diſputas, tametſi iterum iterúmque aliorum auctorum nomina adfigas, tua ſunt; ego illa non attingo: nam vt ſuprà à me dictum, Pontifici per me ſua iura conſtituta, nec dabo, nec eripiam; non enim ego is ſum, cui tam alta ſceptra manus ornent. Quę ex Kranzio deſcribis, habent idem pretium, quod habent apud Blondum ſuprà à nobis allatum, & tamen etiam Kranzius tecum non conuenit: nam tu paulò antè ferebas, Pontificem ea quæ orabat Ludouicus, non omnino abrogaſſe, ſed diem dixiſſe, & tamen Kranzius ſic ait, *Erat annus poſt mille trecentos decimus ſextus, cùm ad Iohannem* XXII. *Pontificem in Galliam mitteret Ludouicus Oratores, electionem nunciantes, poſcentéſque Romani Pontificis aſſenſum, quem ille protinus negauit.* 9. Saxon. 1

R Proti-

Protinus negare non eſt differre ad indictum diem, vt tu aſſeuerabas. — Sed non placet hunc annum diutius extendere, video iam longum tibi eſſe.

ANNVS CHRISTI 1317.

Ludouici Imperatoris quartus.

N. IX. col. 289. Ludouicus Bauarus Guelforum factionem penitus excindere conatur.

1. BZouius. *Hic annus, prudentiam & vigilantiam Iohannis Pontificis maximè exercuit. Praefecti Vrbium Italiae, à Ludouico Bauaro per vſurpatam poteſtatem inſtituti, nihil omittebant eorum, quibus partem Guelfam opprimerent. Etruſcos Hugucio, Inſubres & Ligures Matthaeus Vicecomes, Veronenſes Magnus Canis, Mantuanos Paſſarinus, & alios alij incurſabant, impugnabant atque per multam tyrannidem quamplurimis calamitatibus perditum ire volebant. Non deerant, qui in mutuas caedes Italos impellerent. Urgebat Vicecomes, Turrianis praecipuè infeſtus. Ludouicus, Italiae dominium & diademata imperij exambiens, officio ac genio ſuo non deerat. Iohannes Boemiae Rex, Ludouici partiarius, contemptus paterni vindex, iſtud ſeriò curabat, vt & Ludouicus animos ſuis Adminiſtris adijceret:*

ijceret: hácque ratione imperij dignitatem vel inuito Pontifice ſibi ſtabiliret, & per communes Italorum clades, vtriuſque partis vires imminuerentur, ac vel Guelforum, per quos ſteterat vt Henricus Imperator turpiter vrbe exceſſerit, proſternerentur. Florentini Roberto Rege Siciliæ ſiue conſulente, ſiue annuente, cùm plurima ſalutaria ad vrbis vtilitatem, & pacificam Adminiſtrationem conſtituiſſent, Piſanos & Lucenſes in ſocietatem imprimis admiſerunt. Deinde ex fœdere tum ad ſummum Pontificem Iohannem, tum ad Regem Galliarum Philippum Oratores deſtinarunt, qui Dynaſtarum à Ludouico Præfectorum conatus & tyrannidem renunciarent, & Carolum Valeſium cum auxiliaribus copiis, tum ad refrenandos Præfectos, tum ad impedienda Ludouici conſilia, euocarent. Is enim, quamquam ſubmiſſè ab Iohanne Pontifice confirmationem electionis ſuæ poſtulare per Nuncios & litteras videretur, Procerum tamen Italiæ animos non obſcurè ſollicitabat, vt à ſede Apoſtolica deſciſcerent, & Imperij veterem maieſtatem reſtitutam eſſe vellent. Eo incentore, Ferrarienſes ad quartum diem Auguſti, Roberti Siciliæ Regis, qui pro Romano Pontifice eam vrbem adminiſtrabat, Adminiſtros eiecerunt, atque impetu, ex vano rumore diſperſo, in præſidiarios Regios, per tumultum facto, eos pars occiderunt, pars in carceres coniecerunt, illóque ipſo die dominio Romanæ Eccleſiæ excuſſo,

 cuſſo,

Digitized by Google

cuſſo, Ateſtinis ſeſe permiſerunt. Ioan. Villani. lib. 9. cap. 80. & 81.

2. Primum pronunciatum. *Ludouicum per vſurpatam poteſtatem Præfectos vrbium Italiæ inſtituiſſe.* Falſum eſt, nam rite collata poteſtas, non eſt vſurpata poteſtas; neque Pontificis auctoritas ad fungendum munus Imperatorium neceſſaria eſt; vt taceam diu nullum Pontificem fuiſſe ante Ludouici inaugurationem. Nec Villanus à Bzouio ſolus adductus, de hoc & ſequentib. pronunciatis, quicquam habet.

3. Secundum pronunciatum. *Ludouicum Bauarum Italiæ dominium, & diademata imperij exambiuiſſe.* Nimirum Ludouicus, Bzoui, magnum ſcelus in ſeſe admiſit, diadema imperij exambiendo, quod ei per electionem debebatur, imò quod ei ex munere incumbebat ſeruare, & defendere, niſi ſeſe Imperio indignum haberi vellet ab iis, qui ipſum eo dignum iudicarant; & planè perinde peccauit, ac ſponſus, qui procorum periculo expoſitam ſponſam exambit, vt eruat, ſuæque poteſtatis faciat.

4. Tertium pronunciatum. *Ludouicum operam dediſſe, vt ad ſtabiliendam Imperatoriam dignitatem per communes Italorum clades vtriuſque factionis vires imminuerentur.* Hoc pronunciatum eſt Bzouianum, & veritati aduerſum, nam non

niſi

niſi imprudenter ſuorum cladem, nempe Gibellinorum Ludouicus molitus fuiſſet, nec amicis ſed Guelfis imperij hoſtibus malum optabat.

5. Quartum pronunciatum. *Ludouicum quidem demiſſè confirmationem poſtulaſſe, ſollicitaſſe tamen Italos, vt ab Apoſtolica ſede deſciſcerent, & imperij maieſtatem reſtitutam vellent.* Arbitror ego, Bzouium, ſi eo tempore Imperator renunciatus fuiſſet, non aliud facturum fuiſſe, quàm quod in Ludouico reprehendit. Sollicitaſſet vtique imperij ſubditos, vt ad ſeſe tanquam legitimum dominum redirent. Habuerit ſanè ius Pontifex Vicarios inſtituendi per Italiam imperio vacante, non habuit tamen imperatore iam electo; neque eos, quos Ludouicus impoſuiſſet, amouendi. Si vitio creatus fuiſſet Ludouicus, ſi imperij poteſtatem vſurpaſſet, non iniuſtè contra eum exarſiſſet pontifex. At ita opinabatur Iohannes ex vulgi rumore, ex aduerſariorum clamore; opinabatur, quia imperatorem eſſe nolebat, certè legitimè electum ignorare non poterat, Ludouici legatione & binis Electorum Principum decretis certior factus.

6. Vt autem non modò hiſtoricum, ſed etiam grammaticum Bzouius profiteretur, de Ferrarienſibus ait, *Regios præſidiarios pars*, id eſt, partem *occiderunt, pars in carceres coniecerunt*. Quã phraſin perinde in Priſciano, vt rem totam in Villano videre cupimus.

 7. Bzo-

Col. 291. N. XI. 7. Bzouius. *Hoc ipſo anno* (nempe 1317.) *Conradus Auria Spinulis Genuenſibus fœderatus, exules Gibellinos in vrbicorum Guelforum perniciem euocauit. Hugucio Faciolanus Piſanos Florentinorum fœderatos armis laceſsiuit: Matthæus Vicecomes in Turrianos Mediolanenſes tyrannidem exercuit: Magnus Canis in Patauinos inprimis & poſtea in Cremonenſes, quò ſe Turriani receperant, exercitum armauit, nec vllus alius tyrannus quicquam ex odio in Guelfos remiſit, quòd Ludouicus Gibellinis ſpem faceret, volente nolente pontifice, aduentus ſui in Italiam & reſtitutionis veteris imperij. Et quidem is ipſe, vt Iohannem Pontificem falleret, nihil non promittebat eorum, quæ ad ſedis Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ dignitatem pertinere videbantur. Quamobrem legatis Auenionem deſtinatis, obſequentiam & fidelitatem, vnà cum tutela iurium ac bonorum Eccleſiæ, quemadmodum & Fridericus pariter, per oratores ſubmiſſos pollicebatur. Cæterum Iohannes aliud à Ludouico, eiúſque ſtudioſis in Italia tentari, aliud à Legatis offerri ac ſponderi exaudiens, non quidem ſententiam prælatam in Ludouicum per declarationem, quamuis poterat, extendit; neque Friderico, quantumuis res ipſa expoſcebat, titulum regis Romanorum per ſententiam decreuit: ſed tam illum, quàm iſtum nomen Regium literis præſcribentem benignè tolerauit, ac vtrique diem apud ſedis Apoſto-*

Digitized by Google

Apoſtolicæ ſubſellia deſignauit, vt vter potiore electionis iure niteretur, orbi oſtenderet, nec tamen alter alteri vſurpatione Regiæ appellationis præiudicaret; quod Clemens IV. pontifex in æquali cauſa ſtatuiſſet, vt ambiguo inter duos litigantes iure regni, tantiſper vterque poſſet regios titulos, citra præiudicium tamen alieni iuris præſeferre, donec ex controuerſia partium clarum efficeretur, quis alteri propter electionis potioritatem præferatur, idque à Romano antiſtite tum cognoſcatur tum decernatur. Cuſpin. Villan. Naucler. H. Mutius. Regeſtr. Ioann. XXII. a. 1.

8. Primum pronunciatum. *Ludouicum Gibellinis ſpem feciſſe, volente nolente pontifice, aduentus ſui in Italiam, & reſtitutionis veteris imperij.* Non puto abs quoquam peccari, ſi ſibi ſuum etiã altero inuito vendicet. De reſtitutione veteris imperij nil Cuſpinianus, Villanus, Nauclerus, Mutius, ac valde ſuſpicamur, nec in regeſtro epiſtolarum Iohannis quicquam tale dici, cùm præſertim hæc Ludouici geſta ipſe etiam Bzouius omiſerit in indice, in quo alioqui ordine facinora eius enumerat.

9. Secundum pronunciatum. *A Ludouico pontificem deceptum.* De hoc ſimiliter nil dicunt quatuor priores à Bzouio adducti teſtes, ac valde iterum ſuſpicamur, nec in Regeſtro quicquam tale inueniri. Neque verò ratione rem hanc perſua-

det

det Bzouius. Promiſit Ludouicus pontifici omnia, quæ ad ſedis Apoſtolicæ dignitatem pertinebant: omnino; ergo decepit? Sed interea verba dando, nihilominus profectionem in Italiam parabat: rectè. Profectio Cæſaris in Italiam ad Pontificis dignitatem nihil attinebat, nam per eam nec minuebatur, nec augebatur; ad ſua profecturus erat Ludouicus, nec pontifex iure vetare poterat, ne poſſeſſionem Ludouicus regni Italici adiret.

10. Tertium pronunciatum. *Auenionem Ludouicum legatos miſiſſe.* Si rurſus hoc anno oratores Ludouicus ad pontificem miſit, eò obſeruantior erga ſedem Apoſtolicam cenſeri debet, vtpote qui bona eius venia voluerit imperij Italici gubernacula adire.

11, Quartum pronunciatum. *Aliud ab legatis pontifici oblatum ac ſponſum, aliud à Ludouico eiuſque ſtudioſis in Italia tentatum.* Si aliud legati Cæſarei Papæ Iohanni promiſère, Bzoui, & aliud in Italia tentarunt Gibellini, edicito quænam iſta ſint? Legati, vti tu fateris, nomine imperatoris promiſère obſequentiam & fidelitatem, vnà cum tutela iurium ac bonorum Eccleſiæ. rectè promiſère: ſed iura imperatoris electi, quæ adhærentes Ludouico in Italia defendebant, non erant iura pontificis, quia imperium non vacabat, neque Ludouici oratores polliciti ſunt imperatorem tutaturum

turum

Digitized by Google

turum pontifici ea iura, quæ ad imperium pertinebant.

12. Quintum pronunciatum. *Friderico pontificem, quantumuis res poſcebat, titulum regis Romanorum per ſententiam non decreſſe.* Omnino res poſcebat Bzoui, vt pontifex non Friderico ſed Ludouico legitimè electo, vt anno 1314. demonſtrauimus, ſummum honorem ſua ſententia decerneret: ſed quia is nolebat, non putauit Ludouicus, ſibi faciendum, vt inertia ſua, quod in Italia imperij reliquum erat, collaberetur. Cap.2.n.2 & ſeqq.

13. Sextum pronunciatum. *Vtrumque regium nomen præferentem toleratum, vtrique diem ab Johanne dictum.* Eſto. Sed quæ eſt iſta tautologia, qua poſteriorem huius pronunciati partem hoc eodem anno, dum compendio quaſi geſta pontificia per annum 1317. decurris, ſeptimo loco repetis in hæc verba, *Ludouicum Bauarum & Fridericum Auſtrium in Romanorum regem electum, vt iura ſua coram ſede Apoſtolica vterque produceret, admonuit, diémque vtrique condixit.* Hæc, mi Bzoui, credam cùm Iohannis à te hîc aſſignatam epiſtolam 237. non tua ſolius ſed alterius quoque fide firmatam produxeris, (nam reliqui teſtes hîc obmuteſcunt) præſertim cùm ſuprà demonſtratum ſit, Ludouici Legatos mox cum repulſa dimiſſos, quanquam legitimam Ludouici electionem Bzou. Col. 301.

nem obſignatis quinque Electorum Principum tabulis, & ſuis inſuper teſtimoniis ſatis ſupérque confirmaſſent. Adhæc Ludouicus anno 1323. in

a In medio. appellatione[a] ait, ſe circiter decem annos nomen & titulum, adminiſtrationem & diſpoſitionem huiuſmodi in pacifica poſſeſſione cõtinuè ſcripſiſſe, & tum primùm Iohannem contra ſe queſtũ &c.

14. Velim iam noſſe, Bzoui, quid nomen Naucleri hìc obtendas? Nauclerus hoc anno parùm ſcripſit, tuorum verò penitus nihil. Inſpicio Cuſpinianum, ſed te tuáque ibi non video, verùm planè contraria. Sic enim in Friderico ſcribit,

p. 460. 24. *Poſtea Romanorum rex electus ac Bunnæ diademate inſignitus eſt. Cum quo Iohannes* XXII. *pont. & fratribus ſuis clam concordiam iniit, ſemper ipſum contra Ludouicum exhortatus, quem odio habuit, licet & hunc regem Romanum, filium dilectum ſuis literis appellaret.* Nec eo inficias, à pontifice Fridericum è Germania vocatum ex ſententia Cuſpiniani, ſed non ad dicendam cauſam, neque hoc anno, ſed decennio circiter pòſt. Audi aliter illum, quàm loquentem tu facis. Nam pacto, quo Ludouicus Fridericum è cuſtodia dimiſerit, explica-

p. 463. 50. to, ſubiicit, *Quod inuiolabiliter Fridericus obſeruauit, etiamſi Iohannes* XXII. *Cleménſque* VI. *pontifices crebro illum in Italiam pro imperiali aſſequenda corona euocarent.*

15. Sed

15. Sed cupio lectorem, Cuſpiniani lapſum aduertere. Ait is, Fridericum etiam euocatum à Clemente VI. quod mihi miriſſimum eſt. Mortuus eſt Fridericus Cuſpiniano auctore anno Chriſti 1330. Clemens autem VI. pontificiam Cathedram conſcendit anno 1342. quod vnà mecum Bzouius non intelligit.

p. 464. 22. *Alph. Ciacon. in Clement. p. 710. m.*

16. Poſt Fridericum quidem captum & Ludouicum iam anathemate percuſſum habet iſta Mutius, *Papa* Legatis Ludouici *reſpondet, quomodocunque res ſe habeat, non licitè imperatorem agere, & nomine hoc appellari, niſi ſit prius poſt electionem confirmatus, ſtatuítque illi diem, ante quem debeat & adminiſtrationem deponere, & Romam venire ad excuſandum ſe, & ſatisfaciendum pro delictis.*

17. Tu, mi Bzoui, dicis diem tam Ludouico quàm Friderico dictum fuiſſe; Mutius ſoli Ludouico dicit. Tu diem dictum affirmas, ad cognoſcendam vtriuſque cauſam; Mutius diem dictum affirmat, ad deponendum imperium. Demum tu hoc anno Ludouicum ex ſententia Mutij accerſitum ſcribis, & tamen Mutius multos poſt annos contigiſſe ſignificat; & certè non immeritò mirari ſubit, cur Mutium introducas, veluti ſcriberet, pontificem in æquilibrio quaſi vtrumque principem continuiſſe, donec cognitâ causâ ius aut huic aut illi addiceret; cùm Mutius doceat, pontificem

p.223.37. & 224.23. Ludouico confirmationem iam inde ab initio diſertè denegaſſe, Friderico non negaſſe, ſed diſtuliſſe.

18. Villanus nil hoc anno de Ludouico Fridericóque habet.

19. Supereſt regeſtrum Iohannis XXII. cuius ego nihil vidi, ſed coniectare non iniuria poſſum, tantùm in illo contineri, quantùm in reliquis. Sed dem tibi ex liberalitate, aliqua horum in eo comprehendi, an propterea tibi licuit auctores inuitos ad tuam ſententiam trahere & lectorem decipere? contra te arma ferunt milites tui.

Col. 309. N.XXXII. *Philippo regi ius decimæ exigendæ ad ſacram militiam concedit.*

20. Bzouius. *Ibidem in Galliis hoc anno nomen ſacri belli renatum eſt. Iohannes pontifex Philippo Longo Regi ius decimæ ad ſacram militiam exigendæ de ſacerdotibus petenti hac verborum conceptione exceptionéque conceſſit, ſi è re atque pietate id eſſe Gallis Epiſcopis videretur. Habito Patrum conuentu, reſponſum eſt, cùm bellum in barbaram regionem ac religionem vtique moueretur, tunc Patres aut ſub ſignis Regem nulla ſacroſanctæ vacationis venia, impigrè iuſtóque comitatu ſecuturos, aut ſacram pecuniam minimè parcè collaturos. Præſcriptio ſacrorum armorum aliò ſpectauit. Nam Pontifex perſpiciebat, Ludouicum Bauarum propter Cæſarei nominis ambitum & propter Italiæ opprimendæ ſtudium, hoſtem ex profeſſo aliquando futurum, qui modò nihil prætermitteret, vt & Italiam ciuilibus armis miſceret, & ipſe per diſcordiam principum ac vrbium, ſuperior factioſis factus, vtroſque aliò ſpectantes opprimeret.*

primeret. Prudenti itaque conſilio vſus, & fructus beneficiorum vacantium, in tres annos proximè ſecuturos, ſedi Apoſtolicæ in aliquibus regnis reſeruauit, & ſacram militiam alicubi indixit, vt militem præparatum hoſti publico quandoque opponeret. Paulus Aemilius libr. 8. in Philippo Longo.

21. Subſcribere debuiſſes, non *Paulus Æmilius* ſed *Abrahamus Bzouius*, nam Æmilio tu plurima affingis. Conferamus Æmilij verba cum tuis. *Pontifex Longo Regi petenti*, ait Æmilius, *ius decimæ ad ſacram militiam de ſacerdotibus exigendæ, hac verborum conceptione exceptionéque conceſſit, ſi è re pietatéque id eſſe Epiſcopis Francis videretur. Habito Patrum conuentu reſponſum eſt, cùm bellum in barbarā regionē* * *ſacrum vtique moueretur, tunc Patres ſub ſignis regem, nulla ſacroſanctæ vacationis venia impigrè iuſtóque comitatu ſecuturos aut ſacrū æs minimè parcè collaturos. Præſcriptio ſacrorum armorum aliò ſpectauit. Pontifex hoſtem iudicarat Ludouicum Bauariæ ducem. Ius Cæſarei nominis in controuerſia verſabatur. Duo ſummi viri Cæſares ſe vocitabant, Ludouicus Fœdericúſque; hic Auſtriæ, ille Bauariæ duces, paribus vterque procerum ſuffragiis lecti.* p. 432. v. 1 * religionē typographus per errorem poſuit.

22. Hæc ſola Æmilius, quem tu partim ex affectu in Ludouicum inſigniter auxiſti, partim ſatis malignè detruncaſti. Quæ in tuo ſermone minutiorib. literis expreſſa ſunt, ad tuum augmentum ſpectant; quæ in Æmilij textu, à te omiſſa ſunt, ne appareret, te de futuris, Æmilium de præſentibus pontificis ac Ludouici inimicitiis agere;

néue Ludouicus Friderico ſaltem par fuiſſe electionis iure videretur. Non times iudicium Lectoris, Bzoui? an fas eſſe putas, tua figmenta alienis verbis interſerere, & pro iiſd. venum exponere? Satis hæc doloſè; illud etiam ineptè, quòd pontificem, quem vbique defenſum is, propalam doli accuſes; nam ſi rex hanc pecuniam exegit, propter ſacrum bellum in barbaram regionem (Bzouius addit etiam *religionem*, cùm alterum tantùm, non vtrumque Æmilius ſcripſerit) mouendum, & tamen pontifex in bellum eam Cæſareum reſeruabat, vides, quid ſequatur? Abs rege pontificis nomine, ſed occultato conſilio falſóque ſacri belli prætextu patres Galliæ deceptos eſſe. Hoc tu conſilium quidem prudens appellas, ſed imprudens detegis, & iugulas ipſe tuum marginem, in quo hæc verba ſunt, *Philippo regi ius decima exigenda ad ſacram militiam concedit*. Scilicet, Bzoui, ad ſacram militiam; atqui tu ipſe ais, hanc æris collationem aduerſus Ludouicum Bauarum, hoſtem ex profeſſo futurum, ſpectaſſe. Ita pontifex comœdiam ſcripſit, rex Galliæ dedit, vt res nummaria conficeretur.

Col. 310. XXX, m. 23. Bzouius. *Quo pariter anno Ludouicus Bauarus auctoritate præſumpta, ſeu potius temeritate innata, in res Eccleſiaſticas diſponendas ſe ingerere cœpit. Cùm enim in monaſterio Hirſaugienſi duo in diſcordia*

diſcordia Abbates fuiſſent electi, ipſe ſibi munus cognoſcendi aſſumpſit, & Epiſcopo Spirenſi auctor fuit, vt is ſecundùm alterum pronunciaret. Chron. Hirſaug.

23. Apparet Bzoui te Ludouici factum lacerare ex deſtinato velle, conatu non laudato. Quæro ex te, an dominus quiſpiam, qui in prouincia ſua monaſteriorum defenſor eſt, cùm de legitimo capite controuertitur, perperam agere dici poſſit, ſi partes ad ſeſe conuolantes, ad Epiſcopum doctoréſque ablegei, non ferendo ſed committendo iudicium ad quos ſpectat? Tu ipſe ſcribis, Ludouicum auctorem fuiſſe Epiſcopo Spirenſi, vt is ſecundùm alterum pronunciaret; ergo Ludouicus non pronunciauit, neque ſententiam dixit, ſed Epiſcopus monachorum legitimus iudex: quomodo ergo temeritate innata, vt tu temere loqueris, Ludouicus ſeſe in res Eccleſiaſticas diſponendas ingerere cœpit? an patrono nefas eſt dare operam, ne quid monaſterium detrimenti capiat? Ludouicum autem ſapienter hoc in genere & tanquam ſupremum in imperio Eccleſiaſticorum aduocatum ſe geſſiſſe, diſcere potuiſſes ex eodem Trithemio ſeu Chron. Hirſaug. niſi mens tibi fuiſſet Ludouicum vellere & carpere. *Vna pars*, ait Trithemius, *numero & maturitate conſilij potior, Sigiſmundum Priorem quondam clauſtralem in Abba-* *An. 1317. §4. ante m.*

tem

tem elegit: alia verò pars Gerhardum Cuſtodem & monachum cœnobio præficere contendebat. Cúmque ambo electi ad iudicium Epiſcopi Spirenſis ac deinde ad audientiam Ludouici Regis Romanorum perueniſſent, audito electionis proceſſu, Sigiſmundus ſententia doctorum in abbatia confirmatus eſt. En crimen, en cauſam. Monachi & ad Epiſcopum & ad Ludouicum vltro nec vocati conuenêre in diſſidio, res acta eſt inter doctores de iure electionis: ſententia lata pro eo, cui adhæſit maior ſaniórque pars; ad quod ſi authoritate ſua impulit Ludouicus à monachis imploratus Epiſcopum Spirenſem (quod tamen Trithemius non dicit) magnum nimirum crimen comiſit, & eſt reus læſæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, aut Bzouius maieſtatis Cæſareæ.

ANNVS CHRISTI
1 3 1 8.
Ludouici Imperatoris quintus.

Col. 319. N. IV. I. BZouius. *Percuſſus gladio ſpirituali Matthæus* Mediolanenſibus ab Henrico VII. præfectus *multò magis titulum vicarij in Italia imperij ſibi arrogauit, útque reliqui non modò confœderati, ſed etiam fœderatione alieni principes eundem ſibi vſurparent,*

parent, imperauit. *Paſſarinum Mantuæ, Canem Scaligerum Veronæ tyrannos, pontifex admonuerat, ne ſibi eam dignitatem, citra ſedis Apoſtolicæ ſcientiam deſumerent. at illi Vicecomitis & Bauari conſiliis & auxiliis innixi contempſerunt. Corius ſuprà.*

2. Primum pronunciatum. *Matthæum ſibi arrogaſſe titulum vicarij.* Antehac quidem præferebat hunc titulum Matthæus, ſed hoc anno, abdicato vicarij nomine, grandius non ſine magno imperij & imperatoris præiudicio ſumpſit, nimirum Mediolanenſium principis ac domini, teſte ipſo Corio, quem, miror, qua fronte pro te adducas. *an. 1317.*

3. Secundum pronunciatum. *Aliis quoque principibus etiam à fœdere alienis vicarij titulum Matthæum imperaſſe.* Vbi hæc Corius, Bzoui? vbi dein ingenium? potuit alienis à ſuo fœdere principibus Matthæus imperare titulum?

4. Tertium pronunciatum. *Paſſarinum Mantuæ, & Canem Scaligerum Veronæ tyrannos, pontificis monitum, conſiliis & auxiliis Bauari innixos, contempſiſſe.* Et hoc vanum eſt, Corius iſta non refert, ſed Bzouius, qui etiam paulo ante laudaturus Marcum Matthæi filium & Gibellinorum *N.III.ſ.a.* ducem, vocat *iuuenem non impigrum.* Nempe qualis ipſe hiſtoricus eſt, talem Marcum ducem facit. Atque vt errori non voluntario verbi iungat voluntarium rei, addit Matthæum & Marcum Vice- *Ib. poſt m.*

comites, Ludouici Bauari ſpebus audaciores factos, factionis Gibellinæ principatum ſuſcipientes, recta & quieta monentem pontificem contempſiſſe,& ad opprimēdos pontificios reliquam multitudinem exciuiſſe. Auctores ſignat Bizarum & Corium, quorum neuter de Ludouico vel verbum.

Col. 321. N. IX. 4. Bzouius. *Eodem anno Iohannes pontifex patientia in Ludouicum Bauarum vſus nequaquam in auctorem, vel ſocium rebellium, ſententiam declaratoriam præcipitauit. Quamuis enim non ignoraret, illum proceribus Gibellinis animos addere, & ad recalcitrandum eos perurgere; benignitate tamen & longanimitate Apoſtolica vſus, tolerandum aliquantiſper putauit; ſi fortè temporis interſtitio ſanaretur. Addidit & aliqua poſtulanti indulgere. Namque vt in terris ſuis hoſpitalia militaris ordinis extruere poſſet, datis literis nu. 1346. conceſſit, neque illis aliter præſcripſit, quàm, Duci Bauariæ in Regem Roman. electo, ne ſcilicet lite pendente de electionis potioritate, præpoſtera aliqua præſcriptione epiſtolari, cauſæ illius præiudicaſſe videretur.*

5. Primum pronunciatum. *Iohannem pontificem in Ludouicum patientia vſum.* Ego verò exiſtimo Ludouicum patientia vſum in pontificem, qui illum aditu imperij Italici excluſum & volebat, & laborabat.

6. Secun-

Digitized by Google

6. Secundum pronunciatum. *Ludouicum fuiſſe auctorem vel ſocium rebellium.* Gibellinos vocat Bzouius rebelles, qui pontifici nunquam fuerant ſubiecti, ſed ab Iohanne ideo rebelles vocitati ſunt, quòd ſubiici detrectarent; ita Bzouius etiã rebellis eſt, qui paucis ſubiectionem ſui permittit. Pontificem omnes Catholici in ſacris ſuperiorem agnoſcunt, in publico ciuili regimine non omnes, niſi qua id religioni & Eccleſiæ officit: Cæſari aliiſque principibus ſubeſſe, nihil damni in ſacris adfert.

7. Tertium pronunciatum. *Ludouicum Gibellinis animos addidiſſe, eóſque ad recalcitrandum perurſiſſe.* Solent id duces militares: ſuis animos addunt, & hoſti reſiſtere hortantur; certè in eo pontifex, quòd Gibellinos imperio fidos ad ſeſe trahere contendebat, Ludouico amicus non erat. ſicut ergo obniti contra vſurpatores ſuorum iurium Ludouicus potuit, ita & aliis ſuadere, vt idem facerent, potuit.

8. Quartum pronunciatum. *Expectaſſe pontificem Ludouici ſanitatem.* Si omnia imperij iura, quæ in Italia ſupererant, Ludouicus vel in manus pontificis reſignaſſet, vel neglexiſſet, iam ſanus fuiſſet. Accipe ſanitatem Iohannis ex Iohanne Bapt. Pigna Italo, quo tu paulò ſuprà teſte vteris, *Etſi pleroſque*, inquit in Ateſtinorum eiuſd. anni cauſa, *N. VII. f.*

De princip. Ateſtinis an. 1318. f. p. 262. poſt m. *eorum temporum pontifices multorũ teſtimonio ſcriptorum comperimus variis animi perturbationibus obnoxios fuiſſe, &c.* Et poſt multa, *Johannem vſque adeò praui conſultores deprauauerant, tanta is cupiditate poſſeſſionis flagrabat, quia penes ſuperiorem pontificem fuiſſet, vt illam interuerſam moleſtiùs ferret, quanto minore fructu eorum criminationibus adductus ſacra arma intentaſſet, nec profana ſuperabant.* Quæ cùm Bzouius refellere debuiſſet, alto

an. 1318. VII. 1319. IV. 1320. IV. 1321. XII. ſilentio inuoluit, contentus referre, quid Iohannes contra Ateſtinos & Ferrarienſes fecerit, pacem quidem, vt ait mentientes, aliud verò in ſuam rem procurantes; illos etiam poſſeſſionem Ferrariæ à Iohanne petentes, & bellum Patauinis intentantes.

9. Et quia Bzouius auctorem ex quo illa quatuor pronunciata deſumpſerit, tacet, ſeipſum profitetur auctorem.

ANNVS CHRISTI 1319.

Ludouici Imperatoris ſextus.

1. MEmorabilis hic annus eſt, ſi Bzouio Blondóque credimus, fatali controuerſia, quæ inter

Digitized by Google

inter duo ſumma Chriſtianitatis capita, Pontificem Cæſarémque Ludouicum in diras execrationes erupit. ita rem narrat Bzouius.

2. *Non omiſit interim Matthæus Vicecomes, principatum vrbis Mediolanenſis per tyrannidem arreptum, iiſdem artibus ſibi ac poſteris conſtabilire: fretus vel maximè conſilio & auxiliis Ludouici Bauari, qui per id temporis, ius ſuum Auinione coram ſummo pontifice vrgebat, & nihilominus clam per literas & internuncios, Matthæum in conſtituenda tyrannide iuuabat, nec non Gibellinos Italiæ, in Pontificiorum cædem armabat ſeu excitabat. Itaque Iohannes Pontifex miſſo in Italiam Beltrando Cardinale Legato, Vicecomitem & filios primùm officij admonuit: deinde contemnentes, cœtu piorum excluſit, atque ſacris vrbi interdixit. Ludouicum quoque petentem Imperij Romani confirmationem non exaudiuit; útque ab imperialibus abſtineret muneribus, anathematis comminatione deterruit, nec non paulò poſt, Vicecomitibus & aliis qui ſibi titulum Vicariorum imperij arrogauerant, fauentem, primùm in publico conſiſtorio, poſtea in Baſilica Cathedrali, anathematis gladio ſpirituali, Auinione percuſſit. quod quidem vſque adeo Ludouicus contempſit, vt miſſis in Italiam nunciis, rem Eccleſiaſticam omnino euertere atque peſſumdare contenderit. Eius namque nixi conſilio Vicecomites, Richardum Archiepiſcopum* Col. 327. N. 1.

Mediolanenſem & reliquos pontificios, nec non inprimis Turrianos vrbe exegerunt, & Robertum Siciliæ regem, Genuenſibus ea tempeſtate præſidentem, Genuæ obſederunt.

3. Huius narrationis teſtes producit Bzouius, Blondum dec. 2. l. 9. Boſſium, Petrum Bizarum hiſt Genuens. li. 1. Sed fucum de more facit; nam poſteriores duo nihil de Ludouico horum ſcribunt, ea verò quæ Blondus tradit, non hunc ſed 1322. annum ſpectant. Quod vt videas, accipe eius verba, memor tamen Ludouicum & legitimè fuiſſe electum, & rite ſtatim poſt electionem adminiſtraſſe imperium; cuius vtriuſque rei ignoratione abreptus Blondus ita criminatur Ludouicum, *Ludouicus*, inquit, *ea elatus victoria* de Fri-
p. 341. I. derico anno 1322. reportata, *pro imperatore illico ſe geſſit, multa diſponens concedénsque, quæ confirmatum coronatúmque decuit Romani pontificis conſilio iudicióque ſubÿcere. Ardentibus enim diſsidiis atque bellis Italiæ ciuitatibus, faces imperatoriæ auctoritatis adulterinæ addidit, nulla pontificis Romani auctoritatis habita ratione. Primum tamen omnium ex Lombardis Matthæum Vicecomitem, Galeaciúmque, Marcum, Luchinum, Iohannem & Stephanum eius filios ita fouit, vt ad vrbis Mediolani tyrannidem tunc primùm impudentiùs cœperint aſpirare.*

4. Vide, quàm Bzouio cum Blondo teſte ſuo conue-

Digitized by Google

conueniat. Ille enim refert Matthæum hoc anno 1319. conſtabiliuiſſe arreptum per tyrannidem principatum Vrbis Mediolanenſis; iſte, anno 1322. primùm impudentiùs cœpiſſe ad eiuſdem vrbis tyrannidem aſpirare.

5. Deinde poſt multa interiecta, Ludouici cum Vicecomitibus geſta ſic continuat Blondus, p. 351. v. 7. *Ludouicum Bauariæ ducem poſt datos Matthæo Vicecomiti nimios in Mediolano conſtituenda tyrannide fauores, poſt ſubleuatos in rebellionem, in aduerſariorúmque cædem Lombardiæ Gibellinos, Iohannes pont. Romanus petentem imperij confirmationem, & repulit, & vt ab imperialibus abſtineret muneribus, anathematis comminatione deterruit: legato etiam Romanæ Eccleſiæ Cardinale in Lombardiam à pontifice miſſo, Vicecomites pater & filij, vt omiſſa tyrannide Mediolanum ſibi relinquerent gubernandum, petiti cùm non paruiſſent, vrbi ſacris interdicto excommunicati ſunt. Parúmque pòſt perſeuerans in eorundem fauoribus Bauarus Auenione publico primùm conſiſtorio, pòſt in cathedrali Baſilica anathematis ſpirituali mucrone ab irato pontifice eſt confoſſus, quod quidem vſque adeò vir impius ſpreuit, vt miſſis in Italiam nuncius rem Eccleſiaſticam omnino euertere ac peſſundare contenderit. Primam tamen Italiæ regionum Lombardiam eius faces incendij impleuerunt, quibus & Liguria eſt afflata. Gibellini namque*

namque Genuenſes Lombardorum ſua factionis fauore Guelfos multis affecerunt incommodis. Híque vt reſiſtere poſſent, Robertum Regem promiſſo vrbis dominio auxilia petiuerunt, qua illis ab Hetruria cùm dediſſet, breui pòſt paratiore pramiſſo exercitu mouens à Neapoli cum nauigio eſt ſubſequutus &c.

6. Neque tantùm ex hoc Blondi narrantis ordine, ſed etiam ex comminatione anathematis, & ipſo quoque anathemate (quæ idem Blondus loco citato memorat, Bzouius autem anno 1323. §. IV. & VII. f. repetit) colligitur Bzouium tautologicâ vſum anticipatione. Nam anno 1323. primùm [a] recitat monitorium Iohannis Ludouico anathema minantis; deinde [b] oblitus eius, quod hîc ex Blondo dixerat (Ludouicum primò in publico conſiſtorio, anathemate percuſſum) ait, eum in congregatione Epiſcoporum & Cardinalium ſynodo non exigua (quod eſt publicum conſiſtorium) ſecundò excommunicatum. *Primò* & *Secundò* idem eſt Bzouio. Sed ad pronunciata.

a N. IV.
b N. VII.

7. Primum pronunciatum. *Matthaum principatu Mediolanenſi per tyrannidem* (id eſt vſurpationem cum iniuria in pontificem imperij vacantis adminiſtratorem, cùm non pontifici ſed imperatori Ludouico iniuria ſit facta) hoc vel ſuperiore aliquo anno *potitum.* Quod nullo teſte probat (Blondus enim de ſequentib. annis loqui videtur,

tur, certè neque hunc neque vllum ſuperiorem hìc deſignat) vt nec pronunciata ſequentia.

8. Secundum pronunciatum. *Matthæum Vicecomitem principatum per tyrannidem ſtabiliuiſſe, conſilio & auxilio Bauari fretum.* Si principatum Matthæus conſtabiliuit auctoritate Cæſarea, non per tyrannidem conſtabiliuit, & meritò potuit conſilio auxilióque iuſto Bauari confidere, vtpote Cæſaris legitimè electi.

9. Tertium pronunciatum. *Per id tempus Bauarum Auinione ius ſuum vrſiſſe, & tamen tyrannidem Matthæi clam per literas & internuncios iuuiſſe, nec non Gibellinos in pontificiorum* id eſt Guelforum *cædem armaſſe ſeu excitaſſe.* Quis crimini det Ludouico, ſi legitimè ius ſuum apud pontificem vrſerit? tyrannidem ſi quam Matthæus in ſuos exercuit, non iuuit Ludouicus, ſed ſi iuuit Matthæum cæteróſque Gibellinos hoc anno, iure merito aduerſus hoſtes Guelfos imperij deſertores iuuit.

10. Quartum pronunciatum. *A pontifice Matthæum cum filiis antea monitum, cœtu piorum excluſum.* Errata Matthæi filiorúmque non examino, vti nec pontificis factum: tantum rurſus dico, vtraque à Bzouio in hunc annum conijci, cùm Blondus in annum 1322. vel ſequentem reiiciat.

Digitized by Google

11. Quintum pronunciatum: *A pontifice Ludouicum confirmationem petentem non exauditum, ſed & anathema intentatum ei eſſe, ni imperio cederet.* Neutrum hoc anno factum eſſe probat Bzouius.

12. Sextum pronunciatum. *Ob fauorem hoſtibus pontificis impenſum, Ludouicum ſemel iterúmque diris paulò pòſt deuotum.* Itaque tota Ludouici culpa fuit, nolle tota Italia cedere, rerúmque arbitrium ſummo pontifici permittere. Ludouicus electus fuit, vt regnum conſeruaret, non vt proiiceret. Cæſar ſibi fidos iuuit, ſi iidem pontificis hoſtes erant, inde euênit, quòd & pontifex ipſorum hoſtis erat, nam eum pro politico capite nõ agnoſcebant. Bzouius ſolus huius excommunicationis hoc anno teſtis eſt; non Blondus, nec alij, quos
N. III. f. & V II. poſt med. ego viderim. Quin & Bzouius anno 1323. ſeipſe refellit, vbi geminas has excommunicationes ad annum 1323. & 1324. refert. Rebdorfius tunc viuebat, ſcribebat, & multa abſens Francoforti ſuprà vidit, quare non & hoc anno aliquid Auinione vidit?

13. Septimum pronunciatum. *Ludouicum anathematis gladium contempſiſſe, & miſſis in Italiam nunciis rem Eccleſiaſticam euertere contendiſſe.* Si nullo anathemate notatus fuit, nec contemnere potuit: ſed demus hoc vinculo eum innodatum hoc

hoc anno, Pontificis certè ſententiam non æſtimauit Ludouicus, nam in ſeſe tantum nefas admiſſum non noſcebat, vt tam graui pœna plecteretur: ſuis duntaxat opitulabatur; pontificem non, niſi per Guelſos oppugnantem, oppugnabat; nec rem Eccleſiaſticam euertere ſed politicã imperio conſeruare contendebat. Si imperij vrbes ad pontificis ditionem pertinebant, Ludouicus perperam fecit obnitendo; ſi ad Ludouicum tanquam ad legitimum regem ſpectabant, non malè fecit ipſas vindicando & conſeruando, & pontifex cum eo egit non vt iudex ſolùm, ſed & vt pars, quæ non niſi ſuam cauſam probabat.

14. Octauum pronunciatum. *Vicecomites conſilio Ludouici nixos Richardum Archiepiſcopum Mediolanenſem nec non Turrianos vrbe exegiſſe.* Quaſi non iam antea id factum anno 1316. Bzouius commemoraſſet, omiſſo tamen Ludouici conſilio, quod & auctores ab eo ibidem aſcripti omiſere, Bzouius hìc de ſuo addidit. *N. III. f.*

15. Nonum pronunciatum. *Vicecomites eiuſdem Ludouici nixos conſilio, Robertum Siciliæ regem Genuæ obſediſſe.* Blondus cuius verba ſuperiùs allata ſunt, id conſilij inſinuat, ſed ita vt ſe ipſe refellat. Docet enim Ludouicum prius anathemate confoſſum, quàm miſſis in Italiam nunciis rem Eccleſiaſticam euertere contenderet, & Vicecomites

tes ad incommoda Genuenſibus Guelfis inferenda concitaret: atque ab his tum inuocatum regem Robertum adiutorem veniſſe Genuam Neapoli. Quæ inter ſeſe nequaquam conſpirant nam Ludouicus etiam Bzouio auctore ante annum 1323. non fuit excommunicatus. At Vicecomites anno 1318. vel 1319. Genuenſibus bellum intulerunt Corio ac Bizaro teſtibus, eodémque anno Robertus Genuenſibus auxilio vênit. Non igitur Ludouicus excommunicatus belli eius auctor eſſe potuit; nec Bzouius rectè hîc ex Blondo monſtrat, Vicecomites conſilio Ludouici Robertum hoc anno Genuæ obſediſſe.

(margin: *Ib. N. III.*)

ANNVS CHRISTI
1320.
Ludouici Imperatoris ſeptimus.

N. I. Col. 337. I. BZouius. *Apud Inſubres omnia per id temporis inquieta. Matthæus, Marcus, Luchinus, & reliqui Vicecomites tum amicorum quorundam ſeceſſione, tum diris pontificiis irritati, non tantùm Mediolanenſes, verùm & Cremonenſes & Genuenſes, & Brixianos Guelfos armis laceſſebant*: quòd iſtud

iſtud è re ſua eſſe Ludouicus Bauarus interim exiſtimaret. Et quidem Gibellini ipſum in Italiam vt quamprimum veniret, inuitabant: cæterum is cum Auſtriacis hactenus de poſſeßione regni dimicans, hoſtem domi relinquere non poterat. Literis tamen vltro citróque datis, primo quoque tempore ſe venturum pollicebatur, atque Vicecomites modis quibuſuis ad conſtantiam animabat.

2. Primum pronunciatum. *Cauſam bellorum à Vicecomitibus geſtorum fuiſſe, quòd iſtud è re ſua eſſe Ludouicus exiſtimaret.* De hoc & ſequentibus duobus pronunciatis nil Boſſius, Corius, Iouius in Matthæo hoc anno; nec dubitamus, quin tantundem de eo dicat Iohannes epiſt. 85. (ex qua alia quædam hîc memorantur) & Bzouius pro conſuetudine de ſuo cauſam illam affinxerit. *N. II principio.*

3. Secundum pronunciatum. *Ludouicum à Gibellinis in Italiam vt quamprimum veniret, inuitatum, ſed venire non potuiſſe.*

4. Tertium pronunciatum. *Ludouicum promiſiſſe, ſe quamprimum venturum, & Vicecomites modis omnibus animaſſe.*

5. Bzouius. *Non diſsimili aſtu vſus eſt Canis Scaliger in exercitu Germanorum deludendo. Fridericus Romanorum rex electus, in auxilia Guelforum Patauinorum Henricum fratrem Auſtrium cum aliquot cohortibus transmiſerat. Cæterum cùm is non-* *N. II. Col. 338.*

nullas vrbes à Guelfis depoſceret; neque ij concedere aut poſſent, aut vellent, facilè aures & manus Scaligero aperuit, vt pollicitationibus & donariis onuſtus in Germaniam reuerterit. Donatus Boſſius in Annal. Mediolanenſ. Corius parte 3. hiſtor. Mediolan. Paulus Iouius in Matthæo, & epiſtol. Ioann. Pontif. huius anni numero 85.

6. Primum pronunciatum. *Henricum à Friderico in auxilium Patauinorum miſſum hoc anno.* Ita quidem Boſſius, cùm id ad annum 1322. referant non modò Villanus & Argentinenſis, rei geſtæ ſynchroni, ſed etiam Corius & Nauclerus Boſſio ferè æquales, nam iſte vſque ad annum 1492. illi vſque ad 1500. ſcripſerunt. Contra verò quæ
a l.9.c.119 Corius & Villanus [a] hoc anno à Friderico & Henrico per Comitem Goriciæ & mille vel quingentos galeatos contra Scaligerum pro Patauinis præclarè conſerto prælio geſta narrant, ea Bzouius pro conſueta obliuione ſua omittit.

7. Secundum pronunciatum. *Vrbes quaſdam ab Henrico poſtulatas nec impetratas.* De hoc nil habet Boſſius, Corius, Iouius, nec vt haud dubiè arbitramur, Iohannes epiſtolâ 85. ſed Mutius, quē tu ſequenti demum §. citas ſolita vanitate, adiunctis aliis figmentis, vt mox videbimus.

N. III. 8. Bzouius. *Quod Fridericum Auſtrium atti-*
Col. 338. *net; miſerat is oratores ad pontificem Iohannem, vt ſibi*

ſibi regnum Romanorum decerneret, & in Italiam penetrare ſineret, tum deinde Imperij inſignia conferret, atque Imperatorem eſſe iuberet. Namque id temporis tota Germania intenta in Romanam ſedem erat, ac plurimi dum confirmationem expectarent, interea neque Ludouico, neque Friderico adhęrere volebant, ſcilicet tanta Romanę ſedis auctoritas & religio apud pleroſque fuerat, vt non iudicarent, neque appellandum cenſerent imperatorem, niſi qui vnctus, coronatus, confirmatúſque eſſet per Romanum pontificem, aut per Apoſtolicos legatos. Et ſi qui inuenirentur, apud quos non tantam, quantam meretur, auctoritatem habebat ſedes Romana, tamen confirmationem expectabant, ſcientes non niſi illum fore imperatorem, quem Romanus pontifex renunciaret, aut approbaret. Poſtulabat inſuper Fridericus à Iohanne, vt anathematis ſententiam in Ludouicum hoſtem ſuum per vniuerſam Germaniam publicari iuberet, atque vniuerſos eius populos, qui ſe iuramento fidelitatis Ludouico aſtrinxerant, ſacramento exſolueret. Et quidem pontifex Fridericum confirmare potiùs diſtulit, quàm omnino recuſauit. Interim autem benè eum ſperare iuſsit; útque aduerſus hoſtes Eccleſię iam pręſentẽ opem adferret, admonuit. Pręmia inſuper vitę ęternę repromiſit, indulgentiámque plenariam omnium peccatorum, ijs quos in Italiam ſubmitteret impertiuit. Duo millia equitum

Iohannes PP. Fridericum Imperatorem electum inaugurare differt.

tum numerabantur, præter peditatum ingentem, ſub ſignis Henrici Auſtriaci, fratris Friderici electi. Eorum aduentus plurimum timoris Gibellinis attulerat. Quamobrem ad artes conuerſi, Legatos ad Fridericum deſtinarunt, qui exponerent, perperam Fridericum agere, hac quidem imperium ambientem, hac verò amicos imperij inuadentem, & arma illis inferentem, cùm maximè ipſi pro iuribus & dignitate Imperij decertarent, nec niſi Friderico, ſi ſuperior iure vel ferro euaderet, militarent, viámque ad recuperandum decus & maieſtatem imperatorum aperirent. Quòd ſi is pertinaciùs Guelfos adiuuaret, & principes imperio addictos extirparet, videret, ne, dum imperium conſectatur, ab eius ſpe & poſſeſſione excidat, atque armis Germanorum, non Germanis, ſed pontificibus Romanis Italiam ſciens prudens ſubijciat. Addita à Gibellinis munera ampliſſima: quæ Henricus libens vidit atque tulit, ſibíque facilè imponi paſſus eſt. Præſertim cùm obſequentiam Friderico non minùs quàm Ludouico ſponderent, ſi is imperatorium honorem quoquomodo conſequeretur. Hærebat Henricus inprimis, anxius quid faceret. Obſequendum pontifici ſuadebat neceſſitas confirmationis & inaugurationis, à qua totius rei ſumma pendebat. Reducendum porrò in Germaniam exercitum, præſens aurum, falſæ pollicitationes & pericula conficta impellebant. In deliberationem negotio propoſito, placuit

A Gibellinis Henricus Friderici imperatoris frater pecuniis corruptus exercitum in Germaniam reducit.

Digitized by Google

placuit munera accipere, pedémque referre; ne ſcilicet perdere ac prodere res & amicos imperij diceretur. Priùs tamen quàm exercitum reuocaret, Fridericum admonuit. Hic porrò, vt pontificem deciperet, honeſtam aliquam cauſam reuerſioni prætexendam eſſe inſinuauit. Excogitata eſt in momento. Cum Patauinis & reliquis pontificiis actum, vt Henrico aliquarum vrbium dominium permitterent. Cum negaſſent, nec niſi amplum ſtipendium duci ac militibus promitterent; dux anſa arrepta ſocios Guelfos deſeruit, exercitúmque reduxit, non obſtantibus Gibellinis, totius fabulæ non ignaris. Eam Germanorum diſceßionem cùm pontifex audiuiſſet, perfidiam Friderico exprobrauit, cuius maculam vt is elueret, atque fulminationes pontificias à ſe auerteret, oratores quantocyus ire iußit, qui eum atque fratrem excuſarent: induciáſque Guelfos inter & Gibellinos poſtularent; ſe velle interim auctoritatem interponere, vt odiis depoſitis, in concordiam venirent. H. Mutius hiſtor. German. lib. 24.

Mutium in campum educit Bzouius ſed fœdè laceratum, vti ex pronunciatis conſtabit.

9. Primum pronunciatum. *Fridericum Auſtrium ad pontificem Iohannem legatos miſiſſe, imperium eiuſque inaugurationem, atque etiam aditum in Italiam petiiſſe.* Per Deum immortalem, tu inter apertos oculos ad hunc modum deſcribis

Mutium? Diſpiciamus verba & ipſius & tua.

l. 24. pag. 224. 33. 10. *Cùm Iohannes pontifex*, inquit Mutius, *animaduertit Gibelinos ſæpius vincere & expugnare munitas vrbes, fretos militibus Germanis à Ludouico miſsis: operæpretium & neceſſarium exiſtimauit, ad Fridericum mittere legatos, vt mittat ſibi auxilium, promittítque per legatos, ſe eum confirmaturum, ſi iam præſentem opem adferat aduerſus hoſtes Eccleſiæ, & viciſsim ſe ipſi auxilio futurum aduerſus hoſtes ſuos. Addunt ſimul legati, quàm facilis via ſit hæc ad ſuperandum hoſtem ſuum Ludouicum, pontificia enim auctoritate ex tota Germania poſſe Papam, ſi velit, eiicere Ludouicum. Præmia inſuper addit vitæ æternæ, plenariam nimirum indulgentiam omnium peccatorum; & fratrem eius, qui erat ſacris initiatus, pollicetur Pontifex ſe ad Archiepiſcopatum Moguntinum promoturum. Fridericus etſi non fideret pontificiis promiſsis, intelligerétque quidquid Papa faciebat, contra imperium eſſe, & iam ſe in neceſsitate vocari, aliàs pontificem malle alium imperatorem, cui pontificia ſedes magis curæ eſſet quàm imperium, aut omnino nullum, nã non obſcurum erat quantopere fouerat illud diſsidium duorũ imperatorum, vt nullus eſſet imperator: tamen omnino cenſuit mittendos, ne dominus in Italia factus Ludouicus, aut cogeret hunc Papam ad ſe confirmandum, aut hoc à pontificatu deturbato, alium ſubſtitueret,*

tueret,

tueret, à quo confirmationem electionis ſuæ acciperet. Hæc Mutius.

11. Scitè & pulchrè Bzoui. Tu ais Fridericum ad pontificem legatos miſiſſe; Mutius ſcribit, pontificem ad Fridericum miſiſſe. Tu ais Fridericum à pontifice quædam poſtulaſſe; Mutius ſcribit, pontificem à Friderico poſtulaſſe.

12. Secundum pronunciatum. *Et ſi qui inuenirentur apud quos non tantam, quantam meretur, auctoritatem habebat ſedes Romana, tamen confirmationem expectabant, ſcientes non niſi illum fore imperatorem, quem Iohannes pontifex renunciaret, aut approbaret.* Exſcripſi ipſa verba tua Bzoui, non apice læſo, vt ea cum Mutianis conferret lector. Mutius ita loquitur, *Etſi qui erant, apud quos non tantam auctoritatem habebat ſedes Romana, tamen confirmationem expectabant, ſcientes fore imperatorem quem Romanus Papa eſſet approbaturus.* Hæc Mutius, qui ſecundùm à te auctus eſt, inſeruiſti enim primò, *quantam meretur.* Ego quidem nullum Apoſtolicæ ſedi meritum nego, ſed tamen aio non licuiſſe tibi verba interponere ab auctore aliena; nam ne neſcius ſis, hic auctor non eſt tantus pontificum amicus, vt in eum hæc verba cadant, quibus tu eum auxiſti. Alterum eſt, & quidem nimium; Mutius ſolùm ſcripſit, *ſcientes fore imperatorem, quem Romanus Papa eſſet approbaturus:* tu

 rurſus

rurſus ades cum augmento, *ſcientes non niſi illum fore imperatorem, quem Romanus pontifex renunciaret aut approbaret.*

13. Tertium pronunciatum. *Fridericum à Iohanne, antequam hic ab illo auxilia petiiſſet, poſtulaſſe, vt excommunicationis in Ludouicum ſententiam per Germaniam publicaret*. Mutius contrà docet, Fridericum à Iohanne per Legatos auxilia rogatum, viciſſim petiiſſe, vt pontifex anathematis ſententiam in Ludouicum per Germaniam publicaret: neque enim dubitabat futurum, vti Ludouicus ab Eccleſiæ capite proiectus, à Germanis deſereretur.

14. Quartum pronunciatum. *Poſtulaſſe Fridericum, vti pontifex vniuerſos eos populos, qui ſe iuramento fidelitatis Ludouico aſtrinxerant, ſacramento exſolueret.* De hoc nihil habet Mutius, Bzouius ex ſeipſo deſcripſit.

15. Quintum pronunciatum. *Pontifex Fridericum confirmare potiùs diſtulit, quàm omnino recuſauit.* Mutius ita refert, *Promittit* pontifex *per legatos, ſe eum confirmaturum*, quod vt video, eſt, non omnino recuſare: & *promitto* ſignificat *non omnino recuſo*. Pontifex promiſit Friderico confirmationem, ſi miſſo in Italiam exercitu, Guelforum factionem iuuaret. Sed video quare dicas, pontificem non omnino recuſaſſe, quia eum, vt tu loqueris,

ris, bene ſperare iuſſit. Sunt meræ nugæ: quia non dixit pontifex, vbi auxilio meis veneris, ſperare te bene iubeo; ſed vbi ſubſidium meis miſeris, confirmabo te: nam promiſit hoc pontifex, auctore Mutio.

16. Sextum pronunciatum. *Duo millia equitum numerabantur, præter peditatum ingentem, ſub ſignis Henrici Auſtriaci, fratris Friderici electi.* Mutij verba ſunt hæc, *Erant præter peditatum equitum duo millia.* Bzouius plures milites ſcripſit, quam forſitan Henricus duxerit, nam ad Mutium addit *ingentem peditatum.*

17. Septimum pronunciatum. *Eorum* (Auſtriacorum) *aduentus plurimum timoris Gibellinis attulerat.* Fieri poteſt quod Bzouius ſcribit, ſed fieri non poteſt, vti hæc ex ſuo Mutio deſcripſerit, ſicut nec alia plura, quæ de legatis Gibellinorum ad Fridericum ſuis verbis ornat & amplificat. Mutij enim verba ſunt eiuſmodi, *Gibellini vbi audiuerunt Fridericum auxilia Germanorum miſiſſe pontifici, ſtatim mittunt ad Fridericum legatos, qui illi expoſuerunt dilucidiſſimè, quo pacto contra ſeipſum & imperium mitteret auxilia, nam milite Germano fretum pontificem occupaturum omnia in Latio quæ imperij ſint. Eſſe enim in Longobardia multas ciuitates, quæ in fide perſeuerent, quas Romanus Pontifex debellaturus ſit. Et ex Hetruria Gibellinos, id eſt, fide-*

 les

les imperij eiecturus. Sicque omnes ciuitates & Principes imperiales iudicaturos, quòd Fridericus imperium cupiat perditum, proptereáque vt hoſtem imperij auerſuros. Et futurum vt Italia tota ſubiiciatur pontificis ditioni, vt neque Fridericus, neque alius quiſquam ex poſteris Germanis poßit ire Romam, illícque coronari.

18. Octauum pronunciatum. *Addita à Gibellinis munera amplißima, quæ Henricus libens vidit atque tulit, ſibíque facilè imponi paſſus eſt.* Nos verò non patimur à te, Bzoui, nobis imponi. Vbi Mutius de his muneribus? tu de iis ſcribis, atque ſi ipſe fercula portaſſes ad militare Auſtriaci tribunal. Deinde legationem ad Fridericum miſſam dixeras, nunc repentè tui oblitus, eam totam ad Henricum detorques, vt non modò Mutio ſed etiam tibi ipſi aduerſeris.

19. Nonum pronunciatum. *Eoſdem Gibellinos obſequentiam Friderico non minùs quàm Ludouicò ſpopondiſſe, ſi is imperatorium honorem quoquomodò conſequeretur.* Mutius hoc tantùm, *Promittunt autem illi obedientiam debitam, vt iubeat exercitum quem pontifici miſerat, reuerti in Germaniam.*

20. Decimum pronunciatum. *Haſiſſe Henricum anxium quid faceret, obſequendum pontifici ſuaſiſſe neceßitatem confirmationis & inaugurationis &c.* Hæc iterum ſunt ex Bzouio non ex Mutio.

tio. Fridericus animi dubius fuit poſt Gibellinorum legatos auditos, non Henricus, quia legati ad hunc non erant miſſi.

21. Vndecimum pronunciatum. *Reducendum in Germaniam exercitum, præſens aurum, falſas pollicitationes & pericula confiсta Henricum impuliſſe.* Falſiſſima hæc ſunt Bzoui: quod aurum teſte Mutio perſuaſit Henrico? quæ ſunt illa munera? ex tua crumena prodit hæc moneta; vti & falſæ pollicitationes (de quibus nil mutit Mutius) & pericula confiсta. Mutius docet, Fridericum reipublicæ conſuluiſſe (quod omiſit Bzouius) & vera à ſe auertiſſe pericula reducendo exercitum. Audi Mutium, *Quare dubius animi ignorat quid factu optimum ſit Fridericus, obſequíne pontifici, vt conſequatur confirmationem, à qua pendebat totum imperium; an reipublicæ conſulere, & reducere exercitum. Propter hanc rem conuocatis omnibus, qui illi à conſiliis erant, deliberauit cum ipſis. Cùm igitur omnia diſcuterent diligenter, tandem placuit reuocare quamprimum exercitum, ne Fridericus alienaret à ſe omnes imperij amicos, cenſeretúrque hoſtis imperij, qui non cuperet adminiſtrare res imperij, ſed perdere, prodere imperium.*

22. Duodecimum pronunciatum. *Placuit Henrico munera accipere, pedémque referre.* Si Bzouio

uio placeret pedem ad veritatem referre, probior hiſtoricus foret. Nihil Mutius.

23. Decimum tertium pronunciatum. *Henricus priuſquam exercitum reuocaret, Fridericum admonuit.* Henricus non admonuit Fridericum, ſed *Fridericus*, vti ait Mutius, *ſcribit ad fratrem ſuum Henricum, iubétque eum in Germaniam redire.*

24. Decimum quartum pronunciatum. *Hic* Fridericus *porrò, vt pontificem deciperet, honeſtam aliquam cauſam reuerſioni prætexendam eſſe inſinuauit, &c.* Mutius verò *iuſſiſſe Fridericum*, ait, *vt Henricus in Germaniam rediret, accepta occaſione, quamcunque tempus, locus, res, perſonaue darent*; nulla decipiendi pontificis facta mentione. Henricus quidem voluit pontificios decipere, ſi Mutio credimus; ſi Bzouio, Fridericus pontificem. Bzouius ait, momento excogitatam cauſam; non Mutius. Bzouius ait, non niſi amplum ſtipendium duci ac militibus promiſſum; Mutius ſignificat præter ſtipendium magna promiſſa. Sic enim ait, *Henricus igitur ne videretur à fratre reuocatus, alienarétque pontificios ab eo, petit quaſdam vrbes ab eis, ſi velint, vt vnà ferat commune periculum in ſeruandis & recipiendis illis, ſe enim velle ſibi peculium parare, ſua nihil referre, quòd frater pontifici cupiat ſeruire, & promiſerit auxilium; ſe duce ſuîsque magna ex parte ſtipendiis illos ſecum ex Germania*

 veniſſe,

Digitized by Google

veniſſe, minatur ergo ſe reducturum copias, niſi concedant illi dominium vrbium inſignium, quas nominauit, quáſque ſciebat non daturos. Pontificij magna promittunt, vt maneat, ſtipendium duci & militibus pollicentur amplum.

25. Decimum quintum pronunciatum. *Pontificem Friderico perfidiam obieciſſe.* Mutius non ait perfidiam Friderico obiectam, ſed ſcribit pontificem per legatum accuſaſſe Henricum fratrem eius, queſtúmque ſe deſeri contra fidem.

26. Decimum ſextum pronunciatum. *Fridericum oratores ad pontificem ire iuſsiſſe, vt ſe fratrémque excuſarent.* Mutius de fratre nihil habet, ſed Bzouius auget hiſtoricos. Mutius docet authoritate Friderici factas fuiſſe inducias inter Gibellinos & Guelfos; Bzouius inducias à legatis Friderici poſtulatas, Fridericum velle interim authoritatem interponere, vt in concordiam venirent.

27. Et ex hoc vnico loco, ſi nondum ſcit lector, diſcere poteſt, qua arte ſcriptores tractet Bzouius.

ANNVS CHRISTI
1321.
Ludouici Imperatoris octauus.

Col. 353. N.I. Iohannes PP. contra Ludouicũ Bauarum imperatoris officia arroganter ſibi vſurpentẽ, Fridericum euocat.

I. BZouius. *In Germania necdum hoc anno omnia quieta, Ludouico Bauaro & Friderico Auſtrio de Romanorum regno armis certantibus. Ludouicus necquicquam monita Johannis pontificis curans, omnia imperatoris officia exercebat, & tum ſacramentum fidelitatis ab eis, quos in poteſtatem redegiſſet, extorquebat; tum in Italia Gibellinos contra pontificem & pontificios armabat; eáque ratione viã ſibi ad imperij inſignia conſequenda præparabat: tum ſi quos auri vel lucelli auidiores doctores ſciret, maximè qui iniquiore in pontificem animo forent, prehenſabat, vt eorum nixus auctoritate, pontificis in adminiſtrando tempore interregni imperio ſupremam poteſtatem eleuaret; & reliqua calamo hæretico concepta, paulò pòſt in vulgus contra Romanam ſedem euulgaret. Non hæc ignorauit Iohannes ſummus præſul. Quamobrem diras illi iterum oſtentauit, útque à cœptis infauſtis deſiſteret, admonuit. Deinde Friderico Auſtrio, centum millibus aureorum oblatis, multiſque in rem eius ſpoponſis, eum in auxilia euocauit; futurúmque illum imperatorem eſſe, ſi ſubſidia ferret, promiſit. In Italia quoque, Roberto regi Siciliæ Imperij Vicario & Raymundo Cardono pro Eccleſia Romana Copiarum Eccleſiaſticarum præfecto, vt pontificios oppreſſos tuerentur, iniunxit. Bertrando item Cardinali legato apud Inſubres agenti, animos maiores aduerſus Vicecomites fecit, qui Valentiæ Inquiſi-*

quiſitori F. Vberto Sparogaria Ord. Præd. poteſtatem contra eos & reliquos adhærentes contumaces dedit: is autem ad diem XXVI. *Maij apud Diuum Stephanum Baſſignani, Matthæum & filios Vicecomites, & alios fautores, receptatores, conſiliarios adiutoréſque in cenſuras ſedis Apoſtolicæ incidiſſe pronunciauit, atque ab omnium communione tumultuarios ſeparauit. Inſuper duodecim primoribus Mediolanenſis vrbis, qui primùm legatione functi erant, diem dixit: tantùm apud comparentes egit, vt illi iterum Matthæum deſeruerint, & legati arbitrio ſeſe permiſerint. Naucler. generat. 45. Cuſpinian. Mutius, Langius & reliqui in Ludouico Bauaro. Corius hiſt. Mediol. part. 2. epiſtol. Ioann. 85. Cranz. Metropol. lib. 9. cap. 5.*

EXCVTIAMVS BZOVIANA verba.

2. PRimum pronunciatum. *Ludouicum Fridericúmque hoc anno armis certaſſe.* De hoc primo pronunciato, déque ſequentibus ferè omnibus primus auctor tuus Nauclerus nihil nouit, Cuſpinianus nihil habet, Kranzius nihil penitus adfert, Corius nihil, Langius nihil, Mutius nihil hoc anno. Neque hæc omnia tibi ad fallendum ſatis viſa ſunt, niſi adderes, *Et reliqui in Ludouico Bauaro.* Cedo, quinam ſunt illi reliqui? an quos citare ſoles, Argentinenſis, Rebdorfius, Trithemius? atqui

atqui nil hoc anno de Ludouico dicunt. Sed neque compilatio chronologica, aut additiones ad Schafnaburgenſem à Piſtorio editæ. Verùm qui in auctoribus nominatis fallere auſus es, multò magis in non nominatis feſelleris. Vnde ergo habes, quæ hîc de Ludouico & Friderico tam prolixè memoras? Certè omnia cerebri tui eſſe commenta fatearis oportet, niſi ex 85. epiſtola Iohannis (quod facere te poſſe non ſperamus, eámque epiſtolā alia omnia complecti credimus) demonſtraueris.

3. Secundum pronunciatum. *Ludouicum monita pontificia necquicquam curaſſe.* Vt aliquid nihil probanti tibi gratis concedam, neglexerit ſanè Ludouicus quædam pontificis monita. Supremo ſacrorum antiſtiti in omnibus parendum eſt, Bzoui, quæ ad ſacra attinent; in politicis iniuſta quandoque mandare poteſt, quæ ſi effectui non dentur, non ideo in reprehenſionem incurritur. Bauarus non exiſtimabat ſeſe religione aſtringi, vt pontificis verba audiret in diſpenſatione regnorum. Legitimè electo non poterat poteſtas legitimè abrogari ſine facinore admiſſo.

4. Tertium pronunciatum. *Ludouicum Imperatoris officia arroganter ſibi vſurpaſſe.* Non hoc Ludouici ritè electi crimē, ſed recocta calumnia Bzouij eſt, quam tamen meritò in oram reiecit, nam in contextu modeſtiùs ait, Ludouicum omnia imperatoris officia exercuiſſe.

5. Quar-

5. Quartum pronunciatum. *Ludouicum ſacramentum fidelitatis à ſubactis extorſiſſe.* Si quos ſubegit, meritò etiam ad ſacramentum fidelitatis adegit; imò rebelles ſubigere & adigere non ſolùm potuit ſed etiam debuit, vt reipub. ſalutem ac pacem conciliaret.

6. Quintum pronunciatum. *In Italia armatos ab Ludouico Gibellinos contra pontificem.* Ita eſt, quia pontifex armabat Guelfos contra Cæſarem, vocato in auxilium Friderico, vt tute fateris, & ſcribit Mutius. Lis fuit de terris non de religione, Bzoui; Cæſar duriùs præter meritum habitus, reſiſtere poterat ſancita nobis à natura lege. l. 24. 224. 3. & 29.

7. Sextum pronunciatum. *Armando Gibellinos, viam ſibi ad imperij inſignia conſequenda præparaſſe.* Arma potiſſimùm videntur ſpectaſſe ad imperium in Italia conſeruandum; quo cum tamen non pugnat, Ludouico fortaſſe animum fuiſſe, armis pontificem ad æquiora compellere.

8. Septimum pronunciatum. *Ludouicum ſi quos auri vel lucelli auidiores doctores ſciret, maximè iniquiores in pontificem prenſaſſe, vt iis adiutus ius pontificium in interregno eleuaret ſeu refutaret, & reliqua calamo hæretico concepta paulò pòſt in vulgus contra Romanam ſedem euulgaret.* Iſtæ ſunt calumniæ, Bzoui, ex atramento atri tui pectoris profectæ.

fectæ. Oſtende vel vnum ex tuis denominatis auctoribus, qui hoc anno ſimile quid ſcribat. Sit pontifici tantum iuris, quantùm ei tribuis in interregno; cùm Ludouicus Italiam armis petiuit, interregnum nullum fuit, nam duobus propè annis, antequam Iohannes pontifex Petri ſolium aſcenderet, iam legitimè electus erat Ludouicus, neque pontifex imperium in Italia vacuum inuenit.

9. Octauum pronunciatum. *Iohannem Ludouico diras iterum oſtentaſſe, & vt à cœptis deſiſteret, monuiſſe.* Credo hoc Bzouio, auctoribus eius nihil dicentibus, nihil quoque credere poſſum.

10. Nonum pronunciatum. *Pontificem Friderico Auſtrio centum millia aureorum obtuliſſe.* Neque Nauclerus, neque Cuſpinianus, neque Langius, neque Kranzius, neque Corius iſta produnt.

11. Decimum pronunciatum. *Iterum hoc anno pontifex Fridericum in auxilia euocat, imperium promittens.* Quis teſtis eſt? Bzouius.

Col. 355. VII. Ludouicus Bauarus ſcriptores varios ad calumniãdum Romanum pontificem impellit.

12. Bzouius. *Præter proſcriptos graſſatores, ſcriptorum quoque contra pontificiam poteſtatem, nonnulla pars id temporis, bonas horas malè conſumebat; & tum Ludouicum Bauarum, tum omnes Gibellinos Romanæ ſedi aduerſarios, atro calamo aduerſus Iohannem inflammabat. Dolebat Ludouico & illius aſſeclis, pontificis Romani, & reliquorum Eccle-*

Eccleſiaſticorum non contemnenda ex poſſeßione bonorum potentia. Quamobrem, vt eam quam vehementius timebant, totis viribus conuellerent, quorundam Zelo non ſecundum ſcientiam flagrantium, de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, hæreſim totis brachiis complexi ſunt, eo fine vt Romanum, & reliquos pontifices, bonis omnib. exuerent. Namque inferebant, non æquum eſſe, Vicarium & ſucceſſores, maioribus & anteceſſoribus ſuis, Chriſto & Apoſtolis, ditiores eminere: ſi Chriſtus atque illi, nihil peculij poſſediſſent. Et iſtud pariter, non modicum angebat Ludouicum, quòd regni & imperij iura atque inſignia, à pontifice Romano poſtulare, neceſſe haberet: quódque penes pontificem, ſupremam omnium poteſtatem à Chriſto, in oues & agnos, ſcilicet in populos, & in quoſcunque tam ſæculares, quàm Eccleſiaſticos prælatos, etiam in ipſos imperatores, ad ædificationem corporis Chriſti participatam; ac proinde virgam in manu eiuſdem cenſoriam, ſuper omnes Chriſti fideles, etiam reges & imperatores, & ſuper monarchas vniuerſos videret: Regnáque & imperia in arbitrio illius verſari perſpiceret, vt is de æquitate & qualitate eorum, qui ius aliquod prætendere poßint, poßit decernere, imperiíque adminiſtrationem, quo libet & reipub. Chriſtianæ expediens eſt, præſertim propter demerita aliquorum transferre: neque impium vel profanum aliquem in Chriſti oues tyrannidem aut

exerce-

exercere, aut vſurpare, apud omnes orthodoxos in confeſſo eſſe aduerteret. Itaque quòd inter ſuſpectos de hæreſi, & fautores conſimilium, ſeſe eſſe non ignoraret; manipulum maleferiatorum, maléque Doctorum incitauit, qui & voce & ſcripto enunciarent; inprimis pontificem Romanum locupletem non ſectatorem Chriſti egentis videri. Imperatorem ex vi electionis à ſolo Deo ius & poteſtatem in imperium accipere: neque à Rom. antiſtite quicquam aut habere, aut expectare debere, quin imò ipſum, in Rom. præſulem, ſi ille exceſſerit, ius & poteſtatem vindicandi habere, à Deo & ab Eccleſia, cuius defenſor audit, collatam. Paupertatis Chriſti aſſertor præcipuus fuerat F. *Michael Ceſenas Generalis miniſter, & nonnulli ignari ex ordine Minorum, Beguardorum & Fratricellorum hæreſim profeſſi. Pontificiam poteſtatem imminuebant M. de Paterna, Iohannes de Ianduno, Iacobus ex Epiſcopus Caſtellan. ea dignitate propter flagitia exutus. His ſe adiunxerant Guillelmus Ochamus Minorita, Marſilius Patauinus Medicinam doctus, & Bonagratia Bergomas Franciſcanus. Hi epiſtolis & libris malè conſcriptis, & vbique terrarum diſperſis, Rom. Pontificis auctoritatem in imperium & in Imperatorem eleuabant, & Ludouici aſtruebant. Dantes quoque Poëta ad reliquum infamiæ, quam ex ſatyricis ſcriptis ſibi comparauit, etiã libros de Monarchia commentus eſt, in gratiam Ludouici*

douici, dignos planè, quemadmodum & illorum alio-rum, qui ex manibus piorum, auctoritate Apoſtolica excuterentur, & inter damnatæ lectionis reiiceren-tur. Ex variis Ioan. 22. annor. ſequentium, inferiùs adiunctis epiſtolis.

13. Placet omnia Bzouij pronunciata hoc vno pronunciato noſtro complecti, *In iis epiſtolis nos nihil horum inuenimus hoc anno geſtum.* Reſtat ergo vt ſint meræ calumniæ Bzouij, donec aliud monſtrauerit. Quin ſe ipſe ſatis refutat, cùm anno demum ſequente ortam ſcribit controuerſiam inter Franciſcanos & Iohannem Papam (cuius occaſione illi contra hunc poſtea ſcripsêre) ídque ex ms. chronico: cui nos addimus Marcum Vlyſſipponenſem Franciſcanum, qui idipſum confirmat, addítque, Inquiſitórem Ordinis Prædicatorum, ſub quo ea controuerſia nata eſt, fuiſſe valde contrarium Ordini Minorum; ipſos vero Minores in Capitulo generali, propter quod poſtea à Iohanne Papa editis extrauagantibus oppugnati fuerint, nil de paupertate decreuiſſe, niſi quod Nicolaus III. & Clemens V. in ſuis decretalibus decreuiſſent: & Iohannem Papam reconciliatum poſtea ordini Minorum, reuocaſſe omne id, quod fecerat & verbis & ſcriptis contra ipſum: de quo nil Bzouius.

N. I. II. III. IV. V.

Chrõ. Minorũ. part. 2. l. 8. c. 10. 11. 12. 42.

ANNVS CHRISTI 1322.

Ludouici Imperatoris nonus.

Col. 373. N. VI. 1. BZouius. *Ea pontificis definitio vehementer torquebat Ludouicum Bauarum, & reliquos Gibellinos, quibus cordi erat, omnes Eccleſiaſticos poſſeßione bonorum exuere, vel hoc præcipuè cauillo: quòd non æquum eſſet, Chriſti vicarium & Apoſtolorum ſucceſſores, illis locupletiores eſſe: cùm neque Chriſtus, neque Apoſtoli, quicquam proprium in poſſeßione, ſuum cenſuerint. Itaque Gibellini, præſertim Vicecomites, quòd hac in re, eodē ſenſu cum damnatis hæreticis eſſent, bonáque Eccleſiaſticis perſonis ac libertates eriperent, poſt multam litis conteſtationem, eas quas adiungo ſententias audierunt. Placuit inſerere propter multarum huius temporis rerum notitiam.*

2. Agitata eſt his temporibus inter duos clariſſimos Eccleſiæ ordines Franciſcanorum & Dominicanorum quæſtio de paupertate Chriſti, magna cum contentione, & plurimorum offenſione, ſed in qua demum ſuccubuerint Franciſcani, vincente parte valentiore. Itaque infami hæreſis nomine notati ſunt, quicunque negabant Chriſto eiúſque diſcipulis dominium fuiſſe eorum quæ habuere.

habuere. Huius hæreſis inter cæteros quoque accuſatus fuit Matthæus Vicecomes, & hîc etiam à Bzouio noſter Ludouicus, quem tamen in Bulla qua Vicecomitem anathemate perculit papa non nominat, ſed Bzouius ante tempus eum traducit & hinc ait, *Definitio pontificis vehementer torquebat Ludouicum Bauarum*. Imò plùs torquet Bzouium, qui falſus in ea enuncianda inuenitur. Quæſo vno verbo demonſtret, quis auctorum chartis mandarit hanc definitionē tormento fuiſſe Ludouico? Sed ita ſcribit annales Bzouius; cùm nihil, quod ſcribat, reperit, ſcribit tamen.

ANNVS CHRISTI
1323.
Ludouici Imperatoris decimus.

1. POſt deſertum à Matthæo Vicecomite Mediolanum filius ex paterna commendatione in principatum ſucceſſit: cui tamen mox imperium perfidia quorundam militum inciſum, ita vt neceſſe fuerit ſalutis causâ cum fratribus excedere, vrbémque pontificiæ poteſtati ſubmittere. At verò cùm locum deſeruit, cogitationem loci recipiendi non poſuit, ſed habito ſuorum conſilio, arte

 inge-

ingenióque Mediolanum recepit, pontificióſque eiecit.

Col. 412. N. III. 2. Bzouius. *Horum omnium Ludouicus Bauarus literis Galeacÿ prouocatus, tutelam in rem ſuã cùm ſuſcepiſſet, Bertholdum Guiſium manu promptum, cum aliquot centuriis Germanorum Galeacio miſit. Quingenti galeati equites Ducem Bertholdum Guiſium ſequebantur, præter pedites, quos ab eodem Ludouico Bauaro Galeacius exercitui pontificio oppoſuit. Feruebat bello Italia à Gibellinorum primoribus excitante Ludouico concitata. Raymundus Cardonius Hiſpanus, Henricus Flandrius & Simon Turrianus clariſsimi duces Eccleſiaſticis copiis, quæ Florentinorum & Pagani Turriani Aquileienſis Patriarchæ Robertique regis Siciliæ auxiliis conſtabant, præfecti, gerendi belli munia ſuſceperant: cenſebantúrque in eorum exercitu quadraginta millia peditum & decem millia galeatorum equitum, ex omnibus ferè Europæ gentibus mercede collecta. Ludouicus Bauarus, cùm illos ſuos Galeacio deſtinaſſet, hæc tantùm ſcripſit: Galeacio. Iſtud auxilium non mando tibi, nec amicis tuis. Sed gloria illuſtrabo te & amicos tuos. In exercitu Galeacÿ Germani, & Itali tantùm, ſed virtute militari præſtantiſsimi numerabantur. Vexilla eorum Aquilis Imperialibus & viperis Vicecomitum inſignibus fulgebant, erecta contra ſigna pontificia, ſigno crucis ſignata. Variè pleriſque in*

locis

locis hoc anno certatum: cùm tamen nihil interim pontifex Iohannes omiſiſſet, vt Ludouicum à tutela hæreticorum auerteret, & ad pacem Italiæ concedendam ſeriò inuitaret. Sed is adeò obduruerat, vt non modò pontificem monentem obſecrantémque contemneret; verùm etiam auctoritate ſedis Apoſtolicæ neglecta, ſuperior armis factus non ſolùm per Germaniam, ſed etiam per Italiam, quaſi iam imperij ius, titulum, & inſignia obtinuiſſet, imperium adminiſtraret, Vicarios vrbibus præficeret, præſidia imponeret, Eccleſiaſticóſque deprimeret; ita vt ad perniciem Eccleſiæ natus eſſe videretur. Qua de cauſa Iohannes pontifex inſtantibus præſertim Carolo Galliarum & Roberto Siciliæ Regibus, nec non Friderico electo rege Romanorum, ius electionis ſuæ coram ſede Apoſtolica proſequente, & fraudem dolúmque in vitioſa Ludouici nominatione commiſſum, apertiſſimis teſtimoniis, & præcipuè ſuo deraſo, & Ludouici in ſcheda Brandeburgici inſcripto nomine oſtendente, in Ludouicum ſolenniter citatum, neque infra trium menſium ſpacium, pro canonicæ monitionis termino ſibi præfixum comparentem, neque legitimè ſe purgantem, neque ſatisfactionem aliquam offerentem, ſed in dies in contemptum auctoritatis Eccleſiaſticæ, vnde ſua dependebat, ac dependere debuit auctoritas, multa atrocia committentem, ac notarios hæreticos protegentem, ad Quintum Idus Julij anno ſubſequente

 1324.

1324. excommunicationis tandem ſententiam pronunciauit. Corius hiſt. Mediol. P. 2. Iouius in Galeac. ms. Vatic. num. 3936. regeſt. Ioann. hoc anno ep. 106. & Ptolemaus Lucen. in Chron.

Quis neget Bzouium eſſe magnum hiſtoricum, qui ex parua magnam hiſtoriam texit?

3. Primum pronunciatum. *Galeacium alióſque ei adharentes in tutelam à Bauaro ſuſceptos.* Ergo hoc anno in Bauari tutelam venêre Mediolanenſium proceres, vti etiam ex auctoribus à te adſcriptis conſtat. Quoties igitur tu antehac fraudulenter vociferatus es, Ludouicum animos feciſſe Vicecomitibus, & ſpem ſui aduentus concitaſſe? & quis præter te iſta prodit?

4. Secundum pronunciatum. *Quingenti galeati prater pedites ducem Bertholdum ſequebantur.* Corius ſexcentos galeatos numerat, Villanus [a] quadringentos; tu Iouium [b] ſequeris iuniorem, quaſi is rectiùs poſt ducentos & quinquaginta annos exercitum recenſuiſſet, quàm illi tempori par Villanus. Sed in qua tu acie pedites Germanos vidiſti? nec Iouius tuus, nec Corius, nec Villanus peditatum vllum deſcribit, & tamen tu illum ſcribis?

[a] *l. 9. c. 212.* [b] *pag. 93. poſt m.*

5. Tertium pronunciatum. *Ferbuiſſe bello totam Italiam à Gibellinorum primoribus, excitante Ludouico Bauaro concitatam.* Nimirum omnium

reus

reus eſt Ludouicus. eum excitaſſe Italiam ad bellum dicis, & Italia excitauit illum, vt tu ipſe fateris; nam hæc tua verba ſunt, *Ludouicus literis Galeacij prouocatus, Berchtoldum Guiſium cum aliquot centuriis Germanorum Galeacio miſit.* Imò ſuprà quoque alium excitantem ad bellum nominaſti his verbis, *Non diuturna pace frui poterant Mediolanenſes, propterea quòd Galeacius vnà cum fratribus Vicecomitibus vrbe eiectus nullum lapidem non mouebat Mediolani recipiendi.* En inquietum, en excitatorem belli, non in Bauaria Ludouicum, ſed in Italia Galeacium; aut potiùs Turrianos Guelforum capita, quorum imperium adeò graue Mediolanenſibus viſum eſt, vt de Antiocho reſodiendo cogitarent, & reditum Galeacij concupiſcerent. Deinde rurſus belli huius concitatorem ſtatuis eundem Galeacium, cùm ſcribis, *Cæterum ſtatim atque à Barnaba nimis credulo omnia quæcunque popoſcerat, Mediolani in ſacrario FF. Præd. obtinuiſſet, ad vomitum canis (quod aiunt) reuerſus, dominium ciuitatis ſecundò vſurpauit, iiſdem quibus priùs hæreſibus ſeſe impiauit, Regios pontificióſque clientes vrbe eiecit, Matthæi patris cadauer ignibus damnatum reuelare noluit, exercitum contra Modoëtiam aduerſus Eccleſiaſticas copias eduxit: Cremenſes, Bergomates, Laudanos & aliarum vrbium Inſubriæ, Ligurum, Æmiliæ, Etruriæq; Gibellinos, & in his Caſtrucium* Col. 412. v. 2. N. II.

ſtrucium

ſtrucium Lucenſium, Manfredum Landi Placentinorum, Raynaldum Bonacoſſam Paſſarinum Mantuæ, Raynaldum Ateſtinum Ferrariæ, & reliquarum ciuitatum alios tyrannos in auxilia euocauit, atque ab iis militum non contemnendos manipulos accepit.

6. Atque hæc fuere initia belli inſequentis, in cuius partem prouocatus fuit Ludouicus Bauarus literis Galeacij, quem tamen Bzouius tanquam belli concitatorem infamat.

Cap. 195. 7. Pari fraude diſſimulat, quòd Villanus rem totam longè aliter refert, ſcribítque Ludouicum rogatum, vt Mediolani dominum (Galeacium) iuuaret, tres legatos menſe Aprili miſiſſe, qui Placentiæ inuento Cardinali legato pontificis, nomine Ludouici ſignificarint, ne domino & ciuibus Mediolanenſibus, vtpote membris & ſubditis imperij amplius moleſti eſſet; ſed eos re infecta abiiſſe

Cap. 211. Lucam, Piſam, Mantuam, Veronam. Poſtea 11. Iunij Mediolanenſes à pontificio exercitu obſeſſos, imploraſſe auxilia dominorum Veronæ, & Mantuæ, ciuitatúmque Gibellinarum atque etiam legatorum Ludouici regis. *Qui* Itali Gibellini, *non obſeruantes*, inquit, *pactum vel vllum ſacramentum & promiſſum legato de nō adiuuandis Eccleſiæ rebellibus factum; cum imperio prædictos legatos & 400. eorundem milites Mediolanum ablegarunt; qui cùm eò perueniſſent, comes ille Bertholdus Neuernenſis Germanus,*

Digitized by Google

Germanus, ciuitatis dominio arrepto, eandem egregiè fortalitiis aliíſque rebus neceſſariis muniuit, auſus tamen non fuit aperto Marte munitiſsima hoſtium caſtra aggredi.

8. Tertium pronunciatum. *Variè pleriſque in locis hoc anno certatum eſſe.* Nempe ex Iouio hoc carpſiſti: longè is aliter, neque de varia concertatione multa. Obſeſſa vrbs Mediolanenſis primùm, ſed ita vt irriti tandem hoſtes recederēt. *Interim Galeacius,* inquit Iouius, *à Ludouico Bauaro Cæſare auxilia equitum poſtulauit, venítque Mediolanum Bertoldus Guiffes cum quingentis galeatis equitibus: ſtrenuéque id bellum aduerſus obſidentes multis proſperis eruptionibus geſtum eſt.* Et quis finis huius obſidionis? *Cardonius & Flandrius* (erant hi clariſſimi duces pontificij exercitus) *deſperata victoria, noctu nec conclamatis quidem vaſis Modoëtiam ſeſe receperunt, noua item auxilia à Legato qui Placentiæ conſederat, expectantes.* Sed audiamus inſuper nobilem victoriam, quam paulò antè obſeſſi retulerunt. *Cardonius & Flandrius Modoëtiæ planè obſeſsi, ad Vaprium vicum Abduam ponte conſtrauerant, vt ab eo expeditus recipiendis commeatibus venturíſque auxiliis tranſitus præberetur. At cognito hoſtium conſilio, Galeacius eum pontem omnino ſibi præcidēdum ſtatuit, coniectura iudicans, ſi eò properaret, nihil hoſtes cunctaturos, quin educto*

In Galeacio p. 93. m.

p. 94. v. 6.

exercitu ad tuendum pontem conuolarent, & quam ipſe omnibus artibus quærebat, conſerendæ pugnæ occaſionem non iniquo loco protinus aperirent: quòd in eius pontis beneficio, obtinendi commeatus & parandæ demùm victoriæ ſpes omnis poſita videretur. Nec Galeacium ſummæ prudentiæ ducem opinio feſellit. Cardonius enim è Modoëtia prægreſſus Vaprium, quam hoſtis optabat, nobili prælio facultatem præbuit. In dextro cornu vbi Burgundiones Belgæq́; erant, Henricus curabat: in læuo Simon & Paſſarinus Turriani, Verguſius item Landus cum Florentina ala ducibus curabant: mediam aciem tenuit ipſe Cardonius, Gotholanis & Narbonenſibus atque Apulis turmis ſeptus. Peditatum omnem qui ex Italis & tranſalpinis gentibus conſtabat, ita diuiſerant, vt inualidis ſtrenui ac inermibus loricati miſcerentur. Cæterum Cardonio copias ex Vaprio in patentē campum educente, inſtruentéque acies Galeacio, à diuerſa parte vacuum ab hoſte vicum inuadi atque incendi iuſsit: quo incendio auerſus hoſtis adeò perturbatus eſt, vt reſpectare & de inſidiis inteſtináq; perfidia dubitare cogeretur, quum ex aduerſo vexilla Aquilis Viperíſque fulgētia pleno paſſu appropinquare conſpiceret. Nec mora: Galeacius & Marcus hoſtem ſarcinas ſuas ac impedimenta ingenti incēdio pereuntia deplorantem, vtrinque inuadūnt. Marco primam aciem perrumpente, Flandrius aliquandiu reſtitit: ſed eo

ſtrato,

ſtrato, tota eius acies fuſa profligatáque eſt. Nec ab altero cornu Galeacij impetum Turrianæ Florentinæq́ue alæ diu tulerunt, ita vt media acies à Gaudentio Marliano (is nobilis & vetus miles & dux impiger peditatui præerat) recta fronte loco mota, turbatis ordinibus in fugam verteretur: & Cardonius ad primũ incurſum magno à ſagittariis & mox ab irruentibus cataphractis detrimento accepto, quòd flammæ deflagrantis vici receptum eriperent, & in vtrumque latus victores fratres vehementer inueherentur, & præaltus amnis ex fuga vadum tentantes primis vorticibus abſorberet, viuus in poteſtatem hoſtium deuênit: Præfecti Florentinæ alæ pariter capti. Simon Turrianus Guidone patre, qui Mediolani imperium tenuerat, genitus interiit. Sed ex minoribus ducibus promptiſsimus quiſque aut occubuit, aut in manus hoſtium deuenit. Vexilla quoque maiora Roberti Regis atque Pontificis, & Florentinorũ Turrianorúmque relata ſunt. Vnus ferè Henricus Flandrius à Germano equite captus, temeréque dimiſſus, quũ pedes exutis armis totã noctẽ per ſyluas errabundus effugiſſet, prima luce Modoëtiã peruênit, quò Verguſius ex merito extremi ſupplicij pœnã timens, quòd Actiũ Placentia pepuliſſet, ab initio aduerſæ pugnæ cũ reliquiis profligati exercitus perfugerat. Ab his ducibus inſtauratũ eſt bellũ & Modoëtia per aliquot menſes fortiter defenſa: ſed magnis demum operibus circumuallatam

oppugnatámque acriter, Verguſius ea conditione dedidit, vt niſi iuſtis auxiliis à Legato miſſis obſidio ſolueretur, ipſe cum præſidio ſaluis rebus exiret. Iam enim Flandrius deſperatis auxiliis noctu ex oppido profugerat, & Paſſarinus Turrianus quum opem obſeſſis afferre maturaret, à Marco ad Tinioſam turrem equeſtri prælio fuerat profligatus: quum paulò antè & ipſe eâdem vſus belli fortuna, Narbonenſium equitum manum ad Caracam ſupra Lambrum negligenter excubantem, oppreſſiſſet. Sed tantis hoſtium copiis aut ferro aut peſtilentia deletis, victor Galeacius præcellenti iudicio vir, ſibi omnino pacem parandam eſſe conſtituit, quòd inexhauſtis rediuiuíſque potentiſſimorum hoſtium opibus ſe imparem cerneret, ſæpéque dimicando vires experiri ac inſtabilem fortunam toties laceſſere periculoſum arbitraretur.

9. Hoc nempe eſt variè certatum eſſe Bzoui; ſed tu ita ſoles, & Guelforum res cum gloria geſtas feſtiuo vbique calamo ornas: at verò aduerſas vel ſilentio tegis, vel eleuas. *Variè hoc anno certatum*, Inquis; omnino variè, quia variis in locis Guelfi vapularunt. Audi quid Villanus de magno illo Guelforum exercitu conciſo & diſſipato ſcribat,
l. 9. cap. 212. f. *Notent hîc potentes*, ait, *in viribus humanis nullam ſpem firmiter ponendam, quod patet in hoc Eccleſiæ exercitu, qui licet potentiſſimus & victorioſiſſimus, nihilominus in hac obſidione Mediolanenſi accidentibus*

tibus

tibus ſuprà dictis præter omnium ſpem diſſolutus fuit.

10. Quartum pronunciatum. *Iohannem pontificem nihil intermiſiſſe, vt Ludouicum à tutela hæreticorum auerteret, & ad pacem Italiæ concedendam ſeriò inuitaret.* Iam tandem veritati propiora loqueris; planè Iohannes nihil prætermiſit, vt Ludouicum à Gibellinis (quos tu hæreticos vocas) defendendis auerteret; idcirco enim tantum exercitum ex variis Európæ regnis conſcripſit, vt Ludouici copias in ſubſidium Gibellinis miſſas Italia eiiceret; ſine dubio ſi ſors fauiſſet, ad eundem modum auertiſſet Ludouicum. Sed agedum qua forma eundem inuitauit pontifex ad pacem Italiæ concedendam? an inaugurationem forſitan promiſit? recuſauit. an terras imperio ſubiectas ſpopondit? iuſſit excedere, & talia imperitauit, quæ non niſi imperij incurius præſtitiſſet. Nam inter alia in monitorio ad Ludouicum miſſo, vt tu hìc refers, hæc ſcribit, *Iniungentes vt infra trium menſium ſpacium à data præſentium computandum, quos ei pro peremptorio termino aſſignamus, ab adminiſtratione, fautoria & defenſione prædictis prorſus abſtineat; adminiſtrationem ipſam per ſe vel alium ſeu alios non reſumpturus vlterius, niſi tunc demum, cùm & ſi electionem ſuam huiuſmodi, quæ de ipſo dicitur celebrata, ac perſonam eiuſdem per ſedem Apoſtolicam approbari contigerit & admitti.* Hæc pontifex

Col. 414. ante med. N. IV. §. 2. m.

 &plura

Digitized by Google

& plura alia ſeſamo nimirũ & ſaccharo conſperſa, atque ad ſeriam pacis inuitationem valde accommodata. Scilicet Bzoui, tu niſi religione vetareris quicquam poſſidere, ne paſtoritium quidem mapale, aut cerdonis ſellam ad mandatum alterius ſtatim deſereres; quid Ludouicus faceret imperium legitimo nomine adeptus? Nemo ita velox & vecors eſt, vt ſceptrum rite obtentum abiiciat, præſertim cùm alius vigilantĩ oculo adſtat, abiectum ſublaturus. Si Ludouicus imperij inuaſor fuiſſet, & malis artibus id ſibi aſſeruiſſet; rectè ſedes Apoſtolica ſummæ poteſtatis vſurpatorem ad ſua tribunalia vocaſſet; nunc Ludouico iuſtæ electionis conſcio non placuit aleam denuo ſubire, præſertim apud pontificem, qui nec Ludouicum, nec alium Germanum imperare voluiſſe viſus eſt.

11. Quintum pronunciatum. *Ludouicum adeò obduruiſſe, vt pontificem monentem obſecrantémque contemneret.* Si imperata non facere, contemnere eſt, næ tu Bzoui ſæpe Deum contempſiſti: neque enim adeò hebes ſum, vt credam, te omnia Dei mandata perpetim exhauſiſſe. Sed quæſo te, vbi Ludouicus hoc anno pontificem obſecrantem contempſit? monitorium Iohannis plenum minis & diris eſt; vbi tu obſecrationem vides?

12. Sextum pronunciatum. *Ludouicum per Germaniam & Italiam Eccleſiaſticos depreßiſſe.*

Bzouius

Bzouius hoc affirmat; ſed nihil demonſtrat. Quos hoc anno Eccleſiaſticos depreſſit Cæſar? eſſare Bzoui, nam hæ iniuriæ maiores ſunt, quàm vt ferri poſſint. Si qui Eccleſiaſtici Guelforum turmis immixti arma in Bauarum tulerunt, Bauarus iure naturæ vſus, eos vt hoſtes deprimere potuit. Eccleſiaſticos ſua priuilegia habere ſcimus, ſed neſcimus habere aliqua, quum aliis ſua auferunt: nam hæc contentio pontificem inter Cæſarémque non de religione, ſed de terris tenuit, vt iam ſæpe repetitum eſt.

13. Septimum pronunciatum. *Ludouicum ad Eccleſiæ perniciem natum viſum eſſe.* Atra bile mouêris, mi ſcriptor; quid adhuc contra Eccleſiam mouit Ludouicus? pontifici armato reſiſtere in lite politicâ, non eſt quid contra Eccleſiam moliri aut deſignare; certè ſæpius contigit, vt catholiciſſimi reges cum pontifice bella geſſerint, neque tamen æſtimati ſunt ad Eccleſiæ perniciem nati. Ludouicus ad ſua protegenda natus fuit, & ideo neque à pontifice ſeſe ſpoliari paſſus eſt.

14. Octauum pronunciatum. *Ludouicum ob has cauſas, & quia inſtabat rex Gallus, Siculus, & Fridericus, ſolenniter citatum.* Hîc vlcus aperit Bzouius. Sua defendere, hoſtes Guelfos oppugnare, ſi Ludouico fas non fuit, ſanè pontifex potuit illi iure iraſci; ſed non licuiſſe edoceat Bzouius. Quid verò

Gallus

Gallus inſtitit, vt tecum loquar Bzoui? quid ad illum res imperij? quid iniuriarum acceptum ab Ludouico? Ego veram cauſam potiùs oſtendero, nam tu omnia eiuſcemodi cælas. Villanus ita ſcri-
l.9.c.241. bit, *Anno prædicto* nempe 1323. *menſe April. Carolus Francorum rex cum regina vxore, Henrici imperatoris filia & cognato ſuo Johanne Bohemorum rege ac aliis permultis Baronibus dominiſque Toloſam appulit, & à pleriſque credebatur Auenionem ad S. Pontificem, vt fieret imperator, proficiſci.* En crimen & cauſam Ludouici. Procul dubio debebat priùs expediri Ludouicus, alioqui Gallus deſtinata conſilia non potuiſſet exequi. Ergo pontifex impellendus fuit, vt Ludouico aqua & igni ſacriſque omnibus interdiceret. Si ius violandum eſt, regnandi gratia violandum eſt.

15. Quid præterea Siculum regem prodis? Erat ille per Italiam à pontifice vicarius imperij conſtitutus, ſpecioſo nomine & occaſione creſcendi; neque illi dignitas conſtare poterat Ludouico inſtante: impellendus ergo fuit, vt caderet.

16. Sed & Fridericus ligna foco iniecit. Quid audio Bzoui? Cùm hæc Auinione hoc anno agebantur, Fridericus iam in arce Trauſniz captus ſeſſitabat, & quidem magna cura cuſtoditus: nihilominus tamen Auinione ius ſuum proſequebatur. Quæſo quî potuit? fortaſſe columbas nuncias ad pontifi-

pontificem ex arce emiſit : nam Leopoldus non Friderici mandato ſed vltro, nec illo, quo tu tradis, modo, ſed longè aliter cauſam eius egit auctore Mutio. Fridericum autem anno 1323. in cuſtodia p.226,36. fuiſſe, pòſt paulò contra te monſtrabo; quia enim tua veſtigia ſequor, res alieno tempore pertracto, ne lectorem confundam.

17. Nonum pronunciatum. *Fridericum fraudem dolúmque in vitioſa Ludouici nominatione commiſſum apertiſſimis teſtimoniis, & præcipuè ſuo deraſo & Ludouici inſcripto in ſcheda Brandeburgici nomine oſtendiſſe.* Magna omnino Bzouio cognitio, non nouit ſolùm Fridericum è carcere apud pontificem ſuam cauſam egiſſe, ſed memor etiam ipſius accuſationis eſt, argumentáque dinumerat. Fridericus oſtendit fraudem & dolum in electione commiſſum, & Bzouius oſtendit temerarium ſuum calamum. Quæ ſunt illa apertiſſima teſtimonia ? ſimiléne quid Fridericus apud pontificem perorauit? quis huius rei auctor eſt, niſi Bzouius? Nam ſi Fridericus ius ſuum apertiſſimè oſtendiſſet & à pontifice citatus Ludouico non comparente comparuiſſet, id Iohannes in ſuis contra Ludouicum proceſſibus ac literis commemoraſſet, & Friderico imperium addixiſſet, vel addicere debuiſſet. O bellum hiſtoricum, cui res geſtæ ſeu potiùs gerendæ ſub calamo creſcunt. Nullum vnquam

nomen raſum fuit, nihil vnquam doli contigit, & tamen raſuram dolúmque ſemper repetit, & quidem cum augmento Bzouius. Itaque tantis accuſatoribus dies dicta eſt Ludouico ad comparendum, ſed quia in animum inducere ſuum non potuit, vt ſeſe ſiſteret, pontifex in eum ad quintum Idus Iul. vt Bzouius ſcribit, anno ſubſequente 1324. excommunicationis ſententiam pronunciauit. Hoc verò quid niſi maligni & de Ludouici excommunicatione gaudentis ſcriptoris indicium eſt, quòd eandem excommunicationem anno demum ſequenti ad quintum Idus Iulij factam fateris, hoc tamen præcedente, id eſt 1323. per ineptam anticipationem commemoras?

18. Recenſet Bzouius ipſum monitorium pontificis, nec nobis animus eſt omittere, quod in eo numerentur cauſæ, propter quas poſtmodum fulmen pontifex in Ludouicum intorſit: Ita ſe habet.

IOHANNES EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei venerabili F. Aymerico Archiepiſc. Rauennati, Romandiolæ Rectori.

19. *Nuper contra dilectum filium magnificum virum Ludouicum ducem Bauariæ, ſuper eo, quòd electione ſua in regem Romanorum promouendum imperatorem, per quoſdam, qui vocẽ in electione*

huiuſmodi

huiuſmodi habere dicuntur, in diſcordia celebratæ, per ſedem Apoſtolicam, ad quam electionis huiusmodi & perſonæ electæ examinatio, approbatio, admiſſio, ac etiam reprobatio & repulſio noſcitur pertinere, non admiſſa, nec etiam approbata, adminiſtrationi regiminis Romanorum regni ſeu imperij ſe irreuerenter ac indebitè per ſe & alios ingerebat, de Fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ ſedis plenitudine poteſtatis, præſente multitudine copioſa fidelium, videlicet VIII. *Idus Octobris proceſſum fecimus continentiæ infrà ſcripta.*

AD PERPETVAM REI memoriam.

20. *ATtendentes quòd dum errori non reſiſtitur, is ad quem reſiſtere pertinet, illi vtcunque præſumitur conſentire, quódque plerunque iuſtitiæ opprimitur veritas, ni defenſionis opportunæ illi beneficium ſubtrahatur; profectò nec errori damnabili conſentire, per reſiſtentiæ negligentiam volumus, neque pati ob defectum opportunæ defenſionis præſidij, iuſtitiam opprimi ſponſæ Chriſti. Dudum ſiquidem per obitum claræ memoriæ Henrici Romanorum imperatoris, imperio Romano vacante, principes Eccleſiaſtici & ſeculares, ad quos translato ab olim per ſedem Apoſtolicam prædicto imperio de Græcis in perſonam magnifici Caroli, in Germanos, futuri Romanorum Regis*

in imperatorem poſtmodum promouendi electio pertinebat, votis eorum in diuerſa diuiſis, duos, ſicut dicitur, in diſcordia elegerunt, quibuſdam eorum in dilectum filium magnificum virum Ludouicum Bauariæ, quibuſdam verò in dilectum filium Fridericum Auſtriæ Duces, nominando & eligendo ipſos in Romanorum Reges, dirigentibus diſcorditer vota ſua. Verùm præfatus Ludouicus à nobis, ad quem ſuæ electionis huiuſmodi, ſicut præmittitur, in diſcordia celebratæ, ac perſonæ ipſius examinatio, approbatio, ac admiſsio, repulſio quoque & reprobatio noſcitur pertinere, electione prædicta nequaquam admiſſa, nec eius approbata perſona, ſicut notoria fama notoriat, & publica facti euidentia manifeſtat, non quærens, vt deberet, per oſtium ad huiuſmodi regni ſeu imperij conſcendere dignitatis faſtigium, ſed potiùs aliunde neſcio quo ductus, vel veriùs ſeductus conſilio, præfati Romanorum regni nomen ſibi & titulum regium vſurpauit; quamuis priùs quàm alterutrius eorum per ſedem Apoſtolicam fuiſſet approbata vel reprobata perſona, neutri electorum ipſorum aſſumere licuit nomen & titulum prælibatum: cùm nec interim Romanorum reges exiſtant, ſed in reges electi; nec ſint habendi pro regibus, nec reges etiam nominandi. Idem etiam Ludouicus eodem præſumpto titulo non contentus, adminiſtrationem iurium regni & imperij prædictorum, in grauem Dei offenſam & contemptum,

temptum, ac manifeſtam iniuriam Romanæ Eccleſiæ Matris ſuæ, ad quam eiuſdem vacationis tempore imperij regimen, ſicut & in præſentiarum vacat, pertinere dignoſcitur, nec non & plurimorum ſcandalū, & rei turbationem ac læſionem publicæ, ac ſuæ animæ detrimentum proſilire, ſéque illi immiſcere irreuerenter ac indebitè præſumpſit hactenus & præſumit, exigendo & recipiendo ſub præfato titulo regio, fidelitatis in Alemannia & nonnullis Italiæ partibus tam à perſonis Eccleſiaſticis, quàm Secularibus vaſallis imperij, per ſe & alios iuramenta, ac de dignitatibus & honoribus & officiis ad eiuſdem Romani regni ſeu imperij diſpoſitionem ſpectantibus, pro ſuo libito diſponere; ſicut ijs proximis diebus præteritis de Marchionatu Brandeburgenſi, quem primogenito ſuo de facto publicè contulit, ordinauit: nec non alia plurima exercendo, quæ ad eiuſdem Romani regni & imperij regimen non eſt dubium pertinere. Eiuſdem inſuper Eccleſiæ Romanæ, ſicut Galeacio de Vicecomitibus & eius fratribus, quamuis ſint de crimine hæreſis à ſuis competentibus iudicibus exigente iuſtitia per definitiuam ſententiam condemnati, & nonnullis aliis Eccleſiæ præfatæ rebellibus ſe exhibere fautorem & defenſorem, contra dictam Eccleſiam proſequentē aduerſus eoſdē rebelles iura ipſius imperij & negotium Fidei, in grauē diuinæ maieſtatis iniuriam, contemptū eiuſdem Eccleſiæ & animæ ſuæ perniciem non eſt veritus nec veretur.

21. *Nos itaque tam temerariis auſibus, ne mos tam pernicioſus inualeſcat, in poſterum obuiare, ac prout ad Apoſtolatus noſtri ſpectat officium, iuſtitiam ſponſæ Chriſti in hac parte defendere, dictúmque Ludouicum à tam periculoſo erroris deuio ad veritatis callem reducere cupientes, ac conſiderantes, quòd ad eius præſentiam, ad proponendum coram eo præſentialiter, per quæ poſſet & deberet retrahi à prædictis, nequaquam tutus patet acceſſus: quódque in præmiſſis formidatur, quòd mora periculum, & diſſimulatio damnum forent procul dubio allatura; ad prouidendum ſuper præmiſſis exceſſibus, & obuiandum eiſdē, ſubſcriptum modum de Fratrum noſtrorum conſilio ac ex certa ſcientia & de Apoſt. poteſtatis plenitudine eligentes, præfatum Ludouicum præſente fidelium multitudine copioſa, præſentium tenore monemus, eidem ſub virtute ſanctæ obedientiæ, ac excommunicationis pœna, quam ipſum, niſi cum effectu huiuſmodi monitioni noſtræ paruerit, incurrere volumus ipſo facto, auctoritate apoſtolica nihilominus iniungentes, vt infra trium menſium ſpacium à data præſentium computandum, quos ei de eorundem Fratrum conſilio pro peremptorio termino aſſignamus, ab adminiſtratione, fautoria, & defenſione prædictis prorſus abſtineat ac deſiſtat; adminiſtrationem ipſam per ſe vel alium ſeu alios non reſumpturus vlteriùs, niſi tunc demum, cùm & ſi electionem ſuam huiuſmodi, quæ de*

ipſo

ipſo dicitur celebrata, ac perſonam eiuſdem per ſedem Apoſt. approbari contigerit & admitti: quódque geſta per eum poſt præſumptum ab eo titulum memoratum circa præmiſſa, quatenus proceſſere de facto cum de iure non teneant, velut ab ipſo cui ius faciendi non competebat, nec competit, attentata, curet infra prædictum terminum, quantū patietur poſſibilitas, realiter reuocare; apertè per præſentium ſeriem intimantes eidem, quòd ſi in præmiſſis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens fuerit, vel remiſſus; nos contra ipſum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmiſſos exceſſus notorios incidiſſe noſcitur, vel incidet in futurum, & alias quantùm ſuadebit iuſtitia, eius non obſtante abſentia, procedemus. Vniuerſis inſuper Patriarchis, Archiep. & Epiſcopis, & aliis perſonis Eccleſiaſt. quibuſcunque ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere volumus ipſo facto, niſi infra prædictum terminum, infraſcriptæ inhibitioni noſtræ efficaciter ſtuduerint obedire; & tam ipſis quàm omnibus & ſingulis ciuitatibus, communitatibus & vniuerſitatibus, nec non perſonis ſecularibus quibuſcunque, cuiuſcunque conditionis aut ſtatus exiſtant, etiamſi regali aut alia quacunque dignitate præfulgeant, in virtute S. obedientiæ & ſub pœnis excommunicationis in perſonas, & interdicti in terras eorum, nec non priuationis priuilegiorum quorumcunque Apoſtolicorum & imperialium,

rialium, ac feudorum quæ ab Eccleſia vel imperio obtinent, diſtrictiùs inhibemus, ne prædicto Ludouico in præmiſſis, vel aliis regni ſeu imperij tangentibus regimen, tanquam regi, ſeu in regem Roman. electo, niſi & quouſque dictam electionem & perſonam ipſius per ſedem eandem approbari contigerit, vel admitti, in aliquo pareant, ſeu intendant; néue eidem in quibuſcunque ad regimen prælibatum ſpectantibus præbeant auxilium, conſilium, vel ſauorem. Non obſtante, ſi ipſi vel eorum aliqui ad hoc ſe dicto Ludouico vt regi, ſeu in regem electo adſtrinxerint per fidelitatis vel alterius cuiuslibet generis iuramenta, quæ quidem cùm præſtita fuerint ei, cui minimè præſtari debuerant, nec ſeruari ſine æternæ ſalutis valeant detrimento, præſtantes eadem non aſtringunt: quæ nihilominus ad cautelam auctoritate Apoſtolica relaxamus, illáque caſſa & irrita nunciantes decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus obſeruanda; ſeu ſi præfato Ludouico vel quibuſuis aliis communiter, vel diuiſim, per literas ſedis eiuſdem foret, ſub quacunque verborum forma, vel expreſſione conceſſum, vel concederetur in poſterum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel eorum terræ ſeu loca interdici non poſſint, quas contra præſentem proceſſum noſtrum in nullo eis volumus ſuffragari: ſed ipſas quoad hoc viribus volumus omnino carere. Ex præmiſſis autem nos nequaquam intendimus, nec volumus obligari,

quin

quin ad publicationem dictarum pœnarum, & alias contra dictum Ludouicum poſſimus pendente huiuſmodi dilatione procedere, prout iuſtum fuerit, & nobis viſum fuerit expedire.

22. *Vt autem huiuſmodi proceſſus noſter, ad ipſius Ludouici notitiam, & aliorum quorum intereſt, communem notitiam deducatur, chartas ſiue membranas proceſſum continentes eundem in Eccleſia Auinion. appendi vel affigi oſtiis, ſeu ſuperliminaribus eiuſdem Eccleſiæ faciemus, quæ proceſſum ipſum ſuo quaſi ſonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; vt idem Ludouicus & alij, quos proceſſus ipſe contingit, nullam poſſint excuſationem prætendere, quòd ad eos non peruenerit, vel ignorarint eundem: cùm non ſit veriſimile, quoad ipſos remanere incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Volumus autem, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quòd huiuſmodi proceſſus eundem Ludouicum & alios ſuprà dictos apprehendat & arctet, ac ſi eiſdem perſonaliter publicatus & inſinuatus ſolenniter extitiſſet: conſtitutione quacunque per prædeceſſores noſtros Rom. Pontif. in contrarium edita non obſtante. Nulli ergo hominum liceat hanc pagin. noſtræ monitionis, mandati, inhibitionis, relaxationis & conſtitutionis infringere &c. Dat. Auinion. in Pal. Epiſc. 8. Id. Oct. an. 8.*

23. *Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica*

ſcripta diſtrictiùs præcipiendo mandamus, quatenus præmiſſa in prædicto proceſſu contenta facias in decreta tibi prouincia firmiter & inuiolabiliter obſeruari, ac in ciuitatibus & aliis eiuſdem prouinciæ locis, de quibus expedire videris, per te, vel per alium, ſeu alios ſolenniter publicari, ad id loci cuiuslibet, vbi fiet huiuſmodi publicatio, Clero & populo conuocatis ſpecialiter, ac etiam congregatis; faciens de publicatione huiuſmodi fieri publica inſtrumenta, quæ nobis, quantocyus commodè fieri poterit, mittere non poſtponas: nobis diem ſignificaturus præſtitutum, & quæcunque ſuper iis duxeris facienda. Dat. Auinioni 8. Id. Oct. Ann. 8. ex Regeſtro anni 8. Ioann. ſecretorum, fol. 105.

24. Hactenus monitorium; in quo ſi Bzouius repererit dolum & fraudem in electione prætenſam, me moneat, vt ei deinceps clementior ſim. ſimul etiam me doceat, qua ratione epiſtolam Iohannis ad Aymericum, quaſi aliquot diebus (hoc enim prima monitorij vox *nuper* ſignificat) poſt eiuſdem Iohannis contra Ludouicum proceſſum datam referat, & tamen vtrumque eodem anno & die, octauo videlicet idus Octobr. & anno Iohannis octauo factum ſcribat.

25. Abſoluto monitorio addit hoc epiphonema Bzouius, *Quibus admonitionibus tantùm abeſt vt Ludouicus auſcultauerit, vt etiam ſuum furorem*

N. IV. f. Col. 415. ante m.

rem furere perrexerit. Iterum furibundo ſcriptori is furit, qui ad alterius mandatum, imperio rite parto imperiíque functionibus non abſtinet: rectiùs ipſe à conuitiis abſtineret.

26. Bzouius. *Ateſtini pariter legatum pacis mentionem facientem contempſerant, & Gaſparinum Stangam patricium Cremonenſem iuris inter aulicos ſuos præfectum, ad Ludouicum Bauarum ire præceperant, qui impotentem animi in pontificem & Guelfos magis irritaret, ádque Italiæ capeſſendum imperium inuitaret. Recepit Ludouicus, ſe, qua parte virium per occaſionem liceret, nunquam Ateſtinis aut reliquis eorum confœderatis defuturum. Quod ad Italicam profectionem attinebat, reſpondit, ſe propediem ibi affuturum, ſi modò aduerſariis ſuperatis, res Germaniæ ſibi ſtabiliret. Pigna hiſt. Ateſtin. lib. 4.* Col. 416. N VI. & VII.

27. *Ad eum modum tunc Ludouicus Ateſtinis, & cæteris confœderatis Italiæ reſpondit, quòd hoc anno cum Auſtriacis vltimam aleam experiri conſtituiſſet. Namque Fridericus Romanorum rex electus, & frater eius Henricus, ad copias ſuas coniunctis ex Vngaria miſſis præſidiis Bauariam inuaſerant, nec tantùm ea quæ in agris extabant, depopulati fuerant, verùm etiam plurimas ciuitates, quæ hactenus in fide Bauari conſtanter ſtetiſſent, aut expugnatas diripuerant, aut in deditionem acceptas exactionibus exhau-*

 riebant,

riebant, magnámque partem ducatus Bauariæ breuiſſimo temporis ſpacio per hoſtilem vaſtationem perdiderant. Itaque ne totam Bauariam Ludouicus amitteret, néue reliqui Sueuorum in Friderici fidem recederent, habuit quod in Germania ageret, itérque Italiæ in aliud tempus differret: cùm id etiam Iohannes rex Boëmiæ & Archiepiſcopus Treuerẽſis, vir potiùs ad bellum quàm ad templum natus, tum & multi Comites & Barones, qui in caſtris militabant, differẽdum conſulerent. Horũ copiis auctus Ludouicus Fridericũ viribus diſtractũ, neque Leopoldum fratrẽ tantiſper donec ex Sueuia adduceret exercitũ, expectare volentem, ſed præcipiti audacia præliandi cupidũ, aggreſſus, poſtquam duodecim integris horis varia inclinatione victoriæ pugnaſſet, multóſque ex ſuis amiſiſſet, tandem profligauit. Captus eſt in eo prælio ipſe Fridericus, & frater eius Henricus; hic ab Iohanne rege Boëmiæ abductus, & in cuſtodiam datus, ille à Ludouico in caſtrum Trinsneckium auectus & in carcere perpetuo triennio ſeruatus. Leopoldus caſu fratrũ conſternatus, cùm in Gallias conceſſiſſet, & tum cladẽ ſuorum Auſtriacorum, tum Ludouici tyrannicum erga pontificem & Eccleſiaſticos homines animũ expoſuiſſet, à Galliarum quidem rege Carolo auxilia implorauit, Iohannem verò ſummum antiſtitem adeò permouit, vt is Auinione in congregata Epiſcoporũ & Cardinaliũ Synodo non exigua, excommunicationis ſententiam

tentiam aduerſus Ludouicũ ſecundò tulerit, cauſáſque in edicto addiderit, quòd Ludouicus ſchiſmaticos & hæreticos iuuiſſet, & quotidie auxilio eſſet Eccleſiæ rebellibus. Excommunicatos etiam tunc pronunciauit Johannes omnes, qui non diſcederent à Ludouico, qui autem illi in ſacris miniſtraſſent, eos ſacerdotiis, dignitatibus & officiis priuauit. Miſit inſuper ad omnes Germaniæ Epiſcopos Bullæ in Ludouicũ prolatæ edita exẽpla, & ſub priuationis officij & Epiſcopatuũ pœnâ præcepit, vt in Ludouicũ, & omnes qui partes illius fouere pergerent, anathematis prolatam ſententiã vbique promulgarent. H. Mutius de reb. Germ. lib. 24.

Euiſcerabimus pro more noſtro Bzouij dicta.

28. Primum pronunciatum. *Ab Ateſtinis legatum Cardinalem, pacis mentionem facientẽ, contemptum.* Auctorem huius pronunciati laudat Bzouius Pignam in quo id nec ego nec ipſe vel lynceis oculis cerneret.

29. Secundum pronunciatum. *Ab Ateſtinis Stangam miſſum ad Ludouicum, vt impotentem animi in pontificem magis irritaret.* Pignæ verba hæc *lib. 4. p. 272. m.* ſunt, *Quanquam Raynaldus ad primum victoriæ nuncium, familiarem ſuum ad Ludouicum miſiſſet, de ea gratulatum, tamen fretus tam prolixo officio, gratioſiſſimum miniſtrum eandem legationem obire voluit, qui de ijs, quæ legatus de eximia in ſe volunta-*

 te ipſius

legato reſpondit, *Quod attinet ad Italicam profe-* *p. 275. ſ.*
ctionem, dixit, rem multis de cauſis animaduerſione dignam, eius ſe in tempore memorem futurum, ſperare autem ſe propediem ibi fore. Vbi ſunt, mi Bzoui, tua aliunde conducta verba, *ſi modò aduerſariis ſuperatis res Germaniæ ſtabiliret?* Iam ſuperati erant aduerſarij Ludouici, antequam legatus iſte ex Italia in Germaniam abiret; imò alius hunc anteceſſerat, vt poſt deuictum captúmque Fridericum victoriam Ludôuico gratularetur. Vide Pignam *l. 4. p. 272. ante med.*
tuum ibid.

32. Quintum pronunciatum. *Ad eum modum Ludouicus Ateſtinis & cæteris confœderatis Italiæ reſpondit, quòd hoc anno cum Auſtriacis vltimam aleam experiri conſtituiſſet.* Fumos & nebulas ſpargis, Bzoui, neque ad eum modum Ludouicus reſpondit, neque hoc anno rurſus cum capto Friderico vltimam aleam experiri conſtituit: in tuto iam Ludouici res erant, æmulo in poteſtatem redacto; quod vel ipſe Pigna loco antè à nobis monſtrato docet, & nos quoque iam nunc confirmabimus.

33. Principiò enim, antequam tuam belli cruentiſſimi deſcriptionem deartuemus, conuincendus erroris es, quem in tempore ſignando commiſiſti: nec refert quòd Mutium ſequaris, quia pro more, errantes ſequeris, & potes id etiam ſine duce.

34. Quæ-

34. Quæſo quomodo apud te in gratia eſſe deſiit Rebdorfius tuus, *qui tunc viuebat, ſcribebat & multa* etiam *præſens videbat!* An Mutius, qui duobus & ampliùs ſeculis pòſt vixit, meliùs ſcribebat & videbat abſens? Rebdorfius anno 1322. contigiſſe refert his verbis, *Regni ſui octauo, proximo die ante feſtum B. Michaëlis, poſt diuerſas turbationes Alemanniæ, prædicti Ludouicus & Fridericus electi in reges, congregato magno exercitu vtrinque in inferiore Bauaria, prope Müldorf Saltzburgenſis diœceſis bellum inìuerunt, in quo Ludouicus Fridericum coëlectum ſuum & Hainricum fratrem eius ducem Auſtriæ captiuauit.* Hæc Rebdorfius.

Pag. 422. §. penult.

35. Nos autem Bzouium ad ſplendidiorem adhuc ſolem ducemus, nimirum ad continuatores Steronis, Rebdorfio paulò antiquiores, qui & ipſi tunc viuebant, ſcribebántque, nec tu illorum ignarus es, ac idcirco magis miror, quòd oculi tui in luce cœcutierint. Pagina 410. ita pangunt.

In med.

Annis ter denis, minus octo, mille trecentis
Actis, Ludvvicus vincit, capitur Fridericus,
Ante diem feſtum Michaëlis, quod ſcio geſtum
Anno Milleno ter CCC. bis Xque ſecundo,
Quando Wenezlai clerus canit ac Adonai,
Tunc rex Ludvvicus conflixit cum Friderico,
Quem captiuauit, Auſtrales & ſuperauit,
Atque ducem dictum grandi certamine victum

In

In Truſnit duxit, vbi longo tempore luxit.
Sed locus, hæc acta prope quem ſunt omnia facta,
Müldorf eſt dictus, vbi flumen circuit Enus.

Hæc continuatores Steronis, qui bis ipſum digitũ in annum vigeſimum ſecundum intendunt.

36. Iungamus ex Italia eiuſdem propè temporis ſcriptorem Villanum, qui pariter hanc pugnam ad annum domini 1322. refert. *l.9.c.174 p.401.f.*

37. Argentinas quidem ex antiquioribus, quem tamen tu non adducis, propiùs aliquantum cum tuo Mutio ſentire videtur; nam ita loquitur pagina 121. *Ingreſſi ſunt itaque iterum ſuperiorẽ Bauariã ſub anno domini* M. CCC. XXIII. *de menſe Septembri Fridericus & Henricus Auſtrales.* Verùm hæc Argentinenſis verba parùm te iuuant; nã ſub annum Domini idem eſt quod circiter annũ Domini, & tres duntaxat menſes ſuperabant vſque ad annũ Chriſti 1323. cùm bellatũ eſt ad Müldorfiũ. Neque refert Henricum anno 22. in Italiam cum exercitu profectum, nam Brixiam venit Dominica Palmarum, hoc eſt, die 4. Aprilis; indéque verſus Germaniam receſſit die 18. Maij. *§. ult.* *Villanus l.9.c.142. poſt m. Argentin. p. 121. §.penult.*

Deſignato igitur tempore, luſtremus Mutianam tuam delineationem belli. eſt illa à te egregiè deprauata.

38. Primum pronunciatum. *Fridericum Henricúmque plurimas ciuitates* Bauariæ *expugnaſſe &*

in deditionẽ accepiſſe. Mutius verò tantùm ait, *Vrbiũ quaſdam.* Neſciebam *quaſdam* ſignificare *plurimas.*

39. Secundum pronunciatum. *Ludouicum, ne reliqui Sueuorum in Friderici fidem recederent, habuiſſe quod in Germania ageret, itérque Italiæ in aliud tempus differret.* Mutius verò, *Vrebant, vaſtabant & diripiebant Auſtriaci omnia; erat exercitus à fronte & tergo. Niſi ergo,* inquit, *Ludouicus impiger ſtrenuè occurriſſet illis, actum erat de tota Bauaria; celeritate igitur opus eſſe videns, & ne tota Bauaria perderetur, & ne Sueui coniungerent ſe Friderico ante congreſſum, feſtinat Ludouicus.* Vnde manifeſtè prodit ſuam ignorantiam Bzouius, nam Mutius intellexit exercitum Leopoldi, qui potiſſimùm ex Sueuica gente, quorum ille dux erat, conſtabat, iamiam Bauariæ imminentem, & vires Friderico iungentem: Bzouius verò verba Mutij eò rapit, quaſi is diceret Ludouico periculum fuiſſe, ne Sueui ab ipſo deficerent & in Friderici clientelam ſe darent, & ita habuiſſe quod ageret in Germania, itérque in Italiam diſtuliſſe. Mera figmenta, quia Mutius nec profectionis Italicæ nec laboris illius vel verbo meminit.

40. Tertium pronunciatum. *Iter in Italiam Johannes Rex Boemiæ & Archiepiſcopus Treuirenſis, vir potiùs ad bellum quàm ad templum natus, tum & multi Comites & Barones, qui in caſtris militabant,*

litabant, differendum conſulebant. Qualia portenta Bzouius loquitur! *Quia Ludouicus periculum vidit, habebat*, inquit Mutius, *ſuos quoque paratos. Aderat illi Rex Boëmiæ magna cum multitudine Boëmorum, aderat cum illo in caſtris reuerendiſſimus Archiepiſcopus Treuirenſis, vir ad bellum natus, aderant item multi Comites & Barones: cum his occurrit obuiam Friderico.* Hæc Mutius.

41. Rogo te, Bzoui, per genium tuum, vbi apud Mutium tua conſultatio eſt de profectione Italica differenda? an non ſtultum fuiſſet aut Ludouicum exquirere, aut alios dare conſilium, an in Italiam abeundum eſſet cum copiis, quando oculis ipſis vidit Ludouicus terrarum ſuarum ruinam, omnia ferro flammiſque vaſtari, clauſum ſeſe propè gemino exercitu? Dubitare Ludouicus poterat an tum conſultius illi foret peregre abire, incerta quærere, ſua amittere? Figulus es, Bzoui, & fingis non ſolùm quæ nemo dicit, ſed quæ nemo dicere poſſet, niſi fatuus. Neque Ludouici ſolùm noſtri valde amans es, ſed Archiepiſcopi Treuirenſis quoque, quem pulchro elogio ornas & auges Mutium: is de illo dicebat, natum ad bellum fuiſſe; tu aliud decus addis; Vir potiùs ad bellum quàm ad templum natus. quaſi verò is, qui ad bellum naſcitur, non etiam ad templum naſci poſſet? quis ſcit an tu non diu etiam contra Tartaros arma tu-

Digitized by Google

leris antequam collo cucullum iniiceres? ergóne ad templum natus non es? infamare ſine auctore & cauſa principem hominem an religioſi ſit, docebunt te ientacula Caietani tui, quæ rariùs credo ſumis; arrident magis hiſtoriæ, ſed quas fingere libet. Si Friderici caſtra ſecutus fuiſſet hic antiſtes, vti alij etiam epiſcopi ſecuti ſunt, in cælum laudibus iret, & audiret à Bzouio etiam inter tubas & taratantara caballo inſultans religioſiſſimus, nunc Ludouicum iuuiſſe profanum eſt.

42. Quartum pronunciatum. *Fridericum à Ludouico in caſtrum Trinsneckium auectum & in carcere triennio perpetuo ſeruatum.* Falſum hoc eſſe infrà oſtendemus ex hiſtoricis & literis ſuper ea re confectis, è quibus certum eſt Fridericum è cuſtodia liberatum ad Aprilem anni 1325. Itaque ad medium annum Friderici incarcerationem longiùs vero producit. Si medius annus triennij prætermiſſus aut additus Bzouio parùm eſt, probet ipſe hanc moram in aliquo carcere, dicemus & nos parùm eſſe. Ecquid non vidiſti tuum viuentem & videntem Rebdorfium Bzoui? *Ludouicus verò*, inquit ipſe videns, *Fridericum in carcere tenuit in caſtro Trauſennyz Ratisbonenſis diœceſis, tribus annis vel circa. Vel circa* non ſignificat perpetuum triennium, Bzoui. [l. Trauſnitz.]

43. Continuatores Steronis ita aiunt, *Fridericus* [pag. 419.]

ricus vinculis mancipatus in caſtro Truſnitt vſque ad triennium. Neque hîc perpetuum triennium inuenis, Bzoui: ſed nimirum quia crudeliorem Ludouicum videri vis, talem ſcribis. l. Tranſnitz.

44. Quintum pronunciatum. *Iohannem pontificem à Leopoldo permotum, vt excommunicationis ſententiam ſecundò tulerit.* Quàm lacera eſt memoria tua, Bzoui; hoc ipſo anno ſcribebas ſuprà, Iohannem pontificem in Ludouicum multa atrocia committentem ac notorios hæreticos protegentem ad V. Id. Iul. anno ſubſequente 1324. excommunicationis tandem ſententiam pronunciaſſe. Hi ſunt funes & lora tua quibus teipſum vincis. Si Ludouicus anno 1324. tandem excommunicatus eſt, quàm abſurdè ad annum XXIII. iſta ſcribis, *Leopoldus Johannem ſummum antiſtitem adeò permouit, vt is Auinione in congregata Epiſcoporum & Cardinalium Synodo nõ exigua excommunicationis ſententiam ſecundò tulerit.* Papæ! quî fieri potuit vt Ludouicus tandem excommunicatus ſit anno vigeſimo quarto, & tamen ſummus pontifex anno vigeſimo tertio iam ſecundam excommunicationis ſententiam tulerit? pueri tantum hiſtoricum ridebunt. N. III. Col. 418. v. 8. N. VII. poſt m. Col. 419. v. 4.

45. Sed tamen, mi Bzoui, Leopoldus ſolus non fuit, qui pontificis iram in Ludouicum inflammauit; Gallus quoque rex ignem follibus

auxit, quod tu præteris ex tuo Mutio: ſic enim ille ait, *Rex Galliæ ſiue miſeratus Auſtriacorum grauiſſimos caſus & clades, ſiue alioqui odio habens Ludouicum imperatorem, ſiue inuidia adductus, omni ſtudio conatur Auſtriacos iuuare; de ea re cum pontifice tractat multa in rem ducum Auſtriæ contra Ludouicum. Quamobrem Auinione in congregata Epiſcoporum & Cardinalium ſynodo non exigua pontifex excommunicationis ſententiam fert aduerſus Ludouicum imperatorem.* Taceo quod Mutius ait, *Mandat vt quamprimum promulgent excommunicationis ſententiam*; Bzouius, *Vt vbique promulgarent*, quaſi locus à tempore nihil differret, aut ij ad quos Iohannes ſcripſit, vbique fuiſſent. Dic iam tu, Bzoui, quid contra Ludouicũ apud pontificem tractarit Gallus? Indulgentias Eccleſiaſticas fortaſſe pro eo poſtulauit, nonne?

46. Sextum pronunciatum. *Cauſas excommunicationis fuiſſe, quòd Ludouicus ſchiſmaticos & hæreticos iuuiſſet, & quotidie auxilio eſſet Eccleſiæ rebellibus.* Ludouicus Gibellinos iuuit, qui ſchiſmatici (loquor in genere de Gibellinis, nam hunc aut illum nolo defendere) politicè tantùm fuerunt, & terrarum ſuarum dominum pontificem agnoſcere nolebant; vt ſacrorum antiſtitem non contempſere, eaſdem fidei perſuaſiones ſequuti cum paſtore ſuo Iohanne. Quare neque Eccleſiæ rebelles

dici

dici poſſunt, nam contra Eccleſiam nihil moliti, pontificis cupiditati ſolùm obſiſtebant, quod, vt illi opinabantur, iure poterant. Argentinenſis eam primam excommunicationis cauſam adfert, quòd Ludouicus nondum approbatus per Sedem Apoſtolicam, iura imperij adminiſtraret. p. 123. §. 3. m.

47. Septimum pronunciatum. *Priuaſſe Iohannem beneficiis ac dignitatibus Eccleſiaſticis eos, qui Ludouico in ſacris miniſtraſſent.* Mutius priuatos dicit, non qui *miniſtraſſent*, ſed, qui *miniſtrarent*, ſeu miniſtrare pergerent. Sic enim ait, *Quique in ſacris illi miniſtrant, eos priuat dignitatis officio & ſacerdotiis. Mittit ad omnes Germaniæ epiſcopos Bullæ in Ludouicum editæ exemplaria, mandátque ſub priuationis officij & epiſcopatuum pœna, vt quamprimum promulgent excommunicationis latam ſententiam in Ludouicum & omnes qui eius partes fouere pergant.*

48. Porro, quia ad hunc locum deuentum eſt, vt inclitæ pugnæ lector cognitionem habeat, libet eam fuſiùs exponere; Bzouius ideo breuis ex ſuo Mutio fuit, quia in laude Ludouici longus eſſe noluit.

49. Erat Friderico Auſtriaco penitus decretum, diuturnum aduerſus Ludouicum bellum egregia tandem victoria finire. Ergo per æſtatem conquiſitiones militum ipſe per Auſtriam vicináſque Continuat Steronis p. 410. §. 5. Rebdorf. 412. §. penult.

prouin-

Argent. 121. §. vlt. Auentin. 754. ante m. Mutius 225. 48. Megiſer 8. chron. Carinth. l. 8. 53. Villanus l. 9. c. 174.

prouincias, Leopoldus per Sueuiam Rhenúmque exactiſſimas inſtituit, exercitúque ingenti contracto Hungaros quoque in ſubſidium adſciſcit; primo autumno Bauariam infeſtus intrat, omnia ferro flammíſque vaſtat, opida aliáque opportuna bello loca militari violentia occupat.

50. Sed neque Ludouicus ſibi defuit, non ignarus contra quem tanti apparatus ſpectarent. itaque nec ipſe ſegnis in milite ſcribendo, principéſque ſibi deuotos ſolicitando, vt quàm maturrimè auxiliares copias adducerent. Præſtò mox fuit Bohemiæ Rex & Balduinus Treuirorum Antiſtes, Burggrauius de Nürnberg, duo Oetingenſium, Monfortius vnus multíque alij Comites ac Barones, egregia omnes in Cæſarem fide. Quantus copiarum numerus fuerit, incertum faciunt auctores inter ſe varij. Argentinenſis equitum Ludouici numerat mille quingentos, peditum triginta millia; equitum plures fuiſſe autumo.

51. Ludouicus igitur cùm intellexiſſet Leopoldum magna ſubſidia trahere, ac in Bauariam raptim ducere; Fridericum verò tantam ſuæ prouinciæ cladem inferre, properandum ſibi exiſtimauit, vti ferociam Friderici retunderet abſente Leopoldo. Sapienter admodum; nam vti par erat ſingulis, ita vtrique iuncto reſiſtere vix poterat. Mouit igitur ocyus exercitum, & ad hoſtem ſigna conuer-

conuertit. Dirimebat vtrumque exercitum fluuiolus, & infeſtabatur Ludouicus ab turbine telorum, quæ ſagittarij Friderici in progredientem coniiciebant; ſed mox in tutum emerſus ad pagum Ampfing, haud procul opido Müldorſio conſedit.

52. Friderico, vbi Bauarum fluuium tranſiiſſe auditum eſt, fuere permulti, qui ſuaderent, vti modica declinatione Ludouicum diſtineret, & Leopoldo iamiam aduentanti ſeſe iungeret. Sed maior animus Friderico fuit, non fugam ſed ne fugæ quidem ſpeciem ferens. Poteſtatem ergo aduerſario pugnandi facturus, copias triplici ordine diſponit, in tertio ipſe conſpicuus & animo fiduciáque ingens.

53. Parte altera Ludouicus optata occaſione vſus, & ipſe ſuos in aciem educit, primúmque à ſeſe imperium legato ſuo Seifrido Svveppermanno Norimbergenſi, veterano & rerum bellicarum callidiſſimo duci permittit, ipſe ne agnoſceretur (nec enim dubitabat, quin victus necaretur) cœruleis armis tectus, fortiſſimorúmque virorum caterua ſtipatus, mediam aciem regendam imperiíque aquilã defendendã ſuſcipit, ſupremùm obſtinatus, aut victorem ſeſe futurum, aut nullum. Et quia dies Diuo Wenzeſlao Bohemorum patrono feſtus erat, honoris cauſa Bohemorum regi prima *Chron. m. ſ. Norimberg. in 4. p. 545.*

acies regenda data. Cornu alterum Alberto Rindmaulio, alterum Conrado de Baibrun fortiſſimis tribunis aſſignatum. Burggrauius in inſidiis morari iuſſus.

54. Igitur accenſis vtrinque animis, vbi claſſica inſonuere, concurrunt infeſtæ acies, pugnatúrque acerrimè ferme decem, vel vt Mutius tradit & Villanus indicat, duodecim ipſas horas, adeo variante fortuna, vt parùm abfuerit, quin victores ipſi vincerentur. Bauari pedeſtris acies iamiam lababat, ac ſignum amiſerat, ceſſerátque etiam, ſed equitum virtus rem reſtituit; quingenti certè abiectis armis ſupplices ſeſe Friderico dediderant. Equites ergo vt inclinatam aciem vidêre, deſiliere illico in pedes, & noua acie facta in hoſtem magno animo iuere. Rediit & aliis erectus animus adæquato iam omnibus periculo, & mox in tempore Svveppermannus Burggrauium accerſit, qui cum equitibus, quos in occulto tenuerat, repente aduolitat, ſigna & arma Auſtriaca mentitus. Ergo Auſtriaci lætitia pleni, aduentum Leopoldi gratulari, nihil mali metuere. Ad hunc modum deluſos Burggrauius feſſos & ſaucios turbinis in morem diſſipat, fundit, fugat. Quingenti paulò antè dediti, vt vidêre fortunam verſam, & ipſi arma reſumunt, trepidóſque Auſtrios adoriuntur. Henricus Friderici frater, eiúſque vexillum in poteſta-

tem

tem venit. Fridericus ipſe alia in parte animo & armis excelſus, non imperatoris ſolùm, ſed fortiſſimi militis munus obit obnitente fortuna: nam equo ab obuio bellatore perfoſſo, prolabitur, humíque cadens quærit ex milite, ſub cuius vexillo mereat? ſub Burggrauij, ait ille. tum Fridericus, accerſe, inquit, herum tuum. quod mox factum. & Fridericus, en tibi, Burggrauie, gladium hunc meum; fidei me tuæ committo; vitæ cauebis. recepit id Burggrauius, abductúmque victori ſtitit: quem Ludouicus vt coram vidit, humaniter allocutus eſt his verbis, vt cum Argentinenſi loquar, *Auuncule libenter videmus vos.* nec dubito quin germanicè dixerit, Herr Vetter wir ſehen euch gern. *Megiſer.*
At Fridericus aduerſa fortuna perculſus nihil reſpondit.

55. Interea fit paſſim fuga, plurima cædes, & tandem receptui canitur. Ita magno certamine defunctus Ludouicus Fridericum Trausnizium validam arcem in cuſtodiam transmittit. Quò poſtquam peruênit, quæſiuit nomen loci: vbi audiit nomen caſtro eſſe Trausnitt, Noli fidere; non potuit, inquit, niſi vates hoc nomen loco indere, nunquam equidem crediſiſſem fore, vti ego præpotens rex huc vinctus aliquando deducerer. Ita ille carcerem ſubiturus, exemplo mortalibus etiam reges poſſe eſſe miſeros. Meruit certè hic Frideri-

cus præſtantiſſimis ducibus annumerari, & fuiſſet etiam annumeratus felicibus, ſi alium hoſtem, quàm Ludouicum habuiſſet. Henricus eius frater Bohemo in prædam ceſſit. Leopoldus iam ad flumen Lechum copias perduxerat, nec niſi 15. milliaria à Friderici fratris caſtris aberat, cùm ecce triſtis acceptæ cladis nuncius adfertur, ad quem ingemiſcens exercitum ſuum & ipſum conſternatum in Sueuiam reduxit.

56. Incidit memorabile hoc prælium in 4. Kalend. Octob. anni 1322. Cæſorum numerum nuſquam expreſſum reperio, fuiſſe tamen immanem inde conſtat, quòd quinque equitum millia campos ſtrauerint, infecerintque. Sed nos ad Bzouium redeamus.

Col. 417. N. IX. *Leopoldus anathematis ſententiam in Ludouicum vbiq; promulgari curat.*

57. Deinceps is deprauat & mutilat Argentinenſis locum hoc modo, *Præter hæc Leopoldus artibus illicitis tentata, nihil non egit, vt fratres captiuos liberaret, omnéſque in Ludouicũ Bauarum principes irritaret. Nam & ſententiam anathematis & priuationis tam iuris electionis, quàm ducatus & dominiorũ in Ludouicum ac filios & fautores illius à Iohanne pontifice pronunciatam, vbicunque potuit promulgari curauit. Idem Argent. vbi ſupra.*

p. 323. m.

58. Audi nunc Argentinenſem. *Conglutinatis autem Papa, Franco, & Lupoldo, Papa Ludouicum ſuper eo, quòd nondum approbatus per ſedẽ Apoſtoli-*

ſtolicam, iura imperij adminiſtraret, & Galeacium hæreticum foueret, Auinionem citauit, & non comparentē excommunicauit, & poſt annum ſimiliter de hæreſi condemnauit (contra quos tamen proceſſus Ludouicus electus ex quibuſdam cauſis rationalibus appellauit, ipſámque appellationem eidem Papæ intimauit) priuationis iuris electionis, ducatus ſui & dominiorū, & aliis pluribus in eū & filios & fautores eius, ſucceſſiuè ſentētiis promulgatis: quas Lupoldus vndiq; vbi potuit, in odiū Ludou. procurauerat promulgari.

59. Argentinenſis ſignificat ſententiam priuationis iuris electionis, ducatus & dominiorum, ſequenti demum anno latam; quod Bzouius præ gaudio refert hoc præcedente. Argentinenſis ait, Ludouicum contra proceſſus Iohannis ex quibuſdā cauſis rationabilibus appellaſſe, ipſámque appellationem Papæ intimaſſe: quod Bzouius hîc & alibi fraudulenter ſupprimit: vt & aliorum ſimilia dicta à nobis anno ſequente proponenda. *an. 1324. VII. §. 21 Ibid.*

60. Bzouius. *Gliſcentibus interim pontificem inter & Ludouicum diſſenſionibus Fratres quidam Minores de paupertate Chriſti & Apoſtolorum nimis contentiosè, non iam cum Fratr. Prædicatoribus, ſed cum ipſo Iohanne ſummo Antiſtite diſceptantes, cùm F. Bonagratiam, ea in controuerſia, F. Michaëlis Caſenatis Miniſtri & capituli Generalis Peruſini Procuratorem, propter temerariam à ſententia Io-*

Digitized by Google

annis appellationẽ per hos dies in carcerem coniectum ſcriptis non minùs procaciſſimis quàm erroneis, famam ſummi pontificis Iohannis violare auſi ſunt. Quòd autem ſcirent Ludouicum iniquiſſimo animo excandeſcere contra pontificem, Wilhelmum Ockamum ſui inſtituti, natione Anglicum, ſophiſmatibus & ſubtilitatibus tenebroſis innutritum, ac propter eandem opinionem, quam vnà cum F. Michaële Caſenate Generali miniſtro mordicus defendebat, anathemate percuſſum, ad Ludouicum odio æſtuantem ire ſuſtinuerunt, qui oleum, quod aiunt, camino inflammato affunderet. Ferunt, cùm defenſionem imploraret, dixiſſe: O imperator, tu me gladio à Papa iniuriis defende, & ego te verbis & ſcriptis indiſſolubili ratione defendam. Is à Ludouico ſiue mercede conductus, ſiue in tutelam receptus, multas calumnias in Iohannem ſparſit, hæreticúmque & ſchiſmaticum mentitus, eius cenſuras non eſſe metuendas finxit. Præcipuè in illam cuius titulus eſt, Ad conditorem, ſuperiore anno vulgatam epiſtolam, ſtylum acuerant minoritæ. quam tantùm abeſt vt Iohannes inuictæ conſtantiæ pontifex antiquauerit, vt etiam hoc anno auctam magiſque illuſtratam ediderit. Trithem. in Chron. Hirſaugien.

61. Quæ de celebri illa inter veſtrum Franciſcanorúmque ordinem tragœdia commemoras ad meum inſtitutum non pertinent; pertinet tamen

ex oc-

ex occaſione, vt lectorem moneam, te in tempore definiendo & deſcribendo parùm videre; nã Franciſcani contra ipſum pontificem literis primùm cœpere contendere anno vigeſimo octauo eius ſeculi, vti ſcribit Marcus Vlyſſipponenſis, hiſtoriæ *lib. 8. c. 14.* ordinis ſui non ignarus, nec temporis, quo tuos tribules ſeueros experta eſt Religio pauperum : ita vt tu longiſſimum errorem tuum prodas, quippe qui ſeſe hîc ad quinquennium, ſuprà verò vbi eandem litem moues, ad ſeptennium extendat. Sed *an. 1321. N. VII.* tu mihi Trithemium obiicies; rectè habet, non paueſco ad hunc militem, nam & ille in errore potiùs, quàm Franciſcani inſtituti profeſſus Marcus. Deinde cum ipſo tuo Trithemio pugnas. nam ille hanc contentionem ad annum vigeſimum quartum refert, tu ex ſuperante in Ordinem Minorum affectu anno vno præuenis, & reos oſtentas antequam rei ſint.

62. Primum pronunciatum. *Fratres quoſdam minores, quòd ſcirent Ludouicum iniquiſſimo animo excandeſcere contra pontificem, ſuſtinuiſſe, vt ad illum iret Wilhelmus de Ockam, & oleum camino inflammato adderet.* Hoc pronunciatum ſeſe excerpſiſſe ex Trithemio videri vult Bzouius, ſed is tantùm hæc verba habet, *Guilielmum quoque de Ockã eiuſdem ordinis, natione Anglicum, doctorem acutiſſimum, ob eandem ſententiam excommunicatum* Iohannes

hannes *declarauit hæreticum, qui confugiens ad Ludouicum imperatorem, eius defenſionem implorauit.* Hæc Trithemius. An non apparet hìc beneuolus tuus animus in miſeros illos Minoritas? quaſi illi ſub pileo, vt ſic dicam, luſiſſent, & ſuſtinuiſſent Ockamum profugere ad Ludouicum pontificis hoſtem, vt camino incenſo oleum affunderet. Ockamus profugit, & tamen alij ex chriſtiana explicatione Bzouij, ſi non miſerunt, ſaltem ſuſtinuerunt, vt Ludouicum Cæſarem contra pontificem magis irritaret.

63. Secundum pronunciatum. *Ockamum à Ludouico ſiue mercede conductum, ſiue in tutelam receptum.* Planè nimium volans eſt tuus calamus Bzoui; Trithemius ait ſolùm, *ſuſceptus autem à Ludouico:* quare tu adiicis, ſiue mercede conductum? parùm abeſt quin credam, te eſſe mercede conductum ad fingendum.

64. Tertium pronunciatum. *Ockamum multas calumnias in Iohannem ſparſiſſe, hæreticúmque & ſchiſmaticum mentitum, eius cenſuras non eſſe metuendas finxiſſe.* Ockamum non excuſo, vti nec te, cùm improba ſcribis.

Quæ in tuo textu ſequuntur, è tua pera deprompta ſunt, Trithemius eorum nihil refert.

Col. 422. N. XII. 65. Bzouius. *Quanquam autem pœnas & cenſuras in contradictores grauiſſimas ſanxerit, plurimi*

tamen

tamen Franciſcanorum, freti authoritate Ludouici Bauari, mordicus eam opinionem non tantùm opinati ſunt, verùm etiam publicè aſſeruerunt, licet quæſitores fidei poteſtate à ſede Apoſtolica conceſſa, in conuictos legibus agere non prætermiſerint. Hoc anno quenquam Franciſcanorum auctoritate Ludouici Cæſaris fretum, perperam quid docuiſſe, tua eſt calumnia, Bzoui: nondum enim ad illum profugerant Minoritæ, neque dum Ludouicus eos ſuſceperat; aut ſi ſecus eſt, doce.

66. Bzouius. *Per id enim temporis in priuigilio apparitionis S. Michaëlis Maſſiliæ quatuor fratres Minores combuſti fuerant, propter hæreſin de paupertate, quam eiurare noluerunt. Richard. Cluniac. in Iohanne* XXII. *Ea res cùm vehementer Ludouicum offenderet, Iohannem Iandunum & Marſilium Paduanum aſtrologos, omniúmque opinione hæreticos, ad ſe acciuit, quorum opera in impugnando Iohanne pontifice & ſacris dogmatibus definiendis, tum verò Fratricellis defendendis vteretur. Maſſonius in Annal. Franc. l. 3. Meruit iteratò anathemate à ſede Apoſtolica damnari, quòd hæreticorum conſiliis vteretur, eóſque in Romanam orthodoxiam acueret.* *Vbi ſupra.*

67. Primum pronunciatum. *Supplicium de Franciſcanis ſumptum vehementer Ludouicum offendiſſe.* Nempe Mercurius de cælo hoc tibi nuncium tulit, Bzoui; nam Maſſonus huius rei ignarus eſt.

68. Secundum pronunciatum. *Quia Ludouicum malè habuit Minoritas eſſe combuſtos, Iohannem Jandunum & Marſilium Paduanum aſtrologos omnium opinione hæreticos ad ſe acciuit.* Neque iſta Maſſonus ſcribit, ſed Bzouius excogitat. euolutus eſt mihi non tertius modò Maſſonij liber, ſed etiam quartus, nec reperi quicquam præter Bzo-
p. 419. 39. uium vaniloquum; vt taceam Rebdorfium meminiſſe primùm anno 1324. hos familiares Ludouico fuiſſe, neque dicit tamen accitos.

69. Tertium pronunciatum. *Ludouicum meruiſſe iteratò anathemate damnari.* Ergo iam tertiò Ludouicus excommunicatus eſt, antequam ex-
N. III. f. communicaretur. nam ſuprà dicebas, anno 1323. pontificem diras duntaxat minatum; ad quintum verò Id. Iul. anno ſubſequente 1324 excommunicationis tandem ſententiam pronunciaſſe.

ANNVS CHRISTI 1324.

Ludouici Imperatoris XI.

Col. 419. 1. BZouius. *Erat cur Johannes pontifex poſt diuturnam expectationem* Ludouicum *Bauarum, tandem piorum cœtu ſegregatum diriſque Eccleſiaſticis*

ſticis deuotum denunciârit. Namque is iuri, quod in regnum & imperium Romanorum in ſpeciem obtendebat, parùm fidens, dolúmque ab internuncio Brandeburgici in electione admiſſum, ex deraſo Friderici Auſtriaci, ac ſuo, loco illius ſuperſcripto in ſcheda ſuffragatoria nomine, in facie orbis apud ſubſellia ſedis Apoſtolicæ, magno ſuo probro detectum animaduertens, ad arma conuerſus, titulum regium de facto vſurpauerat; imperatoribus propria munera præter conſenſum ſummi pontificis, ante inaugurationem & renunciationem conſuetam exercebat; hæreticorum & aliorum ab Eccleſia damnatorum curam tutelámque ſuſcipiens, eos militaribus copiis adiuuerat: pacem Italiæ & Germaniæ miſcebat: ad oppreſſionẽ pontificiorum totis conatibus ferebatur: ad audiendam in controuerſia electionis, & in cauſa tutelæ hæreticorum, ſententiam ab Ioanne pontifice euocatus, neque ipſe præſens adeſſe, neque nuncium, qui facta omnino expurgaret, aut verò rationibus defenderet, aut quod poſtremum fuerat, benignitatem Apoſtolicam deprecaretur, mittere voluerat: adeóque pontificiam auctoritatem, ſediſque Apoſtolicæ ſuper omnes Chriſti fideles primatum contumax contempſerat. Quamobrem non potuit Ioannes committere, quin ex diſciplina Eccleſiaſtica, in refractarium, tótque criminum auctorem illum non animaduerteret: omnéſque principes & prælatos imperij & præcipuè Germaniæ,

f 2 *ſacra-*

ſacramento fidelitatis, ſi quo aliqui eorum ſeſe Ludouico quauis ratione vel occaſione aſtrinxiſſent, exſolueret, iuſtúmque bellum contra inuaſorem regni & imperij indiceret, ſeu ab Auſtriacis indictum modis omnibus promoueret. Et in margine; *Ioannes PP. Ludouicum Bauarum anathemate ferit, & quæ excommunicationis cauſæ.*

2. Quia Bzouius iam ſatis exercitatus præfidit poſſe ſeſe ſolum, etiam ſine ſocio falſum ſcribere, ideo præter ſe nullum alium ſcriptorem adducit ſuæ narrationis teſtem. Secemus nos more noſtro eius orationis ſeriem.

3. Primum pronunciatum. *Ludouicum pontifex tandem diris deuotum denunciauit.* Si excommunicatum denunciauit tantùm hoc anno, quomodo tu ſuprà dicebas, Excommunicationis ſen-
An.1323. III. f. tentiam hoc anno in Ludouicum tandem latam; cùm aliud ſit excommunicare, & aliud excommunicatum declarare? Item quomodo reſpondet margo tuus cum ipſa narratione cui adfigitur? ita habēt verba in ora chartæ, *Ioannes PP. Ludouicum anathemate ferit.* Neque iſthoc eſt excommunicatum declarare, & tamen pontifex in literis hîc à te allatis non excommunicat, ſed tantùm declarat excommunicatum Ludouicum. Sed tibi innatum eſt, odio Ludouici omnia turbare, & vera falſáque coaceruare, ſecernat lector quæ volet.

4. Secun-

4. Secundum pronunciatum. *Ludouicum iuri imperiali, quod in ſpeciem prætendebat, parùm fiſum eſſe.* Meræ gerræ ſunt iſtæ, mi Bzoui. An is iuri non fiſus fuiſſet, qui è ſeptem ſuffragiis quinque tulit? & à quo, quæſo, tu genio audiſti, parùm iuri ſuo fiſum eſſe Ludouicum? oportet nimirum ſcriptorem annalium noſſe etiam quæ non contigere, vt, cùm ea, quæ facta ſunt, eius notitiam effugerunt, ſubſtituat ea quæ facta non ſunt,

5. Tertium pronunciatum. *Ludouicum animaduertiſſe dolum internuncij Brandeburgici ex deraſo Auſtriaci nomine in facie orbis apud ſubſellia Apoſtolica magno ſuo probro detectum fuiſſe.* Hęc Ludouicus non aduertit, quia non erant; ſed Bzouius aduertit atomos & volitantes in ſole puluiſculos; putent & fœtent verba iſthæc omnia.

6. Quartum pronunciatum. *Ludouicum ad arma conuerſum, titulum regium vſurpaſſe.* Ad arma Ludouicus conuerſus eſt, quia armis appetitus fuit; titulum regium non vſurpauit, ſed iure electionis aſſumpſit,

7. Quintum pronunciatum. *Munera imperatoria ante inaugurationem exercuiſſe.* Ita eſt, Bzoui. fecit id Ludouicus, & minimè perperam, quia vt ſuprà vidiſti, legitimè electus imperator imperatoria munera exercere poteſt, etiam ante inaugurationem Romanam.

8. Sextum pronunciatum. *Ab Ludouico hæreticos & damnatos in tutelam receptos.* Ad hoc vſque tempus ab Ludouico hæreticos in tutelam receptos, non oſtendet facilè Bzouius, niſi fortè Gibellinos intelligat, è quibus pauci hæreſis infamia notati ſunt. Hos ſanè defendit Ludouicus vt clientes, ſibíque ſacramento addictos.

9. Septimum pronunciatum. *Ludouicum pacem Italiæ & Germaniæ miſcuiſſe.* Rectiùs ſcriberet Bzouius, Ludouicum in Germania & Italia coactum fuiſſe, ſua imperiíque iura armis tutari. Nam in Germania Auſtriaci imperium Ludouico delatum, ſibi vendicabant: in Italia Guelfi ius imperatorium nullum volebant, ibántque oppreſſum Gibellinos in fide erga imperium conſtantes. Itaque pacem illi potiùs turbauere, qui aliena quæſiuere.

10. Octauum pronunciatum. *Ludouicum ad oppreſſionem pontificiorum totis conatibus incubuiſſe.* Neque hoc inficior, quia Guelfi totis conatibus ad oppreſſionem Ludouici ferebantur.

11. Nonum pronunciatum. *Ludouicum euocatum ab Joanne pontifice ad audiendam in controuerſia electionis & in cauſa tutelæ ſententiam.* Si Bzouius ſemper ſua dicta firmaret aliorum auctoritate, apud me auctoritatem haberet; nunc fides eius vacillat. Vbi verò aut quando Ludouicus à pontifice

tificee euocatus fuit? in monitorio iſta duntaxat legimus, *Nihilominus iniungentes, vt infra trium menſium ſpacium à data præſentium computandum, quos ei de eorundem fratrum conſilio pro peremptorio termino aßignamus, ab adminiſtratione, fautoria & defenſione prædictis prorſus abſtineat ac deſiſtat, adminiſtrationem ipſam per ſe vel alium vel alios non reſumpturus vlteriùs, niſi tum demum, cùm & ſi electionem ſuam huiuſmodi, quæ de ipſo dicitur celebrata, ac perſonam eiuſdem per ſedem Apoſtolicam approbari contigerit & admitti; quódque geſta per eum poſt præſumptum ab eo titulum memoratum circa præmiſſa, quatenus proceſſere de facto, cùm de iure non teneant, velut ab ipſo, cui ius faciendi non competebat, nec competit, attentata, curet infra prædictum terminum, quantum patietur poßibilitas, realiter reuocare; apertè per præſentium ſeriem intimantes eidem, quòd ſi in præmißis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens fuerit vel remiſſus, nos contra ipſum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmiſſos exceſſus notorios incidiſſe noſcitur, vel incidet in futurum, & aliàs quantum ſuadebit iuſtitia, eius non obſtante abſentia procedemus.*

12. Equidem dum hæc verba lego, minas duntaxat aduerto, & pœnas intentas, niſi imperium deponat, & ſententiam ſuper electione priuatus expectet. Vbi autem iubetur adeſſe ad pontificis ſubſellia

ſubſellia cauſam dicturus? quis ei menſis aut dies dictus, vt ſe coram pontifice ſiſteret? Res ipſa exigebat, dices, vt coram pontifice excommunicationem minitante compareret, ſuámque cauſam ageret. Ita eſt; omnino res exigebat, atque propterea Ludouicus oratores miſit, tametſi id à pontifice non fuerit poſtulatum.

13. Decimum pronunciatum. *Neque per ſe adeſſe, neque nuncium, qui facta omnino expurgaret, aut rationibus defenderet, mittere voluiſſe.* Si Bzouius, quæ alij narrant ſcriberet, ſuperſedere ego reſpōdere. Ludouicus vbi primùm ex fama inaudiit pontificem publicè pro tribunali ſibi anathema, imperiíque abdicationem minatum; illico oratores miſit, vti rem cognoſcerent, ac prorogationem à pontifice præſcripti termini obtinerent; quod ex ipſius pontificis teſtificatione apertiſſimum eſt. Quare intolerabile eſt, quod Bzouius hîc ſcribere audet, Ludouicum nuncium, qui facta omnino expurgaret, non voluiſſe mittere. Audiamus pontificem contra Bzouium loquentem apud Bzouium.

Col. 430. 11. §. 3.

AD PERPETVAM REI memoriam.

14. *ATtendentes, quòd dum errori non reſiſtitur, is ad quem reſiſtere pertinet, illi vtcunque præ-*

ſumitur

ſumitur conſentire, & cætera quæ ſequuntur continuè, prout ſuprà in præcedentis anni proceſſu vſque ad *Datum Auinione in Palatio Epiſcopali* VIII. *Idus Octobr. Anno 8*. Deinde ſequitur immediatè. *Poſtmodum verò dilecti filij Albertus de Strasburgh Magnus Præceptor Ordinis Hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitani per Alemaniam, nec non Magiſter Grueſturp de Sebech Archidiaconus Herpipolenſis, & Magiſter Henricus de Thoruno Canonicus Pragenſis, eiuſdem Ducis Bauariæ nuncij, & in diſcordia, ut prædicitur, in Regem Romanorum electi, ad ſedem Apoſtolicam venientes, ac coram nobis & eiſdem fratribus 4. Nonas præſentis menſis Ianuarij, conſtituti, quandam literam patentem, ſeu apertam, quodam ſigillo ceræ albæ ſigillatam, in cuius ſigilli circumferentiis erat ſcriptum, Ludouicus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus: & in eodem ſigillo erat quædam imago, regio ſedens in ſolio, Regiæ maieſtatis tenens in manu dextera vnam virgam ſeu baculum, in ſummitate cuius erat vna crux, & in manu ſiniſtra vnum pomum, in quo erat deſuper vna crux; exhibere curarunt, ac ſubſequenter II. Nonas menſis eiuſdem, iidem Nuncij coram nobis & eiſdem fratribus in conſiſtorio conſtituti, exhibuerunt quandam ſupplicationem in pergameno conſcriptam; cuius quidem literæ tenor de verbo ad verbum talis eſt. Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper*

ſubſellia cauſam dicturus? quis ei menſis aut dies dictus, vt ſe coram pontifice ſiſteret? Res ipſa exigebat, dices, vt coram pontifice excommunicationem minitante compareret, ſuámque cauſam ageret. Ita eſt; omnino res exigebat, atque propterea Ludouicus oratores miſit, tametſi id à pontifice non fuerit poſtulatum.

13. Decimum pronunciatum. *Neque per ſe adeſſe, neque nuncium, qui facta omnino expurgaret, aut rationibus defenderet, mittere voluiſſe.* Si Bzouius, quæ alij narrant ſcriberet, ſuperſedere ego reſpōdere. Ludouicus vbi primùm ex fama inaudiit pontificem publicè pro tribunali ſibi anathema, imperiíque abdicationem minatum; illico oratores miſit, vti rem cognoſcerent, ac prorogationem à pontifice præſcripti termini obtinerent; quod ex ipſius pontificis teſtificatione apertiſſimum eſt. Quare intolerabile eſt, quod Bzouius hîc ſcribere audet, Ludouicum nuncium, qui facta omnino expurgaret, non voluiſſe mittere. Audiamus pon-
Col. 430. tificem contra Bzouium loquentem apud Bzo-
11. §. 3. uium.

AD PERPETVAM REI memoriam.

14. *ATtendentes, quòd dum errori non reſiſtitur, is ad quem reſiſtere pertinet, illi vtcunque præ-*

ſumitur

ſumitur conſentire, & cætera quæ ſequuntur continuè, prout ſuprà in præcedentis anni proceſſu vſque ad *Datum Auinione in Palatio Epiſcopali* VIII. *Idus Octobr. Anno 8*. Deinde ſequitur immediatè. *Poſtmodum verò dilecti filij Albertus de Strasburgh Magnus Præceptor Ordinis Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani per Alemaniam, nec non Magiſter Grueſturp de Sebech Archidiaconus Herpipolenſis, & Magiſter Henricus de Thoruno Canonicus Pragenſis, eiuſdem Ducis Bauariæ nuncij, & in diſcordia, vt prædicitur, in Regem Romanorum electi, ad ſedem Apoſtolicam venientes, ac coram nobis & eiſdem fratribus 4. Nonas præſentis menſis Ianuarij, conſtituti, quandam literam patentem, ſeu apertam, quodam ſigillo ceræ albæ ſigillatam, in cuius ſigilli circumferentiis erat ſcriptum, Ludouicus Dei gratia Romanorum rex ſemper Auguſtus: & in eodem ſigillo erat quædam imago, regio ſedens in ſolio, Regiæ maieſtatis tenens in manu dextera vnam virgam ſeu baculum, in ſummitate cuius erat vna crux, & in manu ſiniſtra vnum pomum, in quo erat deſuper vna crux; exhibere curarunt, ac ſubſequenter II. Nonas menſis eiuſdem, ijdem Nuncij coram nobis & eiſdem fratribus in conſiſtorio conſtituti, exhibuerunt quandam ſupplicationem in pergameno conſcriptam; cuius quidem literæ tenor de verbo ad verbum talis eſt. Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Augu-*

Digitized by Google

Auguſtus. Ad vniuerſorum, quorum intereſt, notitiam volumus peruenire, quòd religioſos & honorabiles viros, Fratrem Albertum de Strasburgh Magnum Præceptorem Hoſpitalis ſancti Ioannis Hieroſolymitani per Alemanniam, nec non Magiſtrum Grueſturp de Sebech Archidiaconum Herbipolen. & Magiſtrum Henricum de Thoruno Canonicum Pragen. familiares & ſecretarios noſtros dilectos, exhibitores præſentium, noſtros veros & in ſolidum procuratores legitimos & Nuncios ſpeciales fecimus & ordinauimus in his ſcriptis, ad requirendum & ſciendum apud Romanam curiam; An quidam proceſſus, nos, cauſas, & iura noſtra contingentes, per ſanctiſsimum in Christo Patrem & Dominum noſtrum, Dominum Ioannem diuina prouidentia ſummũ pontificem, nuper in eadem Curia, vt refertur, habiti ſint, & facti, quos nondum certa relatione, inſinuatione vel renunciatione conſtat in noſtram notitiam deueniſſe. & hoc comperto, ad repræſentandum ſe in eiuſdem Domini ſummi pontificis præſentia, petendum & recipiendum nomine noſtro ab eo cum reuerentia & deuotione, dilationem termini competentis; in quo per ſolennes procuratores & nuncios noſtros ſufficienter inſtructos, in tam arduo negotio ſuper expreſsis & contentis in ipſis proceſsibus, vt dicitur, nos, cauſas, & iura noſtra de iure poſsimus defendere, ac de iuſtitia adiuuare, noſtrámque innocentiam declarare; Maximè cùm

mè cùm

mè cùm terminus, qui dicitur in eiſdem proceſſibus conſtitutus ad tam arduũ negotium, ex quo ad nos potuit peruenire, arctus nimium ſit & breuis. Dantes dictis procuratoribus & nunciis noſtris & cuilibet in ſolidum in præmiſſis, & circa præmiſſa & eorum quolibet plenam & liberam tenore præſentium facultatem. In cuius rei teſtimonium præſentes conſcribi & ſigillo maieſtatis noſtræ iuſſimus communiri. Datum apud Nuremberg. II. *Idus Nouembr. Anno Dom.* M. CCC. XXIII. *Regni verò noſtri anno Nono.*

15. *Item ſupplicationis præfatæ ſeries de verbo ad verbum talis eſt.*

PATER SANCTISSIME.

AD *mandatum Sanctitatis veſtræ in ſcriptis poſuimus, ad quid venimus, & quid à ſanctitate Veſtra petere debeamus. Dicimus igitur ex parte domini noſtri, filij veſtri deuoti, quòd licet paucis diebus elapſis ab aliquibus murmuraretur, & abſque tamen vlla inſinuatione certa, referretur, apud dictũ dominum noſtrum, proceſſus aliquos eſſe factos à ſanctitate veſtra, ipſum & iura ſua, ac ſtatum ſuum grauiter contingentes; tamen dominus noſter prædictus, nullatenus credere poterat, nec credebat, imò æſtimabat æmulorum ſuorum eſſe figmenta, nec etiam veriſimile reputabat, quòd ſancta* Romana Eccleſia *taliter proceſſiſſet, cùm nunquam antea ſuper iis fuerit*

monitus, vel citatus. Ad cautelam tamen nos miſit ad inquirendum ac inueſtigandum; Vtrum contra ipſum, vt præmittitur, proceſſus aliqui facti eſſent; & ſi inueniremus eos eſſe factos, quòd ſupplicaremus Sanctitati veſtræ, vt ſaluo in omnibus iure ſuo, daret ei terminum aliquem competentem & decentem, inſpecta locorum diſtantia, & maximè negotij arduitate conſiderata, infra quem Domino noſtro prædicto proceſſus huiuſmodi veritatem referre poſſemus; vt ipſe ſibi, ac iuribus ſuis ipſum tangentibus, de conſilio ſuorum principum & procerum valeat ſuper ijs, prout tenetur & debet, ſalubriter prouidere, & de informando S. V. plenius circa dictum proceſſum, & ipſum contingentia, & de oſtendenda iuſtitia ſua & innocentia ſua circa dictum proceſſum, & ipſum contingentia, prout ſibi videbitur expedire: nec non de reformando in ſtatum debitum, ſi forſan in aliquibus exceſsiſſet. Igitur Pater ſanctiſsime, cùm inuenerimus proceſſus huiuſmodi eſſe factos, ſupplicamus S. V. ex parte Domini noſtri præfati, humiliter & deuotè, vt ſaluo in omnibus iure ſuo, terminum competentem, prout præmittitur, dare & concedere dignemini: cùm dictus dominus noſter intendat, quantum in ipſo eſt, tanquam deuotus filius, S. V. Paternitatem, & ſanctam Eccleſiam vt matrem reuereri, & ipſam filiali obedientia pro poſſe adiuuare, defendere, & tueri; terminum petimus ſex menſibus longiorem.

16. Vides

16. Vides Bzoui Legatos à Ludouico miſſos, qui pontifici ſatisfacerent? non diffiteor equidem poſt horum abitum alios rurſus à pontifice legatos expectatos, ſed quia ad duos duntaxat menſes dies dictus prorogatus fuit, Ludouicus alios mittere aut non potuit, aut pontificij mandati grauitate exacerbatus noluit; nam deponere imperium legitimè partum, magna pœna eſt, quam nemo lubens ſubit; rari ſunt, qui per vim obtentum ad alterius nutum reſignent.

17. Vndecimum pronunciatum. *Ludouicum noluiſſe benignitatem Apoſtolicam deprecari.* Oro te Bzoui, indica mihi, quò pertinent hæc legatorum Ludouici verba? *Igitur, Pater ſanctiſſime, cùm inuenerimus proceſſus huiuſmodi eſſe factos, ſupplicamus S.V. ex parte Domini noſtri præfati, humiliter & deuotè, vt ſaluo in omnibus iure ſuo terminum competentem, prout præmittitur, dare & concedere dignemini: cùm dictus Dominus noſter intendat, quantùm in ipſo eſt, tanquam deuotus filius, S.V. Paternitatem & ſanctam Eccleſiam vt matrem reuereri, & ipſam filiali obedientia pro poſſe adiuuare, defendere, & tueri; terminum petimus ſex menſibus longiorem.*

Si hoc precari non eſt, neque Bzouius intelliget quid imprecari ſit.

18. Duodecimum pronunciatum. *Ludouicum ſedis Apoſtolicæ ſuper omnes Chriſti fideles primatum*

Digitized by Google

matum contempſiſſe. Quæ Bzouius leuiter ſcribit, breuiter confutantur; calumnia eſt. repetantur verba iamiam allata, rubeſacient Bzouium; contra pontificem adhuc nihil egit Ludouicus, ſed contra aduerſarium politicum.

19. Decimum tertium pronunciatum. *Ioannem non potuiſſe committere, quin in refractarium, tótque criminum auctorem non animaduerteret.* Nec ego poſſum committere Bzoui, quin in te nouarum Latinitatis elegantiarum auctorem animaduertam. Quid ſibi vult hæc orationis tuæ gemma, *non potuit committere quin non animaduerteret?* Sed ad rem. Duo potiſſimùm Ludouici adhuc crimina inuenio. Primum, imperium adminiſtrauit ante approbationem inaugurationémque pontificiam. Secundum, Gibellinis imperio adhærentibus auxilio fuit, quorum vtrumque abs Ludouico rectè atque ordine factum antè docuimus. Nam quod Bzouius narrat de dolo in electione commiſſo, fabula eſt, tametſi decem Bzouij eandem decies repeterent.

20. Decimum quartum pronunciatum. *Pontificem contra Ludouicum inuaſorem imperij bellum indixiſſe.* Ludouicus imperij inuaſor non fuit, ſed tu inuaſor honoris Ludouici es, Bzoui, neque culpam elues, niſi reuocatione linguã tuam caſtiges.

Col. 429. IA 21. Bzouius. *Sed præſtat omnia ex ipſis pontifi-*

cius

cius literis cognoſcere. Si lector omnia iſta, quæ Bzouius commemorauit, ex Apoſtolicis literis cognouerit, fatebor meipſum à meipſo non cognoſci. Literæ pontificiæ non referunt fabulas, ſed Bzouius eas amat, & denarrat, Ouidio ſimilior quàm Liuio. Conſulat lector Apoſtolicas literas apud Bzouium anno Chriſti 1324. ego eas hìc inſerendas non exiſtimaui, quòd prolixiſſimæ ſint, & nihil aliud contineant, quàm pontificium proceſſum contra Ludouicum, neque mihi animus eſt Ludouicũ contra pontificem defendere, ſed contra Bzouium.

22. Bzouius. *Percuſſus ea ſententia Ludouicus cùm ſibi aliquos pſeudodoctores mercede & fauore conduxiſſet, non potuit ſibi à maledicentia aſtro temperare. Quacunque enim furiis inuectus præceps ferebatur. Probra, contumelias, conuicia omníſque generis atrociſſima maledicta in Ioannem pontificem congerebat. Utque procacitatis & intemperantiæ ſuæ perpetuum proſtaret monimentum, hoc anno ex F. Michaël. Caſenatis, F. Guillelmi Occhami, Joannis Ianduni & Marſilij Patauini ſenſu, virulento calamo conceptam epiſtolam vulgauit.* Col. 441 *VI. Ludouici ſæuiſſima ira & calumnia in pontificem.*

23. Patulum ſinum oſtentat Bzouius, ne ignotum vlli ſit, quàm benignum animum in Ludouicum Cæſarem gerat; ſed agamus pro conſuetudine.

24. Primum pronunciatum. *Ludouicum per conductos*

Digitized by Google

conductos mercede doctores probra, contumelias & conuicia in pontificem congeſſiſſe. Hæc ſi Ludouicus fecit, iniuriis laceſſitus, animóque concitato fecit, & humanum quid paſſus eſt, neque ipſi demum probata fuere. Sed, oro te, vnde tu noſti Ludouicum ſuos mercede & fauore conduxiſſe? potuit ſanè fieri, ſed ſcribere debebas facta. Nimirum hoc
an. 1323. X. poſt m. eſt proficere, Bzoui. Suprà in dubiis reponebas, mercedéne conductus, an in tutelam tantùm receptus à Ludouico Occamus fuerit; nunc eundem cum aliis mercede & fauore à Ludouico conductum abſque dubio affirmas, eodem vtrobique nixus auctore Bzouio.

25. Secundum pronunciatum. *Ludouicum ex virulento calamo Michaëlis Caſenatis, Fratris Guillelmi Ockami, Ioannis Ianduni, & Marſilij Patauini epiſtolam vulgaſſe.* Credo equidem te virulentum calamum ab his auctoribus mutuatum, quia multum cicutæ Ludouico Cæſari miſces. Fuerint Iandunus, Marſiliúſque huius vulgatæ epiſtolæ auctores; Michaël Cæſenas, Guillelmúſque Ockam non fuere, quippe qui quadriennio pòſt primùm contra pontificem pugnarint, vt ſupra retuli. Et tu Bzoui probiùs feciſſes, ſi integram Ludouici epiſtolam lectoris oculis expoſuiſſes, nunc ſegmina tantùm adfers & lacera fruſta. quē in finem? fortaſſe vt lector videat, quæ viſa cupis, non quæ tecta.

26. Bzo-

26. Bzouius. *Marchioni Brandeburgenſi filio* Col. 442.
Ludouicus, eiecto Waldemaro, eius ditionem dignitatémque contulit. Suprà loquebaris de aliorum virulento calamo, Bzoui; nunc tuus veneno ſtillat, & tu deinceps nullis libris hanc iniuriam tanto principi illatam compenſabis; frons tua æternum Kappa geret. Non eiecit Ludouicus Waldemarum ſuo principatu, ſed eum Waldemarus morte ſua deſeruit, nulla ſuperſtite prole aut cognato, penes quem ſuccedendi ius foret. Ergo Imperator prouinciam ditionis ſuæ factā ſicut cuilibet principum dare poterat, ita filio ſuo tradidit iure imperiali. Cognoſcat lector Bzouium ex Rebdorſio pag. 423. Argentinenſi pag. 121. §. 2. Kranzio. 8. Wandal. 3. Nauclero, anno 1319. Cuſp. in Lud. pag. 465. hi diſertè teſtantur, Marchionatum poſt obitum Waldemari ad imperium deuolutum fuiſſe: & meus Bzouius malitioſè fingit Waldemarum ab Ludouico eiectum.

27. Bzouius. *Multa alia infanda Ludouicus* Col. 442. paulo ante N. VII.
impius in innocentem Pontificem iactabat, hac ſub finem adiiciens tam impudenter, quàm per mendaciū, quòd Iohannes pontifex *eſſet ſacramentorum profanator & contemptor &c.*

28. Liberam aut potiùs impudentem linguam tuam præterire non poſſumus. Certè in Religioſo modeſtiam deſidero. Eſto iſta omnia ſcripſiſſet

h Ludo-

Digitized by Google

Ludouicus, ergóne dicendum fuit imperatorem mentiri? In qua tu ſilua aut Caci antro natus es, vt vel cum bubulcis tam craſsè loquaris? etiam cum ethnicis imperatoribus modeſtiùs agendum fuiſſet: in Germania certè à cerdone quoque colaphis obiurgareris, ſi obiectum à te mendaciũ audiret.

Col. 442. VII. 29. Bzouius. *Hæc ex conſenſu Fratrum quorundam Minorum impiè conſcripta, cùm in vulgus ſparſiſſet, etiam aliam ſcripturam, ſed non tam prolixam eodem initio, Nos Ludouicus Dei gratia &c. vulgauit, ádque futurum concilium contra Ioannem pontificem prouocauit, proteſtationémque de nullitate proceſſus iudiciarij, & ſententiæ contra ſe prolatæ interpoſuit, hisque verbis poſtulationem in fine concepit,* ***Ad prædictum generale concilium, quod inſtanter cum inſtantia repetita, loco tuto, nobis & noſtris conuocari petimus & congregari, & ad verum & legitimum futurum ſummum Pontificem, & ad S. Matrem Eccleſiam, & Apoſtolicam ſedem, & ad alium vel alios, ad quem vel ad quos fuerit appellandum, prouocamus, appellamus in ſcriptis, & appellationes à nobis factas alibi innouamus, & apoſtolos teſtimoniales à vobis principibus noſtris Eccleſiaſticis & mundanis, & notariis publicis hic præſentibus cum inſtantia poſtulamus, & proteſtamur expreſſe de innouando prouocationes & appellationes, & proteſtationes prædictas, vbi & quomodo, & ſicut, & coram quibus viſum fuerit expedire, & de iure tenebimur & tenemur pro tutela & ſecuritate ſacri imperij & noſtra & ſingulorum omnium prædictorum.*** *Acta & publicata fuit hæc appellatio anno Domini M. CCC. XXIV. menſe Octob. exſtat in MS. Biblioth. Vatic. n. 4008.*

30. Appellatione friuola ad eum modum à Ludouico Bauaro interpoſita, Ioannes pontifex, quòd ſe falsò

falſò de crimine hæreſis ſuggillari aduerteret, in reliquis quidem eas literas appellationémque tanquam nullius momenti, magno animo contempſit atque reiecit; quòd verò conſtitutiones in materia de paupertate Chriſti, erroris & hæreſis nota iniquè aſpergi videret, non ſibi tolerandum duxit, ſed tam illam quæ incipit, Ad Conditorem, quàm alteram quæ habet, Cùm inter nonnullos viros, iuſtificare voluit, ſimúlque hæreticos & Romanæ Eccleſiæ rebelles ab omnibus euitandos decreuit, qui deinceps ſcienter verbo, vel ſcripto, aliquid defendere vel approbare contra illas ſanctiones præſumpſerint.

31. Primum pronunciatum. *Hæc,* quæ in epiſtola iam nominata continebantur, *ex cõſenſu F F. quorundam Minorum ſcripta fuiſſe.* Nebulas oculis offundit Bzouius: neque ab ipſis Minoribus, neque eorum conſenſu ſcripta fuere, quippe qui nõdum in publicum contra Pontificem prodierint, tametſi quæſtio de paupertate Chriſti per id tempus inter illos tuóſque ſocios ageretur.

32. Secundum pronunciatum. *Ludouicum contra Pontificis ſententiam prouocaſſe.* Verum eſt, Ludouicus ab ſententia, quam nimis duram iudicauit, prouocauit ad Concilium generale, non inſipiente conſilio. Nam fuere Theologi Catholici ea tempeſtate, ſicut etiam conſequenti tempore, vt videre eſt l. 2. de Conciliis c. 14. apud Bellarm.

&apud Victor. relect. 4. prop. 3. qui docuere, concilium eſſe ſupra Pontificem. Prudenter igitur & meritò Ludouicus appellare, & ad poteſtatem, quam maiorem cenſuit, confugere potuit.

33. Atque vt lector videat, quantùm inter te & ſinceros hiſtoricos interſit; tu Ludouici appellationem friuolam vocas, de qua iſti longè aliter. p. 123. m. Audi Argentinenſem, *Contra quos*, inquit, *proceſſus Ludouicus electus ex quibuſdam cauſis rationabilibus appellauit, ipſámque appellationem eidem Papæ intimauit.*

An. 1323. *34. Johannes Papa*, inquit Nauclerus, *in publico conſiſtorio Auinione protulit ſententiã execrationis in Ludouicum Bauarũ ex eo, quòd miſerat iã copias ſuas in adiutorium Galeacij & fratrũ eius, qui tyrannicè dominabantur Mediolani, opponendo eidem Ludouico, quòd non erat ei licitũ vti officio imperatoris, quoúſque erat confirmatus ab Eccleſia: deditque ei terminum triũ menſiũ, infra quẽ renunciare deberet electioni de ſe facta, & quòd veniret perſonaliter, ſi vellet ſe excuſare de eo, quòd fauorẽ præſtiterat hæreticis, ſchiſmaticis & rebellibus Eccleſiæ. Inſuper priuauit omnes clericos, qui ei præſtarent conſilium, auxilium & fauorem. Ludouicus autẽ rex habito conſilio, appellauit ad ipſum Papam malè informatum, bene informãdum, & etiã ad Concilium generale, quando eſſet Romæ in Sede Petri: miſítque ſolennes oratores, qui ſe de prædictis*

Digitized by Google

ctis excuſarent, promittens, Eccleſia nõ contrarium ſe fore. Poſtea verò Ludouico nõ comparente, Papa execrauit eum, ac de hæreſi condemnauit, cõtra adhærentes duriſſimos proceſſus fulminans, à quibus omnibus Ludouicus appellauit. Iſti proceſſus, vt ſcribit frater Hermannus, qui tunc temporis vixit, à quibuſdã ſtrictiſſimè ſeruabãtur, à multis verò inualidi reputabãtur, quia dicuntur examinati à doctoribus vtriuſque iuris, qui iudicabãt eos penit' nõ valere. Imò Iohannẽ Papã magni & multi Theologi ſciẽtia & vita probati dogmatizabant eſſe hæreticũ, propter errores certos, quos tamẽ die obit' ſui dicitur tepidè reuocaſſe, & ſucceſſor ſuus Benedictus eos errores fertur publicè damnaſſe. At propter proceſſus in Ludouicum graue ſchiſma ortum, quod durauit pluſquam triginta annis.

35. Mutius ſimiliter narratis Ludouici excommunicationibus ait, *Ludouicus appellauit. Iſti proceſſus Romanæ ſedis erant tum efficaciſſimi: piaculum enim erat inexpiabile à Pontifice Romano diſſentire. Fuerunt tamen inuenti, qui ſequebantur Ludouicum, nihil excommunicationem morati.* Ludouicus *habuit quoſdam doctores vtriuſque iuris, qui iudicabant pontificis ſententiam inualidam; quod doctorum iudicium fecit, vt multi non defecerint. Eſt autem ex hac Pontificis &* Ludouici *electi imperatoris diſcordia ſchiſma per Romanam Eccleſiam perniciosiſſimum ortũ, quod durauit ſupra triginta annos.*

Digitized by Google

In Germania autem magis afflixit ſchiſma hoc Eccleſiam. Nec igitur tranquillitas ſecuta eſt poſt victum Fridericum, quam ferè omnes ſperabant, imò mentes & conſcientiæ plurimorum magis ſunt perturbatæ, maior quoque fuit rerum confuſio.

36. Germanis tribus ſuccedant Itali duo, quorum prior Villanus Ludouici æqualis ad hunc modum ſcribit, *8. die Octobris anno 1323. Iohannes 22.*
l. 9. c. 227. an. 1323. *Auinione ſententiam excommunicationis pronunciauit in publico conſiſtorio contra Ludouicum Bauarum, qui ſe Regem Romanorum dicebat, propterea quòd Galeacium Vicecomitem & fratres eius, qui Mediolanum & alia quædam loca Lombardiæ contra Eccleſiam obtinebat, milite ſuo iuuiſſet: opponebat ei, quòd præter morem, & priuſquam fuiſſet approbatus dignus, & confirmat⁹ ab Eccleſia, vſurpaſſet iura imperij. iuſſit ergo vt intra tres menſes renunciaret ſuæ electioni, & in propria perſona ſe ſiſteret coram ſummo Pontifice ad excuſandum ſe de eo, quòd hactenus fouiſſet hæreticos & ſchiſmaticos S. Romanæ Eccleſiæ rebelles. Eodem tempore ab officio & beneficio ſuſpendit omnes clericos, qui vel ope vel conſilio aſſiſterent dicto Ludouico. Qui cognito hoc proceſſu, ſapienti conſilio appellauit à Papa eiúſque ſucceſſore ad Concilium Generale, quod futurum eſſet, vel à ſede Auinionenſi ad Romanam S. Petri. Simul etiam miſit Auinionem legatos, præcipuos viros vtri-*

uſque

uſque ſtatus, prælatos & nobiles ſeculares, qui ipſum excuſarent apud ſummum Pontificem, & quòd non intenderet eſſe contra Eccleſiam. Ex quo terminus ipſi prolongatus fuit ad tres alios menſes, cum annexa clauſula, ſicut ſeſe eſſet exhibiturus, ita inſtitutum iri proceſſum contra eum.

37. Poſterior eſt Marcus Guazus Italus, *Excommunicauit Papa Johannes XXII. Ludouicum Bauarum, propterea quòd ante coronationem ſibi vendicauerat authoritatem imperialem, ex quo magna ſunt exorta diſſidia in Germania, quæ durabant vltra 24. annos, in quibus vna factio ſtudebat tollere contrariam. Pluribus vicibus conatus fuit imperator Ludouicus exorare ſummum Pontificem, vt illum abſolueret: ſed omnis eius conatus fuit inanis, non obſtante, quòd Iohannes à multis viris doctis damnatus fuerat, quòd malignè procederet contra Ludouicum, quem etiam multi in Italia ſequebantur, ſicut etiam Ludouicus vocatus fuerat à Galeacio Duce Mediolanenſi & à ſenatu Romano, ex quo Romam profectus fuit, ſociam itineris ſibi adiungens imperatricem, quæ Romæ Ludouicum filium enixa fuit, qui cognominatus eſt Romanus.*

Chron. Italico de viris illuſtr. Venetiis 1553. fol. 259. fac. 2.

38. Quia verò Bzouius caudam duntaxat poſterioris appellationis adfert, viſum mihi eſt, priorem totam lectori exhibere, vt ex aduerſo videat, quid cauſæ Ludouicus habuerit. Eiuſcemodi eſt.

In

In Chriſti nomine Amen.

39. *DIe Dominico, quod fuit quinta decima Kalendas Ianuarij, ſub Anno incarnationis dominicæ milleſimo trecenteſimo viceſimo tertio, in Nurnberg in domo Alberti Ebner, præſentibus honorabilibus viris, Domino Henrico de lapide, Præpoſito Eccleſiæ ſanctæ Mariæ noui collegij ciuitatis Eyſteten: Magiſtro Vlrico præpoſito Eccleſiæ S. Stephani ciuitatis Babenbergenſis, Domino Conrado in Stauff, Canonico veteris Capellæ ciuitatis Ratiſponenſis, Domino Gotfrido plebano in Amberch diœceſis Ratiſponenſis, Magiſtro Friderico Notario ciuitatis Nurenbergenſis, Domino Henrico plebano in Pfulendorf diœceſis Conſtantienſis, Henrico Hauſnerio Clerico, nec non Ottone de Werdea Canonico Eccleſiæ Pyſanæ, ac multis aliis Eccleſiarum Prælatis & Clericis, nec non & Laicis & multæ auctoritatis viris, teſtibus rogatis & vocatis, & me Herdegno quondam Cunradi de Babenberg Clerico diœceſis Babenbergen. publico imperiali auctoritate Notario, Sereniſsimus princeps Dominus* Ludouicus *Romanorum rex ſemper Auguſtus coram Reuerendo Patre Domino Nicolao venerabili epiſcopo Eccleſiæ Ratiſponenſis & teſtibus ſupradictis, nec non & aliis Prælatis & Eccleſiaſticis perſonis & ſecularibus, tanquam coram autenticis, publicis & honeſtis perſonis infrà ſcriptis propoſuit,*

propoſuit, & in ſcriptis fecit proteſtationes & deinde appellauit, & in ſcriptis infrà ſcriptam appellationem interpoſuit, vt inferiùs continetur, quarum proteſtationum tenor ſequitur in hac forma.

40. Coram vobis venerabili patre Domino Nicolao, Epiſcopo Eccleſiæ Ratiſponenſis; & vobis honor: viris Domino Henrico de Lapide, Præpoſito Eccleſiæ ſanctæ Mariæ noui collegij ciuitatis Eyſtetenſis; Magiſtro Vlrico Præpoſito Eccleſiæ S. Stephani ciuitatis Babenbergenſis; Domino Cunrado Plebano in Stauf, canonico veteris capellæ ciuitatis Ratiſponenſis; Gotfrido plebano in Ambergh, diœceſis Ratiſponenſis; Magiſtro Friderico Notario ciuitatis Nurenbergenſis; Henrico plebano in Pfulendorf Diœceſis conſtantienſis; Henrico Hauſnerio, nec non Ottone de Werdea, Canonico Eccleſiæ Piſanæ; & te Herdegno publico imperiali auctoritate Notario, tanquam coram viris idoneis & perſonis autenticis, Nos Ludouicus Romanorum Rex ſemper Auguſtus comparemus, & infrà ſcriptas proteſtationes noſtras, coram vobis proponimus & in ſcriptis offerimus, ac ſi in præſentia domini noſtri ſummi Pontificis, cuius copiam artante termino tanquam abſentis & remotè diſtantis, habere non poſſumus, eſſemus perſonaliter, conſtituti; promittentes expreſſè, quòd eaſdem in ipſius ſummi Pontificis, quàm primùm commodè poterimus, notitiam deducemus, & coram eo innouabimus

Digitized by Google

bimus & publicabimus, prout fuerit opportunum.

41. In primis proteſtamur, quòd ſanctam Eccleſiam Romanam, Magiſtram fidei Catholicæ, matrem & alumnam noſtram, colere, diligere & fouere, ſtatum eius ſolidare, & iura ſeruare ſemper intendimus bona fide. Item quòd hoſtes eius & rebelles quoslibet quos ſcimus, vel à profeſſione dictæ fidei aberrantes, tanquam fidelis aduocatus, & feruidus Chriſtianæ fidei Zelator hoſtiliter perſequi & exterminare volumus toto poſſe. Item quòd non credimus contra ipſam ſanctam Eccleſiam nos vnquam in aliquo exceſſiſſe, & ſi quando excederemus, parati ſumus ad eius correctionem humiliter emendari, & ſub regulæ diſciplinæ ſuæ obedienter conſiſtere, & ſuo conſilio & regimine gubernari. Item quòd eidem volumus reuerentiam debitam & honorem. Proteſtamur inſuper, quòd Domino noſtro ſummo pontifici eam, quam debemus, & quemadmodum Romanis Pontificibus Romanorum imperatores & reges prædeceſſores noſtri obedientiam, deuotionem, & reuerentiam geſſerunt & habuerunt, volumus ſimiliter gerere & habere. Item proteſtamur, quòd ſtatum Romani imperij & iura, res, & honores ſuos ſaluos ſine præiudicio cuiuſlibet iuxta debitum fidei noſtræ, & virtutem præſtiti ſacramenti, quantum ſcimus & poſſumus, noſtris temporibus ſimiliter diſponimus cuſtodire.

Tenor

Google

Tenor verò appellationis prædicti Domini Ludouici Romanorum Regis dignoſcitur eſſe talis.

In Chriſti nomine Amen.

42. *Coram vobis venerabili patre Domino Nicolao Epiſcopo Eccleſiæ Ratiſponenſis; & vobis honor. Viris Domino Henrico de Lapide, Præpoſito Eccleſiæ ſanctæ Mariæ noui collegij ciuitatis Eyſtettenſis, Magiſtro Vlrico Præpoſito Eccleſiæ S. Stephani Babenbergenſis, Domino Cunrado de Stauf, Canonico veteris Capellæ in Ratiſpona, Domino Gotfrido plebano in Amberg, Diœceſis Ratiſponenſis, Magiſtro Friderico Notario ciuitatis Nurenbergenſis, Henrico plebano in Pfuiendorf diœceſis Conſtantienſis, Henrico Hauſnerio, nec non Ottone de Werdea Canonico Eccleſiæ Piſanæ, & te Herdegno publico Notario infrà ſcripto, tanquam autenticis perſonis, honeſtis & publicis, ac ſi in præſentia Domini noſtri ſummi pontificis eſſemus præſentialiter conſtituti, Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus dicimus, aſſerimus, & proponimus, quòd licet domino noſtro ſummo pontifici & S. Romanæ Eccleſiæ Matri noſtræ, ſinceræ deuotionis affectum cum debita reuerentia ſemper exhibuerimus & honore; ad noſtrum tamē, quod contra præmiſſa minimè ſperabamus, recenter peruênit*

Digitized by Google

auditum, eundem in Romana curia quoſdam proceſſus contra nos minùs gratioſos publicaſſe, imò quod ſalua reuerentia dicamus, animoſos nimis, odioſos & iniurioſos ex cauſis non veris & contra iura & rationem habitos & confictos, vergentes in noſtrum & ſacri imperij diſpendium & iacturam & ſcandalum plurimorum, vnde diſsidiis & ſchiſmatibus materia præparatur. Cùm tam patenter cernitur in diſſolidationem integritatis Eccleſiæ, iniurias inde procedere, vnde debet fons iuris & iuſtitiæ deriuari.

43. Idem namque ſummus Pontifex in ipſis proceſsibus, ſicut fertur, dicit & aſſerit, nos nomen regni & titulum regium nobis illicitè vſurpaſſe, eò quòd ad ſe electionis noſtræ, quam dicit in diſcordia celebratam, & perſonæ electæ examinationem, approbationem, admiſsionem, repulſionem, & reprobationem quoque aſtruat pertinere; & priuſquam huiuſmodi noſtra electio admiſſa & perſona approbata vel alterius coëlecti noſtri fuiſſet per ſedem Apoſtolicam reprobata, nobis non licuerit aſſumere nomen & titulum prælibatum, cùm interim non rex fuerimus, nec pro rege haberi, vel rex nominari debuimus, ſed electus.

44. Dicit præterea quòd huiuſmodi præſumpto nomine & titulo non contenti ad adminiſtrationem iurium regni & imperij, in manifeſtam iniuriam Romanæ Eccleſiæ, ad quam vacantis eiuſdem imperij,

ſicut

*ſicut in præſentiarum vacat, regimen pertinere dinoſcitur, Nos ingeſſerimus & immiſcuerimus indebitè, exigendo & recipiendo fidelitatis in Alemaniæ & nonnullis Italiæ partibus, à perſonis Eccleſiaſticis & ſecularibus vaſallis imperij iuramenta, ac de dignitatibus, honoribus & officiis eiuſdem imperij, exemplo poſito de Marchionatu Magdeburgenſi * pro libito diſponendo, & plura alia exercendo, quæ ad ipſorum regni & imperij regimen non eſt dubium pertinere.* * Brandeburgenſi.

45. *Adiecit inſuper, quòd eiuſdem Eccleſiæ rebellibus, ſicut Galiazio de Vicecomitibus & eius fratribus de hæreſi condemnatis & nonnullis aliis contra dictam Eccleſiam, ſuam iniuriã & negationem * fidei & imperij proſequentem, Nos defenſorem conſtituerimus & fautorem, propter quæ ſumptâ modò plenitudine poteſtatis, de fratrum ſuorum, vt dicit, conſilio, nos monuiſſe dicitur, quòd infra trium menſium ſpacium ab adminiſtratione, fautoria & defenſione prædictis prorſus abſtineremus, ipſam adminiſtrationem minimè recepturi, niſi tunc demum, cùm electionem noſtram admitti & perſonam contigerit approbari. Quódque geſta per nos poſt præſumptum nomen & titulum ſtuderemus, quantum pateretur poſſibilitas, infra eundem terminum realiter reuocare; alioquin contra nos ad publicationem pœnarum, quas propter præmiſſos exceſſus incidiſſe noſcimur, & âlias quantùm ſuaderet iuſtitia, procederet, noſtra abſentia non obſtante.* * negotium

46. Adhæc vniuerſis perſonis Eccleſiaſticis & ſecularibus cuiuſcunque præeminentiæ extiterint, etiamſi pontificali vel regali præfulgeant dignitate, ac ciuitatibus, communitatibus & vniuerſitatibus ſub certis pœnis inhibuiſſe dicitur, ne nobis tanquam regi, in iis quæ regni & imperij contingunt regimen, niſi tunc demum, cùm electionem & perſonã noſtram per ſedem eandem approbari & admitti contigerit, in aliquo pareant vel intendant, & ne nobis in quibuſcunque ad prælibatum regimen ſpectantibus præbeant quomodolibet conſilium, auxilium, vel fauorem, non obſtantibus quibuſlibet iuramentis, nobis tanquam regi vel in Romanum regem electo à quibuſuis perſonis præſtitis, quæ decernit penitus non tenere, nec fore aliquatenus obſeruanda, cùm iurantem non obligent, tanquam ei præſtita, cui præſtari non deberent, & quæ ſine detrimento ſalutis & animæ periculo ſeruari nequeant, ſicut dicit. Seu ſi etiam, quòd etiam excommunicari, interdici vel ſuſpendi non valeant, alicui vel aliquibus ſpeciali priuilegio ſit indultum, quòd contra præmiſſa nulli vult penitus ſuffragari.

47. Proteſtatur inſuper, quòd per dilationem prædicti termini trium menſium non vult aliqualiter obligari, quin ea pendente ad publicationem pœnarum, quas incidimus, procedere valeat, vel aliâs ſicut ſibi viſum fuerit expedire. Et vt proceſſus huiuſ-

modi

modi in noſtram notitiam deducatur, eum oſtiis & liminaribus Auenion. Eccleſiæ in chartis & membranis conſcriptum affixit, vt ſic nobis ſuo ſonoro præconio innoteſcat, ac ſi perſonaliter nobis inſinuatus & publicatus ſolenniter extitiſſet, conſtitutione qualibet non obſtante in contrarium.

48. Verùm nos circumcincti ſtola iuſtitiæ, & amicti pallio veritatis, in hac parte facti & iuris conſcij, clarè reſpondemus & dicimus ad præmiſſa, quòd hactenus à tempore, cuius non eſt memoria, circa electos Romanorum reges & principes ſic eſt de iure & conſuetudine obſeruatum, & ſic tenent, dicunt, & ſentiunt & ſemper tenuerunt, dixerunt & ſenſerunt principes & meliores ac maiores imperij, & eſt maximè in partibus Alemanniæ adeò notorium apud omnes, vt non ſit qui dubitet, vel ignoret, quòd Romanus rex eò ſolùm, quòd electus eſt à principibus Electoribus, ad quos pertinet ipſius electio, omnib. vel maiori numero eorundem, & coronatus corona regia in ſolitis locis & conſuetis, rex eſt, & pro rege habetur, & rex nominatur, & eidem ab omnibus paretur & intenditur ſicut regi, ac iura Regni liberè adminiſtrat, fidelitates & obedientiam recipit, feuda confert, & de bonis, honoribus, & dignitatibus & officiis regni iuxta beneplacitum ordinat & diſponit.

49. Quare cùm notoriè conſtet, Nos à longè maiori numero Electorum, ad quos ius eligendi regem pertinet,

pertinet, rite eſſe electos, & diademate regio coronatos in locis debitis & conſuetis, & hoc ipſo nomen & titulum prælibatum, & ius adminiſtrandi iura regni, & de ipſius rebus, honoribus, dignitatibus & officiis diſponendi legitimè aſſecutos; manifeſtè patet, quòd in iniuriam noſtram & grauamen dicit nos illicitè nomen & titulum vſurpaſſe, & ad adminiſtrationem & diſpoſitionem præfatas indebitè ingeſſiſſe, cùm potiùs quemadmodùm alij Roman. reges prædeceſſores noſtri in hac parte vſi ſunt, & nos vtamur licitè iure noſtro, cùm etiam circiter decem annos, nomen & titulum, adminiſtrationem & diſpoſitionem huiuſmodi in pacifica poſſeſſione continuè ſcripſerimus & geſſerimus abſque reprobatione electionis & perſonæ noſtræ, ſi tamen poterant reprobari & citra impeditionem & contradictionem; ſi cuius fortè poterant intereſſe, ſicut eſt notoriè manifeſtum; nimis eſt iniurioſum & iuri contrarium, quòd nunc primùm ipſe dominus Apoſtolicus, lege inperſpecta, parte inaudita, negocio indiſcuſſo, & iuris ordine prætermiſſo, contra nos queritur, inuehitur, & procedit, intendens ac ſi abiecto nomine & titulo, & depoſitâ adminiſtratione præmiſſa, nos ipſos quaſi capite minuamus. Licet ſæpe miſſis ad eum per nos nunciis, & reſcriptis ſuis literis, per eos vel in illis nunquam fuerimus reprehenſi. Et quia ex præmiſſis per euidentiam & effectum operis patet, quòd ſacri regni regimen gubernamus, prorſus à veri-

à veritate diſcrepat, quòd dicit imperium nunc vacare & eiuſdem ſibi regimen pertinere. Ex quo enim rex ſumus, & iura regni adminiſtramus vt rex, & in poſſeßione regendi regnum Romanum ſumus, & fuimus multis annis, non poterit dici vacare, quod habet regem regentem, & regendi regnum & imperium poteſtatem habentem, ſolis duntaxat infulis imperialibus coronandum.

50. Nec concedimus ita ſimpliciter, vt proponitur, ad ſedem Apoſtolicam, examinationem, admißionem, & approbationem electionis, & perſonæ noſtræ repulſionem & reprobationem pertinere, ſicut aſſerit. Sed ſi, quod non credimus, pertineret, hoc vnum demum ſibi locum vendicare fortè poſſet, ſi per querelam, vel per viam ſupplicationis, appellationis vel prouocationis, vel alio modo ad ipſam ſedem fuiſſet deuolutum ipſum negocium vel deductum; quæ locum non obtinent in præſenti: vel ſi fortè petitis per nos infulis imperialibus vel denominatione noſtra, ex cauſis legitimis iure ſcriptis, quas ad nos locum non credimus habuiſſe, perſonam noſtram contigiſſet exigente iuſtitia refutari. Denominatio quippe perſonæ vel electionis admißio habita ſubſequenter, nobis non ius, nomen vel titulum tribuiſſent, quæ iam ex ipſa electione ſortiti ſumus, ſed ea potiùs detexiſſent, approbaſſent, & latiùs commendaſſent. Hæc veritas ratione iuuatur, canonibus & legibus fulcitur, & ſummo-

k rum

rum vtriuſque iuris doctorum ſententiis comprobatur, & vſu & conſuetudine longiſſimi temporis declaratur.

51. Quod verò adiunxit, Nos Galiazio de Vicecomitibus & eius fratribus de hæreſi condemnatis & nonnullis aliis Eccleſiæ Romanæ rebellibus, quos tamen non denominat, defenſionem exhibuiſſe, vt aſſerit, & fauorem, penitus nihil ſcimus. Nam ſi dicti Galeazius & fratres ſui ſunt de hæreſi condemnati, nobis non innotuit, nec per ipſum ſummum Pontificem, vel alium, qui voluit aut potuit, nobis inſinuatione debita eſt detectum. Ipſum ergo tanquam in facto conſiſtens & in remotis actum rationabiliter poteramus ignorare. Imò quem fauorem aut defenſionem eis vel aliis quos neſcimus, & quos non denominat, exhibuimus, & quomodo ſint vel fuerint rebelles Eccleſiæ, non videmus; apertè cõnicimus, & per effectum operis cognoſcimus, nonnullos rebelles nominari Eccleſiæ, qui per fidem deuotionis ſuæ molientibus contra ſtatum & iura imperij non * renituntur.*

* coniicimus vel cõuincimus.

* non redundat.

52. Scimus & in nonnullis partibus Italiæ eſt auditum, quòd ad Reuerendum patrem dominum Cardinalem, qui in iſtis partibus legationis officio fungebatur, generoſos viros Comites, nuncios deſtinauimus, facturos eius auxilio pacem, treugas, & concordias inter partes, quæ ſibi inuicem guerras, lites, & mala plurima inferebant, frequenti earundem partium

Digitized by Google

tium querimonia & pietatis officio excitati. Ipſe verò legatus, qui vênit mittere non pacem ſed gladium, quòd ſuæ profeßioni minimè congruebat, dictos nuncios, & eorum dicta, & bonas exhortationes & rogamina non attendens, nimis eos dimiſit in noſtram & ipſorum ignominiam inhoneſtè, & bellum fidelibus Mediolanen. & obſidionem Ciuitati in virtute valida præparauit; ipſámque in noſtram & ipſius ſacri imperij iniuriam capere niſus fuit; quibus dicti Comites, quantũ poterant, præſidiũ afferebant. In quo non Galeazij & fratrũ ſuorum, ſed noſtrũ & ſacri imperij negocium actum fuit, nec ipſis defenſio ſeu fauor ſunt exhibiti, quos conſtat remotos à ſuis officiis extitiſſe.

53. Sed certè quoniam in nos retorquere nititur hæreticorum & rebellium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fautoriam, nos ſibi ipſi obiicientes, & contra eum Dei Zelo ducti, & Chriſtianæ fidei feruore accenſi, ad conſeruationem fidei, & extirpationem Zizaniæ hæreticæ prauitatis dicimus, proponimus, & nos aſtringimus & offerimus, coram Reuerendis patribus dominis Cardinalibus non ſuſpectis, aut in collatione ſacri concilij generalis, vel aliàs, vbi opportunum fuerit, legitimè probaturos, quòd ipſe eſt dißimulator, defenſor & fautor hæreticæ prauitatis eius, quæ totam ſanctam Eccleſiam inficit & conturbat, & à confeßione retrahit pœnitentes, & generandis in Spiritu viam claudit. Nam cùm ad ipſius ſummi Pontificis audi-

entiam grauibus & frequentibus Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & nonnullorum inferioris gradus Prælatorum querimoniis ſit deductum & legitimè propoſitum coram eo contra Generalem miniſtrum, Cuſtodes, Guardianos, & Fratres Minores Ordinis ſancti Franciſci, quòd ipſi ſint ſecretæ confeſsionis proditores, & peteretur ab eo, vt hoc tanquam pernicioſiſsimum in Eccleſia ſancta Dei, vnde periclitabantur animæ, aditus ad gratiam obſtruitur, & peccatorum remiſsio negligitur, iuxta debitum paſtoralis officij emendaret; ipſe tanquam tergiuerſando, diſsimulando & celando morbum huiuſmodi peſtiferum & lethalem, mortem animæ perpetuam inferentem, curare ſalutifero & debito medicamine non curauit, dictis fratribus in hac parte S. Romanæ Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ inimicis, conſtituens ſe fautorem.

54. *Ceterum prout certis patet indiciis, & euidentibus conuincitur argumentis, ipſe contra diuinæ diſpoſitionis ordinationem, per quam in firmamento Eccleſiæ militantis duo magna luminaria Deus fecit, Pontificalem videlicet auctoritatem & Jmperatoriam maieſtatem, illud vt praeeſſet diei, ſpiritualia diſponendo; alterum, vt praeeſſet nocti, temporalia iudicando: manifeſtè nititur luminaris alterius, poteſtatis ſcilicet radios ſecularis ſuffocare; vnde in confuſionem & errorem ſancta reponetur Eccleſia, cauſabuntur hæreſes, ingerentur lites, ſuſcitabuntur ſcandala, & Eccle-*

& Eccleſia Romana carens præpoſito aduocato, reſiſtere non poterit inſurgentib. ex aduerſo.

55. *Nos igitur qui diuina diſpoſitione conſtituti ſumus propugnator, cuſtos Fidei Catholicæ, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ aduocatus, & ſacri imperij Rex & Princeps, volentes nos ponere murum pro domo Iſrahel, & fidem quam defigendo manum apud extraneum pro ijs dedimus, & iuramentum corporaliter per nos præſtitum Dei adiutorio inuiolabiliter obſeruare, ſentiens nos & Iura Imperij ac noſtra, ſanctam profeſſionem Catholicam, ſanctam Romanam Eccleſiam ex prædictis proceſſibus, nec non monitionibus, præceptis, inhibitionibus, comminationibus, ſententiis, abſolutionibus, relaxationibus, & ſingulis in eis contentis grauiter & enormiter, ſupraſcriptis de cauſis aggrauatos eſſe, & poſſe etiam in poſterum quàm plurimùm aggrauari; à ſuprà dictis grauaminibus iniquis, indebitè & iniuſtè illatis & comminatis, & à proceſſibus dicti ſummi Pontificis manifeſtè iniquis & iniurioſis, ex cauſis non veris, præiudicialibus & inſolitis, iuris ordine non ſeruato, contra nos factis & confictis, in his ſcriptis ſanctam ſedem Apoſtolicam nomine noſtro & omnium huic appellationi inhærentium & adhærere volentium appellamus, & apoſtolos petimus, & iterum ac iterum petimus cum inſtantia nobis dari, ſi eſt, qui ipſas nobis dare poßit. Subiicientes ex nunc, nos & omnia iura noſtra & im-*

perij in præmiſsis omnibus & ſingulis, ſub protectione dictæ ſedis Apoſtolicæ ſpeciali, quam appellationem & omnia & ſingula ſuprà ſcripta coram eodem domino ſummo Pontifice interpoſuiſſemus & feciſſemus, ſed ſui abſentis & remotè diſtantis artante termino præfixo, copiam habere nequiuimus; eam tamen quàm primùm commodè poterimus, in eius notitiam deducemus, & coram eo interponemus, proponemus & dicemus ac innouabimus ex cauſis ſuprà expreſsis, & aliis de nouo iterum exprimendis, & publicabimus loco & tempore, ſicut fuerint publicanda.

56. *Cùm verò propter præmiſſos articulos, quos non eſt dubium, ſtatum fidei Catholicæ, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſacri imperij contingere & omnium intereſſe, opus ſit cõuocatione Concilij Generalis, inſtanter & cum omni deuotione ipſum quàm primùm commodè poterit, ad locum communem & aptum petimus congregari. In quo ad Dei omnipotentis honorem, ſanctæ Chriſtianitatis bonum ſtatum, & profectum fidelium, nec non pro reuerentia Reuerendorum Patrum Dominorum Cardinaliũ, Patriarcharum, Primatũ, Archiepiſcoporũ, Epiſcoporũ & totius ordinis Eccleſiaſtici, nec nõ eiuſdẽ ſacri concilij ſolemnitate, dante Domino perſonaliter intendimus intereſſe.*

57. *Lecta & interpoſita eſt hæc appellatio, Anno, Die, loco prænotatis, præſentibus Dominis ac teſtibus ſuprà ſcriptis. Et Nos Nicolaus Dei gratia Ratiſpo-*

tiſponenſis Eccleſiæ Epiſcopus prædictus, ac nos Vlricus Præpoſitus Eccleſiæ S. Stephani Babenberg. Gotfridus plebanus in Amberg, Otto de Werdea Canonicus Eccleſiæ Piſanæ, & Magiſter Fridericus Notarius ciuitatis Nurenbergenſis ſuprà dicti confitemur, prædictas proteſtationes & appellationem ac cetera ſuprà ſcripta coram nobis in ſcriptis facta eſſe, propoſita & interpoſita per omnia ſicut præſcribitur, anno, die & loco ſuprà præſcriptis, & ſigilla noſtra in teſtimonium præſentibus appendiſſe. Nos verò Henricus de Lapide Præpoſitus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ noui Collegij ciuitatis Eyſtetenſis, Cunradus Plebanus in Stauf, Henricus Plebanus in Pfulendorf, & Henricus Hauſnerius clericus prædicti, cõfitemur nos omnibus præmiſſis interfuiſſe, vidiſſe, & audiuiſſe; & quia ſigilla noſtra nobiſcum ad præſens non habemus, ſub ſigillis prædictorum dominorum, & tui Herdegni Notarij publici ſubſcriptione nos teſtes ad præmiſſa omnia & ſingula offerimus, & ita recognoſcimus eſſe facta. Anno à Natiuitate Domini Milleſimo trecenteſimo vigeſimo tertio, indictione ſexta.

58. *Et ego Herdegnus quondam Conradi de Babenberg Clericus diœceſis Babenbergenſis publicus imperiali auctoritate Notarius prædictis omnibus & ſingulis præſens interfui, & ad omnia rogatus ſcripſi, & in publicam formam redegi, ſignúmque meum appoſui conſuetum. Superſcriptionem verò huius vocabu-*

cabuli Ea ſuprà XXXVI. linea deſcendendo, & ſuperſcriptionem huius vocabuli Sicut ſuprà in XLI. linea deſcendendo apparentes, quia eas feci & conſcripſi, duxi approbandas & approbo hîc in fine.

59. Hucúſque Ludouici appellatio, in qua fragmentum Bzouianum reperire non eſt. Nominat quidem Bzouius MS. Biblioth. Vatic. ſed quia aliàs ſubinde fallit, etiam hîc ei ſine hæſitatione credere non poſſum, niſi poſtquam eam Ludouici epiſtolam Notarij manu ſignóque munitam ediderit. Neceſſe porrò eſt, vt dicat Ludouicum ſecundùm appellaſſe, nam forma appellationis noſtræ ſignat annum 1323. & menſem [a] Decembrem, Bzouiana verò annum XXIV. & menſem Octobrem, cum inſinuatione alterius appellationis iam antea factæ.

[a] *Supra n. 50.*

60. Tertium pronunciatum. *Ioannem Pontificem tanquam nullius momenti magno animo contempſiſſe appellationem.* Magno nimirum animo opus eſt, Bzoui, ad rem nullius momenti contemnendam; ne verba quidem tua cum ratione conſtant.

Col. 453. XI.

61. Bzouius. *Quod Ludouicum Bauarum attinet, cùm anno ſuperiore ad quintum Idus Iul. illum contumacem Ioannes pontifex inter excommunicatos iure merito pronunciaſſet, ſíque fortè ad mentem reuerti vellet, ad tres menſes ſubſequentes ſententiam*

in eum

in eum prolatam aliqua ex parte ſuſpendiſſet, ac iterum in refractarium eandem ad 8. Idus Octob. repetiiſſet, atque denuo eundem, ſi aliqua ratione reſipiſceret, & ſedis Apoſtolicæ ſe arbitrio permittere vellet; expectandum ſibi exiſtimaſſet, is verò obduratus animo cenſuras Eccleſiaſticas contempſiſſet, eundem primò ad XI. Kal. April. deinde ad 3. Id. Iul hoc anno M. CCC. XXIV. anathematis ſpiculo percuſſit.

62. Si eadem Romæ, quæ in Germania conſuetudo inualuiſſet, vt ad ebrietatem biberetur, ſuſpicarer certè Bzouiū hæc in pocœnio temulentum ſcripſiſſe, adeò ſeſe ipſum induit verbis in ſe pugnantibus.

63. Primum pronunciatum. *Ludouicum anno 1323. à Johanne pontifice ad 5. idus Julij inter excommunicatos pronunciatum.* Atqui eodem illo anno 1323. contrà dicebas, Ludouicum anno tandem *N. III. ſ.* 1324. ad 5. idus Iulij à Iohanne excommunicatum. Quis ergo non rideat Bzouium cum Bzouio tantopere pugnantem?

64. Secundum pronunciatum. *Pontificem, poſtquam Ludouicum inter excommunicatos pronunciauit, nihilominus ad tres menſes ſubſequentes ſententiam prolatam ſuſpendiſſe.* Noua planè hæc philoſophia eſt; poſtquam caupo Bzouium ex hoſpitio exturbauit, nihilominus ad tres menſes illum antequā eiiceret, in hoſpitio tolerauit. Age-

Digitized by Google

dum dic Bzoui, quid ſit aliquem inter excommunicatos pronunciare? nonne idem eſt, quod excommunicatum declarare? Si ergo Ludouicum iam excommunicatum denunciauerat pontifex, quomodo ſententiam in Ludouicum ad tres menſes ſuſpendit? aliqua ex parte ſuſpendit dices: ſed quid hoc eſt dicere? an Pontifex aliqua ex parte excommunicatum, & ex alia non excommunicatum declarauit? fortaſſe imperatorem piorum communione motum, Ludouicum non motum denunciauit. Quia parùm intelligis Bzoui, parùm intelligenter loqueris. Pontifex anno ſuperiore ad quintum Idus Iulias non declarauit excommunicatum Ludouicum, ſed per ſententiam ius ad imperium ei abrogauit, & abrogatum declarauit. Tu
An. 1323. IV. ipſe Iohannis Epiſtolam non ineptè inſcribis, *Proceſſum Priuationis aduerſus Ludouicum Bauarum.* Non igitur inter excommunicatos tum pontifex Ludouicum pronunciauit, neque aliqua ex parte ſententiam prolatam ſuſpendit, ſed tuum ingenium videtur eſſe ſuſpenſum. Pontifex hoc anno ad 10. Kal. Aprilis iam excommunicatum pronunciauerat Ludouicum, vt ex ſecunda epiſtola Iohannis à te hìc recitata conſtat. Ex quo rurſus falſum
N. III. f. eſſe oportet, quod anno 1323. ſcripſiſti, Ludouicum anno tandem 1324. ad 5. Idus Iulij excommunicatum.

65. Ter-

65. Tertium pronunciatum. *Ludouicum iterum hoc anno ad 8. Jdus Octobris inter excommunicatos pronunciatum.* Probas id ex Villano, ſed tu de *l. 9. c. 221.* abſoluta, Villanus de conditionata, vt ſic loquar, excommunicatione intelligendus eſt, vt patet ex Iohannis epiſtola ad Aymericum Archiepiſcopum Rauennatem anno præcedente, 8. idus Octobris (quo die etiam Villanus Ludouicum excommunicatum tradit) data, & à te ibidem recitata; quæ *N. IV.* quidem epiſtola continet monitorium, vt túte vocas, Ludouici, quo monetur Ludouicus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt infra 3. menſes deponat adminiſtrationem imperij, &c.

66. Quartum pronunciatum. *Ludouicum rurſus ad 11. Kal. Aprilis excommunicatum.* Hoc ite- *Cap. 242.* rum doces ex Villano deprauato. tu enim iterum de abſoluta excommunicatione loqueris, Villanus de conditionata, *Excommunicauit eũ*, inquit, *niſi intra tres menſes ſe perſonaliter ſiſteret coram tribunali.* Facile tamen, ni mens tibi læua fuiſſet, Villani errorem deprehendiſſes ex Iohannis epiſtola à te hoc eod. anno paulò ſuprà [a] allata, in quà [b] Io- [a] *N. III. omiſſo à typographo* hannes Ludouicum declarat incidiſſe in excommunicationem, & declarat [c] 10. Kal. April. non 11, [b] *Col. 435. poſt m.* ſi modò tu non erraſti in numero. Miſerum te, qui [c] *§. pen. f.* vtrobique erras, & dum errantem Villanum ſequeris,

queris,& dum non ſequeris,ſed ab vno errore in alium non in veritatem delaberis. Iohannes enim non excommunicationẽ Ludouici ſuſpendit conditione trium menſium appoſita,vt Villanus vult; ſed aliarum pœnarum promulgationem; nec Ludouicum 10. vel 11. Kal. April. excommunicauit, vt tu vis; ſed excommunicatum declarauit.

67. Quintum pronunciatum. *Ludouicum denuo ad 3. Idus Julias excommunicatum.* Id de-
Cap. 265. nuo deprauatè ex Villani duobus locis firmare
& 275. contendis. nam priore loco tantùm dicit, Ludouicum à Iohanne priuatum omni electionis beneficio,minante, ſe contra eũ eiúſque vt hæretici ſchiſmatici bona proceſſurum, niſi ante proximas Kalend. Octobr. ſupplex ad ſe veniat. Poſteriore loco
c. 275. Villanus dicit, *Eodem anno 1324. menſe Octobri propter Ludouici Bauari in Romanorũ regem electi proceſſum,excommunicationem & priuationem à Iohanne pontifice contra ipſum factã,in Germania conuentus factus eſt magnus,in quo de proceſſũ hoc Papa contra Imperatorem,& de iniuria ipſi illata tractatũ fuit. Quare Ludouicus Pontificem ad generale Concilium Romam citauit,triginta ſex capitula illi opponens,eúmque non legitimum eſſe Papam dicens: hanc citationem menſe Nouembri Auinionem miſit, vnde Papa totáque Eccleſia multas eſt paſſa moleſtias.* Quo loco Villanus nil de tempore excommunicationis

latæ

latæ vel declaratæ (declarata autem fuerat 10. Kal. April. vt ad quartum pronunciatum paulò ante notauimus) ſed conuentus imperialis.

68. Bzouius. *Curauit interim Ludouicus Principibus imperij oſtendere, quaſi in inſontem Ioannes tela hæc Eccleſiaſtica torſiſſet, cùm nihil aliud ipſe ageret, quàm quòd imperium (ita aſſerebat) niteretur contra Pontificios tueri, Gibellinóſque contra hoſtes imperij defendendos ſuſciperet. Itaque rogabat & adhortabatur Principes, vt imperij dignitatem & ſuam libertatem vellent defendere. Cæterum in comitiis vbi intellexiſſet ſanctiorem auctoritatem pontificiam eſſe, altiúſque in cordibus Principum radices egiſſe, quàm vt poſſet conuelli; in primis quidem aliquot Epiſcopos Germanorum Ioanni Pontifici non ingratos ad eum ire iuſſit, qui Ioanni promitterent, non modò non aduerſarium Ludouicum Eccleſiæ fore, ſed patronum & defenſorem, ſi modò pontifex regnum & imperium ei decerneret, & Friderico Auſtriaco abrogaret.* ibid.

69. Hanc narrationem ferè ex ſolo Mutio deſumpſit, ſed qua fide, Lector iudicabit, vbi Mutium cum Bzouio contulerit. Ego quæ à Bzouio prætermiſſa ſunt, minoribus literis ſcribenda curaui. Ita ait Mutius, *Ludouicus animaduertens principes Germaniæ pleróſque audituros auctoritatem Eccleſiæ, præcipuè Eccleſiaſticos; conuocatis ante bullæ promulgationem paſſim factam principibus,* lib. 24. p. 226. 52.

 excuſat

Digitized by Google

excuſat ſe, cauſas odij Pontificiorum nullas eſſe docet, quàm quòd imperium nitatur contra Papæ conatus tueri, quódque miſſa à ſe ſint Gibellinis auxilia aduerſus Guelfos imperij hoſtes. Itaque ſuum officium faciendo Papam à ſe alienaſſe. Rogátque & adhortatur Principes, vt imperij dignitatem & ſuam libertatem velint defendere. Italos inuitos ſemper tuliſſe iugum imperatorum Germanorum declarat, exempla multorum pontificum & imperatorum profert. In illis igitur comitiis, vbi intelligit ſanctiorem auctoritatem pontificiam eſſe, altiúſque radices egiſſe in cordibus Principum, quàm vt conuelli queat, appellat ad concilium generale & ad Pontificem malè informatum meliùs informandum. Miſitque ſtatim Romam legatos Epiſcopos Germanos, quos potiſſimùm arbitrabatur Pontifici charos, quibus in mandatis dedit, vt Pontifici promitterent, non modò non aduerſarium Ludouicum Eccleſiæ fore, ſed patronum & defenſorem. Hæc Mutius; quibus Bzouius de ſuo per aſtum adiicit, *ſi modò Pontifex regnum & imperium ei decerneret, & Friderico Auſtriaco abrogaret.* Per aſtum dixi hæc Bzouium adieciſſe, nam Ludouicus nunquam à pontifice poſtulauit, vt ſibi regnum & imperium decerneret, quaſi antea legitimè id non ſuſcepiſſet; ſed proceſſus contra ſe abrogari, & inaugurationem poſtulauit. Iam enim principes Electores regnum & imperium ei decreuerant. Sed quis huic homini poteſtatem fecit alienis verbis

ſua

ſua interſerendi, & quæ minus arrident, eximendi? Audiamus porro.

70. Bzouius. *Cúmque poſtea audiiſſet, cautum Pontificem quod æquum & iuſtum erat, reſpondiſſe; Quomodocunque res ſe habeat, non licere Ludouico imperatorem agere & nomine hoc appellari, niſi ſit rite electus, & poſt electionem à ſede Apoſtolica an ea legitimè, non verò in diſcordia fuerit celebrata, de iure cognoſcente, renunciatus & inauguratus; & propterea illum in diſcordia, dolo malo, & fraude electum, ſi electum, oportere ante diem deſignatum nomen & adminiſtrationem imperij deponere, & ad ſubſellia ſedis Apoſtolicæ, ad diluendas criminationes de vſurpato imperio, de oppreſſione Eccleſiarum, de tutela hæreticorum, déque aliis præter dignitatem & fas admiſſis facinoribus, ſi ouis Chriſti audire cupit, ad diem deſignatum venire. Hoc quaſi ancipiti mucrone confoſſus, ad Concilium generale, & ad Pontificem malè (vt aiebat) informatum meliùs informandum appellationem menſe Octobri interpoſuit, neque imperium abdicare, neque ad pontificem accedere voluit. Mutius Germ. Chron. l. 24. Ioan. Villan. l. 9. c. 227. 242. 265. 275. Albert. Argent. in Chron. Ioan. Auent. in annal.* ibid.

71. Bzouius vt video, pontifici, quod reſpondeat componit, & minutioribus literis quaſi ad verbum ex Mutio transſcriptum recitat. Mutius hæc ſolùm habet, *Papa reſpondet, quomodocunque res ſe habeat, non licere imperatorem agere, & nomine hoc appellari, niſi ſit priùs poſt electionem confirmatus, ſtatuítque illi diem, ante quem debeat nomen & adminiſtrationem imperij deponere, & Romam venire ad excuſandum ſe, & ſatisfaciendum pro delictis.*

lictis. Hæc Mutius, quæ magno figmento condecorat Bzouius, dum hæc ei affingit I. *Niſi ſit ritè electus*, quaſi Mutius indicaſſet Ludouicum non fuiſſe rite electum. II. *A ſede Apoſtolica an ea* (electio) *legitimè, non verò in diſcordia fuerit celebrata, de iure cognoſcente renunciatus & inauguratus; & propterea illum in diſcordia, dolo malo & fraude electum.* III. *Ad diluendas criminationes de vſurpato imperio, de oppreſſione Eccleſiarum, de tutela hæreticorum, déque aliis præter dignitatem & fas admiſſis facinoribus, ſi ouis Chriſti audire cupit.*

72. Quæſo ne nos pupos arbitretur Bzouius, quos inania iſta & à ſeſe excogitata afficiant: credimus, ſed Bzouium fallere. Nec Mutius nec alij quos ipſe nominat, conſimilia referunt.

Col. 457. XVIII. 73. Bzouius. *Eodem quoque anno Canis Scalanus cùm dulcedinem Veronenſibus dominandi promiſſione pontificia deguſtaſſet, ad Vicetiam quoque occupandam & Patauinos ſub iugum mittendos animum adiecit. Patauinis Comes Goritiæ militabat, atque is in conuiuio quodam apud Taruiſinos veneno ineſcatus obierat. Itaque illi auxilio deſtituti, ſubſidia commodum ab Auſtriacis ſecundò petierant, obtinuerántque. Namque opportunè ad primos dies Iunij 12600. Equites Germani ac Hungari ſub ſignis Othonis Auſtriaci & Ducis Carinthiæ aduenerant. Siquidem Auſtriacis de Friderico eliberando ſolicitis,*

hoc

hoc vnum propoſitum fuit, vt Ludouicũ Bauarum toties ab Italiæ tyrannis inuitatum diſtraherent, eáque ratione Friderico viam, tum ad libertatẽ, tum ad vindicias aperirent. Leopoldus quoque, qui per id temporis Pontificem pro liberatione Friderici conuenerat, nullum non mouit lapidem, vt Joannẽ & Regem Galliarũ contra Ludouicum armaret Et quidẽ Pontifex miſsis ad Carolum legatis, conabatur eum ad arma contra Bauarum capeſſenda excitare. Cum Pontificiis legatis Leopoldus in Gallias cõceſſerat, vt tanto facilius regem permoueret. Jtaque illi cum Carolo apud Barium caſtrum congregati, de bello in Ludouicum ſuſcipiendo, æſtate prima appetente, diebus menſis Iunij deliberabant. Voluntatem inprimis Pontificis Regi exponebant. deinde addebant, magnam occaſionem res maximas gerendi illis offerri, ſine magnis difficultatibus rem poſſe confici, Germaniam ferè omnem à Ludouico excommunicato defeciſſe, plurimos fauere Friderico afflicto, Vngariã paratam ad auxilium ferendum, Ludouicum furiis malæ conſcientiæ agitari, non eſſe difficile hominẽ inſanum vincere, deſtitutum illorum præſidiis, quorum auxilio hoſtibus hactenus reſtiterit. Id genus multis conabantur commouere Carolum ad bellum Ludouico *inferendum, & ad Fridericum liberandum. Iniecerant & mentionem regni Romanorum, difficiles non futuros principes in eo deligendo, affirmantes, ſi modò Ioan-*

m nes

nes Boëmiæ rex, affinem illum ſuo ſuffragio non fraudaret. Cautus Carolus ea conditione aduerſus Ludouicum bellum ſe ſuſcepturum pollicitus eſt, ſi modò Fridericus iure ſuo ad Regnum Romanorum cederet, & Principes Electores annuente Pontifice ſeſe deſignarent. Villan. l. 9. c. 255. & Mutius Chron. Germ. l. 24.

Hæc Bzouius, & in margine, *Germani & Hungari milites de bello contra Ludouicum Bauarum pro Friderico ſuſcipiendo cum Carolo rege deliberant.*

74. Huius narrationis duos auctores Bzouius apponit, Villanum nempe & Mutium, quibuscum ei egregiè ſcilicet conuenit. Nam Villanus neque in deſignato anno, neque in nominato capite quidquam eorum narrat, quæ Bzouius hîc affert. Capite quidem 256. l. 9. non c. 255. vt Bzouius ſignat, aliquid habet, ſed id pertinet ad annum 1323. non ad 1324. quod rurſus argumento eſt, quàm præclarus chronologus ſit Bzouius.

75. Mutius verò nil hoc anno de Cane, Patauinis, Comite Goritiæ, Hungaris & Germanis equitibus, cum Othone Auſtriaco & duce Carinthiæ ad impediendum Ludouicum collectis.

76. Primum pronunciatum. *Patauinis comes Goritiæ militabat, atque is in conuiuio quodam apud Taruiſinos, veneno ineſcatus obierat.* Bella rurſus locutio, & quæ ſeipſam iugulet. Comes Goritiæ milita-

Digitized by Google

militabat,& tamen veneno obierat. Suprà ait ita *N. XII. Col. 451.*
Bzouius, *Hoc anno* (nempe 1324.) *Kal. Maiis Comitem Goritiæ à Friderico & Auſtriacis ſubſidio Patauinis miſſum, Gibellini veneno necarunt.* Duos auctores Villanum & Corium adducit: poſterior mortis Goritianæ non meminit, Villanus eam incidiſſe in annum 1323. commemorat. Videtur Bzouius diſcurrere per apertos codices,& momen- *l.9.c.191.*
to non oculos ſolùm, ſed vtramque buccam implere,ac mox cumulatè temeréque in chartas,quæ legit, effundere. Lector diſponat poſtmodum aut iudicet. Satis eſt Bzouio, ſi faſciculos errorum calamus ſpargat.

77. Secundum pronunciatum. *Opportunè ad primos dies Iunij 1260 0.equites Germanos ac Hũgaros ſub ſignis Othonis Auſtriaci, & Ducis Carinthiæ aduenıſſe.* Libet ponere ipſa Villani verba Tu- *l.9.c.256.*
ſco ſermone, *Nel detto anno, all' entrata di Giugno, il Duca di Chiarentana, el Duca Otto d' Oſterich, con molti altri baroni, & con piu di 6.mila caualieri, con piu di 12.mila caualli e con arcieri & vngari vennero,* &c. hoc eſt, *Anno dicto in principio Iunij, Dux Carinthiæ & Otho Dux Auſtrius, venerunt in Marchiam Taruiſinam & Patauium cum multis aliis proceribus & plus quàm 6000. nobilibus equitibus, & plus quàm 12000. equi & cum Sagittariis & Vngaris,* &c. Velim lectorem attendere, quàm bellè

numerandi artem calleat Bzouius, cùm ex 6. millibus & 12. millibus colligit vniuerſim 12600. & omittit 5400.

78. Tertium pronunciatum. *Auſtriacis de Friderico liberando ſolicitis, hoc vnum propoſitum fuiſſe, vt Ludouicum Bauarum toties ab Italiæ tyrannis inuitatum, diſtraherent; eáque ratione Friderico viam tum ad libertatem, tum ad vindicias aperirent.* Macte virtute Bzoui, egregiè fingere noſti; hoc Villanus non habet, & Mutius ne mutit quidem: ſed in fatis eſt, vt tuis laqueis induaris. Tu prælium inter Ludouicum Fridericúmque in peruigilio S. Michaelis commiſſum, in annum vigeſimum tertium inuitis auctoribus reiicis, & ad Iunium eodem anno, teſte tuo Villano, hoc eſt, minimùm tribus menſibus ante pugnam, vt tu eam narras, intrauit Italiam, Germanorum iſte à te deſcriptus exercitus, qui viam Friderico ad libertatem & vindicias aperiret, hoc eſt, qui Fridericum è carcere liberaret, antequam in eum coniectus eſſet. Hìc tibi aqua hæret, mi Bzoui, nec iuuo, quia non mereris.

79. Quartum pronunciatum. *Pontificem miſſis ad Gallum regem legatis eum ad arma contra Bauarum concitaſſe, Leopoldum cum iiſdem in Gallias conceſſiſſe, vt tanto facilius regem permoueret.* Atqui Leopoldus & legati Pontificij iam erant in Galliis,

liis, quì ergo in Gallias conceſſere? Audi Mutium tuum, *Lupoldus dux Auſtriæ interea non ceſſat omnem mouere lapidem, vt frater liberetur; accedit Pontificem* in Galliis agentem, *qui mittit legatos ad Gallorum regem, conatúrque eum excitare ad arma capienda aduerſus Ludouicum; cum legatis Pontificis it quoque Lupoldus ad regem Galliarum, voluntatem Pontificis ei exponunt.* p. 227. v. 30.

80. Quintum pronunciatum. *Legatos, Leopoldúmque ad Barium caſtrum congregatos, de bello in Ludouicum ſuſcipiendo, æſtate prima appetente, diebus menſis Iunij deliberaſſe.* Mutius & Villanus tuus hæc non habet. Argentinas quidem meminit Francum, Leopoldúmque conueniſſe, ſed neuter horum dicit eos deliberaſſe diebus menſis Iunij, aut de bello ineundo æſtate prima appetente. De bello quidem conſultatum fuit, ſed gerendi belli tempus auctores non nominant. p. 123. 37.

81. Sextum pronunciatum. *Iniecerunt* Legati, Leopoldúſque *mentionem regni Romanorum; difficiles non futuros principes in eo* Galliæ Rege *deligendo affirmantes, ſi modò Ioannes Boëmiæ Rex affinem illum ſuo ſuffragio non defraudaret.* Hæc ſunt telæ à Bzouio textæ; nihil Mutius, nihil Villanus, quos ſolos auctores hîc laudat Bzouius.

82. Septimum pronunciatum. *Cautum Carolum* Gallorum regem *ea conditione aduerſus Lu-*

Digitized by Google

douicum bellum ſe ſuſcepturum pollicitum eſſe, ſi modò Fridericus iure ſuo ad regnum Romanorum cederet, & principes Electores annuente Pontifice ſeſe deſignarent. Hoc nempe eſt deſcribere Mutium, qui ex aduerſo Bzouium meritò oppugnat; ita loquitur: *Galliarum rex non potuit induci, vt cum certo magnóque periculo in Germaniam duceret copias ſuas, audierat enim exempla ſuperiorum temporum.* Hæc Mutius, qui affirmat Gallum non potuiſſe adduci vt bellum ſuſciperet; Bzouius dicit, illum bellum pollicitum fuiſſe, ſi quæ poſtularet, fierent. Quæro an Bzouius polliceri poſſit id, ad quod, vt faciat, induci non poteſt? fortaſſe poteſt, nam multa facit, quæ nemo faceret niſi Bzouius. Contemplemur & marginem eius: ait in eo, *Germanos & Vngaros milites* (nempe eos qui ducibus Othone Auſtrio Carinthiacóque in Italiam intrauerant) *de bello contra Ludouicum Bauarum, pro Friderico ſuſcipiendo cum Carolo Rege deliberaſſe.* Etiam ex hoc diſcat lector tanti hiſtorici diligentiam: nemo horum militum apud regem in Gallia fuit. Margo & orationis ſeries eiuſdem valoris ſunt, ſed non magni.

Col. 461. XXIIX. 83. Bzouius. *His temporibus Ludouicus Bauarus, vt dominium ſuum amplificaret, vxorem cuidam viro potenti, cum qua is totis vndecim annis conuixerat, per iniuriam tulit, ac Ottoni ſuo filio in matri-*

matrimonium collocauit. Prætexebat Ludouicus *impedimentum conſanguineitatis, quaſi propter illud matrimonium prius dirimendum ex lege foret. Maritus ad ſedem Apoſtol. cuius officij eſt controuerſias matrimoniales cognoſcere, rite prouocabat. Pont. Ludouicum, ne iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſibi vſurparet, néue ſumma iniuria principem virum afficeret admonebat: adeóque ad dicendam cauſſam euocabat. Cùm autem neque Auinionem veniret, neque ereptam viro vxorem ſtatim reſtitueret, ei communionem Eccleſiæ Pontifex interdixit, variiſque cenſuris eum publicè damnauit. Chron. Hirſaug. Ioan. Trithem.*

84. Quàm varia hîc Bzouij peccata! Primum eſt, quòd ex ingenti in Ludouicum affectu libens volens cum Trithemio erret, anteuertátque annos, & rem narret antequam geſta ſit; nam diuortium hoc accidit ſub annum demum Domini 1340. aut 1341. aut 1342. ita ſexdecim vel amplius annis Bzouius aberrat; quòd ſi alij deeſſent, ſufficeret credo Bzouio ipſe Bzouius, qui non rarò etiam contra ſeſe teſtatur, vt pòſt paulò clarebit.

85. Secundum peccatũ eſt, quòd narratiunculã Bzouius ex Trithemio deſcribat nec integram nec incorruptam. Quòd non integram; oſtendet Trithemij ſermo ipſe, qui eſt eiuſmodi, *His temporibus Ludouicus Imperator cupiens dilatare dominium* An. 1324. Hirſaug.

ſuum,

ſuum, vxorem cuiuſdam viri potentis violenter abſtulit, eámque Ottoni filio Brandeburgenſi Marchioni matrimonio cum pompa & ſolennitate copulauit, viro eius cum quo matrimonialiter vixerat annis vndecim, reclamante, & auxilium ſummi Pontificis licet fruſtra inuocante. Dicebat enim imperator, inter eum & illam obſtare impedimentum conſanguinitatis. Sed alia eum cauſa mouebat, ſcilicet deſiderium habendi dominium ducatus Carinthiæ & Tirolis, quod ad ipſam mulierem iure hæreditario fuerat reuolutum. Vnde commotus Papa Ioannes XXII. tanta iniquitate ſcripſit Ludouico *multis vicibus rogando, monendo, & comminando, quatenus vxorem viro ſuo reſtitueret, & pro corona imperij accipienda ad ſe in Auinionem veniret. Sed imperator Papam contemnens, nec vxorem viro reſtituit, nec venire in Galliam conſenſit. Quam ob cauſam iratus pontifex, nimióque furore non iniuſtè commotus, ei communionem Eccleſiæ interdixit, & variis cenſuris eum publicè damnauit.*

86. Quòd verò nec incorruptam Trithemij ſententiam attulerit, hoc primum demonſtrat. Bzouius ait, ſcripſiſſe Pontificem Ludouico, ne iuriſdictionem Eccleſiaſticam vſurparet; Trithemius huius non meminit. Bzouius ait, à Pontifice Ludouicum ad dicendam cauſam euocatum; Trithemius dicit, *Scripſit* Pontifex *Ludouico multis vicibus*

cibus rogando, monendo & comminando, quatenus vxorem viro ſuo reſtitueret, & pro corona imperij accipienda ad ſe Auinionem veniret. Venire ad coronam imperij ſuſcipiendam, & venire ad cauſam dicendam apud Bzouium non diſcrepant, ita Bzouius auctores tractat & lacerat.

87. Tertium peccatum & quidem grauiſſimùm eſt, quòd hîc dicat Ludouicum alteri vxorem per iniuriam tuliſſe, neque ereptam reſtituiſſe; quo ipſo criminis raptus imperatorem accuſat cum ſuo Trithemio, à quo cœcus in lutum rapitur, ſéque ipſum, non Ludouicum defœdat. Nihil Rebdorfius, nihil Argentinas de violentia aut raptu produnt: & decuiſſet Bzouium, ſi verus hiſtoricus videri voluiſſet, rem tantam iuſtis ponderibus librare, neque vnum duntaxat auctorem limo oculo intueri, ſed plures; vt deſpiceret, lectoríque proponeret verum, aut vero proximum.

88. Cuſpinianus non nimiùm Ludouico Cæſari addictus ita rem denarrat, *Tum Ioannes Henricus filius Regis Boëmorum Morauia Marchio, Comes factus Tirolis ex vxore Margaritta præfata, in magnum diſſidium cum vxore venit. Cùm ei impotens in coitu cenſeretur, vxorémque plurimùm moleſtaret, eámque nunc mordendo mammillas, nunc laniando comas ſemifatuam redderet, mulier inſcia quid ageret, conſilio procerum Barones ſuos Ludo-* p.466.ſ.

n uico

uico Cæſari mittit nuncios, ab eo petens, vt filium ſuum ſibi maritum concedat, Carinthiam ad ſe iure hæreditario deuolutam in dotem ſpondet. Eiicit interea Boëmum è comitatu, cum quo annos octo condormierat. Ludouicus Cæſar promiſsioni fauit, filium aduocat, qui inſuetum facinus exhorret. Nam conſanguinei in tertio gradu vxorem traducere, ritu Eccleſiaſtico, nondum diuortio ſeparatam, non vxorem ſed mœcham computat. Pater id iuſtum eſſe cauſatur, vtpote, qui ſibi prius fidem fregerit. Boëmiæ enim rex cùm inueſtituram à Cæſare peteret, nunquam ſe à principe diſceſſurum iureiurando promiſit, quod minimè præſtitit. Idcirco exacerbatus Cæſar, filium vel inuitum, vt hoc excipiat matrimonium, compellit. Perſuaſus filius à patre tandem multorum fretus auxilio conſilióque vxorem abripit, diuortium ſolenniter facit, matrimonium legale cum donatione perficit. Anno igitur à partu virginis milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo, decima Februarij imperator Ludouicus in Meranum conceſſit cum duobus filiis, Stephano duce Bauariæ & Ludouico Marchione Brandeburgenſi. Quos ſequebantur duo duces de Deck, Epiſcopus Friſingenſis, qui obiit in monte Iouis. Item Epiſcopi Ratiſponenſis & Auguſtenſis. Præterea duo Comites de Schvvarzenberg, vnus de Wirtenberg, Goriciæ, Werdenberg, Kirchberg, Kazenelnbogen, cum

aliis

aliis multis baronibus ac nobilibus, nuptiáſque inter Ludouicum & Margaritam ſolenniter celebrant. Imperator quoque iis perfectis, inſignibus ac veſtimentis Cæſareis ornatus, contulit filio Ludouico & Margaritta ducatum Carinthiæ & comitatum Tirolis, ducibus prædictis aſtantibus, Ioanne Henrico antiquo marito eiecto, atque latitante apud Patriarcham Aquileienſem.

89. Vides Bzoui nulla violentia vſum Ludouicum in eripienda aliena coniuge? Ipſa duciſſa maritum Tiroli eiecit, ad Cæſarem miſit, filium eius popoſcit, ducatum Carinthiæ in dotem ſpopondit: an hîc aliqua vis, aut raptûs ſpecies Bzoui? Tu non aliter loqueris, ac ſi Ludouicus Herodes fuiſſet & fratri ſuo vxorem tuliſſet. Sed de hoc plura paulò infrà. *N. 91.*

90. Quartum peccatum eſt, quòd hanc eandem tragœdiam diuerſis annis ter narret, & vnum factum in tria partiatur. Nam quod hîc hoc anno contigiſſe affirmat, id idem accidiſſe anno Chriſti 1340. & rurſus 1344. contendit.

91. Anno Chriſti 1340. ſic ſcribit. *Inter Ioannem filium regis Boëmiæ, & Margaritam filiam Henrici Carinthiæ Principis in pueritia adhuc matrimonium fuerat contractum. Quatuor annos inter ſe pueri, & alios ſeptē iam pubeſcentes conſueuerant, neque tamen prolem aliquam ſuſcipere potuerant.* *Col. 881. III.*

 Eam

Eam occaſionem Ludouicus interuertendæ Carinthiæ nactus, maritam mulierem induxit, vt viri impotentiam accuſaret, & diuortium poſtularet, futura mox eius Ludouici filij vxor. Nihil impudentius muliere petulante; accuſauit quoquomodo potuit Ioannem inſontem, illúmque Ludouico *Bauaro ita iubente, & in matrimonio contracto, auctoritate vſurpata diſpenſante deſeruit, ínque Ludouici eius filij nuptias vnà cum Ducatu Carinthiæ tranſiuit. Non erat Benedicto Pontifici iſtud facinus ferendum. Itaque ne* Ludouicus *alienas vxores à viris diuerteret, néue Boëmo Carinthiam dotis nomine attributam eriperet, pro officio illum admonuit; & tam in illum, quàm in fœminam contumacem anathema tulit, quòd Ioannis matrimonium nullo iure ille diremiſſet, & ex calumnia ad diuortium decernendum proceſſiſſet; cùm Ioannes procreato ex concubina filiolo impoſturam vxoris de impotentia apertiſſimè confutaſſet, &c. Dubrauius hiſt. Boëm. lib. 21. Bernardin. Cor. p. 3. Cuſpinianus in Ludouico Bauaro. Krantz. Saxon. l. 9. cap. 16.*

92. Progrediamur ad tertium locum, quia vnum idémque, quod ſemel contigit, Bzouio tertiùm contigit. Anno 1344. ita refert Bzouius, *Ludouicus porro Bauarus vt Boëmo regi incommodaret, Ioanni eius filio vxorem ſine iudicio Eccleſiæ raptam, ſuo filio in ſcandalum multorum copulauit, illúmque*

N. 11. Col. 957.

lúmque Ducatu Carinthiæ, quem ei accepta pecunia donauerat, eiecit. Propter quæ & alia ſcelera denuo à Clemente Pontifice excommunicatus eſt, ac tandem imperio depoſitus, cùm etiam hoc anno vniuerſis, vt proceſſus contra eum ab Iohanne XXII. factos publicarent, præcepiſſet. Clemens, ep. 24.

93. Iam collatis inter ſe Bzouij narrationibus, earúmque adiunctis, partim planè iiſdem, partim mirificè inter ſe conſentientibus, oſtendamus vnam & eandem rem vbique narrari. In prima narratione dicitur, coniuges vndecim annis conuixiſſe; idem dicitur in ſecunda. In prima maritus dicitur vir potens & princeps; in duabus reliquis Iohannes filius regis Bohemiæ. In prima dicitur mulierem in matrimonium datam Ottoni Ludouici Imperatoris filio; idem, quà de re, dicitur in reliquis, nam ex ſententia Trithemij, ex quo ſolo prima narratio ſumpta eſt, Ludouicus (quo nomine filius Ludouici imperatoris appellatur in ſecunda) dicebatur[a] etiam Otto: in tertia verò narratione nomen filij non exprimitur. In prima pontifex dicitur Ludouicum monuiſſe, ne ſumma iniuria principem virum afficeret; in ſecunda, ne vxores à viris diuerteret, néue Boëmo Carinthiam dotis nomine attributam eriperet; in tertia dicitur Ludouicus filiũ Bohemi eieciſſe Ducatu Carinthiæ. In prima dicitur Ludouicus neque Auenionem ve-

[a] *Hirſaug. 1347. §. 2*

niſſe, neque ereptam viro vxorem ſtatim reſtituiſſe; in ſecunda, dicitur contumax, quod idem eſt. In omnibus demum dicitur Ludouicus excommunicatus ob eam cauſam. Alia etiam paulò pòſt ex auctoribus adferemus, ex quibus patebit eandem rem ter à Bzouio narratam, initio facto à Trithemio, cuius primam narrationem iam antè deſcripſimus. Secundam Bzouij narrationem Trithemius non habet, ſed tertiam in hæc verba.

Hirſaug & Sponheim 1344. §. vlt.

94. *Eodem anno* Ludouicus *Imperator Ioannem filium regis Bohemiæ, de ducatu Carinthiæ, quem ei accepta pecunia prius donauerat, eiecit: eiúſque vxorem ſine iudicio eccleſiæ raptam, ſuo filio copulauit, in ſcandalum multorum. Vnde tam pro iſto, quàm pro multis aliis ſceleribus, denuo excommunicatus fuit à Clemente Papa ſexto, tandémque (vt dicemus) ab imperio depoſitus.*

95. Has duas Trithemij narrationes eiuſdem rei eſſe, indicio ſunt cùm omnia illa, quæ duabus Bzouianis narrationib⁹ inter ſe communia eſſe ſuprà monſtrauimus, tum verò etiam, quòd Trithemius in vtraque ait, Ludouicum eiuſmodi matrimonio Ducatum Carinthiæ acquirere voluiſſe; inauditum enim eſt, Ludouicum bis Carinthiā ſibi aut ſuis quæſiuiſſe. In priore item ait, Pontificem non iniuſtè commotum; in poſteriore, tā pro iſto, quàm pro multis aliis ſcelerib⁹, adeóq; nō iniuſtè.

In priore

In priore ait, Ludouicum ob id facinus excommunicatum, & variis cenſuris publicè damnatum; in poſteriore, excommunicatum, & ab imperio tandem depoſitum; quæ fuerūt duæ diuerſæ cenſuræ.

96. Nunc aliorum quoque auctorum narrationes adferemus, qui quidem omnes vnum tantùm eiuſcemodi Ludouici factum referunt, ídque ſub annum 1340. vt partim ipſi expreſsè dicunt, partim per antecedentia & conſequentia clarè indicant, & fatetur Bzouius, dum eos non niſi ſub eum annum huius rei teſtes nominat (ſolum autem Trithemium anno 1324. & quidem cum adiunctis facti à Bzouio & Trithemio ad annū 1340. & 1344. relati) ex quo conſtabit, Trithemium, Bzouiúmque erraſſe tum numero anni 1324. tum vna re in duas diuiſa. Ipſum porrò factum ijdem authores ita deſcribunt, vt Bzouij, Trithemiíque in Ludouicum calumnias vno ore confutēt. Agmen ducat Rebdorfius.

97. *Oritur,* inquit, *diſcordia inter ſecundum filium prædicti regis Bohemiæ, Iohannem nomine, Ducem Carinthiæ ex vna parte, & vxorem ſuam, filiam quondam Ducis Carinthiæ ac nobiles eiuſdem ex altera. Vnde ipſa accuſat eum, quòd ſit frigidus, impotens ad carnalem copulam, & aſſerit ſe virginem, licet cohabitauerit ei per decem annos vel circa. Propter quod Ludvvicus Marchio Brandenburgenſis,* An. 1341. p. 429. §. penult.

filius

filius Ludvvici Imp. ipſo volente, non facto diuortio per Eccleſiam, dictam filiam Ducis Carinthiæ attinentem ſibi in tertio gradu conſanguinitatis duxit in vxorem; & nobiles terræ expulſo totaliter filio Regis Bohemiæ tradunt ſibi terram.

98. Audis, ipſam vxorem & nobiles eius fuiſſe auctores accuſationis! Audis Ludouico terram à nobilibus eius expulſo filio regis Bohemiæ traditam, non ereptam! Audis, impedimentum conſanguinitatis à Rebdorſio in poſteriore tantùm narratione poſitum, à te in priore tantùm; quod nouum indicium eſt, eandem rem in vtraque narratione deſcribi. Factum porro fuiſſe diuortium

N. VII. per Eccleſiam, anno 1340. oſtendemus. Audi etiam alterum Rebdorſij locum in allatis iam eius verbis ſubindicatum.

p. 445. ſ. penult. 99. *Eodem anno* 1349. *menſe Iulio, Epiſcopus Curienſis, in cuius diœceſi eſt caſtrum Tyrolis, promulgat ſolennem ſententiam diuortij inter Iohannem fratrem Karoli, & filiam quondã Ducis Karinthiæ, cui prænominatus* Ludvvicus *Marchio Brandeburgenſis, vt vxori ſuæ cohabitauerat per ſeptem annos & vltra, & duos pueros ſuſcepit ex ipſa. In qua ſententia Epiſcopus aſſerit præfatum Iohannem frigidum & impotentem ad copulam carnalem, & ideo non fuiſſe matrimonium inter eos.* Audis Karinthiam non fuiſſe vxorem Bohemi (vt tu in tergemina tua nar-

ratione

ratione perperam inculcas) nec matrimonium inter eos fuiſſe, ídque ob impedimentum dirimens matrimonij! Qualia ferè etiam in aliis, qui ſequuntur, auctoribus videbis. Eam verò ſententiam ante annum 1349. & Ludouici ac Margaritæ nuptias latam fuiſſe, anno 1340. docebimus. *N. VII.*

100. Albertus Argentinenſis de propoſita cauſa hæc habet, *Cúmque Ioannes Comes Tyrolis, filius Bohemi impotens vxorē ſuā ſemifatuā plurimùm moleſtaret, inter alia eius mordendo mammillas, illa cū Baronibus ſuis habitis occultis tractatib⁹, eiecto Bohemo de comitatu prædictum Ludouicum Marchionem de facto in maritum recepit. Sícque Ludouicus princeps, filium Ioannis regis Bohemiæ, vxore & dominio ſpoliauit, inconſuetum & horribile facinus attentando. Filium namque ad hoc maleficij genus induxit inuitum, quòd videlicet vxorem ſui conſanguinei in tertio gradu, non ſeparatam ab vllo iudice Eccleſiæ, ipſámque ſuam conſanguineam non vxorem, ſed mœcham traduxit. Prætendit autem princeps, ſe iuſtè illum à comitatu eieciſſe, de quo (vt tenebatur, & vt ſibi per regem Bohemiæ patrem promiſſum aſſeruit ſub cautione rehabendi ciuitatem Egram, quod non fieret*) nunquam ſe à principe petierit inueſtiri. O idolorum ſeruitus auaritia, quæ tantos principes confudiſti, ex quibus iterum inter Bohemos & Principē & filios ſuos nō immeritò liuor edax & odia ſuſcitantur.* *pag. 129. §. vlt.* **f. ſi non fieret.*

101. Audis rurſus impotentiam! audis Ludouicum Marchionem à fœmina receptum in maritum, & Iohannem eiectum, ídque cum conſilio Baronum ſuorum, non Ludouici, & ob morſus, quibus à Iohanne appetebatur! Vnde fortaſſe eſt legendum *ſemifatuus* non *ſemifatuam*, niſi fatuus vel ſemifatuus ipſe, ſemifatuam reddiderit
N. 17. & ipſam, vt Cuſpinianus paulò ſuprà dicebat. Quod verò Argentinenſis fatetur impotentiam, & tamen vxorem Iohannis & mœcham Ludouici vocat, impropriè loquitur. Quòd iterum ait Iohannem à Ludouico eiectum, non de eiectione loquitur, quam paulò antè à fœmina & Baronibus factam dixerat, ſed de bello ſecuto, quo Iohannes fuit impeditus, ne rediret in Carinthiam. Auaritiæ denique peccatum in eo facto non apparet; nec enim auaritia eſt, ſi principes matrimonium ineant, cum reſpectu etiam ad principatus dotem.

An. 1340. 102. *Nec prætermittendum eſt*, inquit Corius, *quòd cum Duciſſa Carinthiæ filio regis Bohemiæ deſponſata, quatuor annis in puerili, in perfecta verò ætate ſeptem cum eo vixiſſet; ille quòd parùm vir eſſet, nec fœmina potens, cùm die quadam ipſe ad venationem exiuiſſet, Duciſſa clam multis proceribus militibúſque conuocatis, quantum oportebat, eis ſignificauit, referens regimen Carinthiæ ideo quòd prole careret,*

Digitized by Google

veret, deficiente linea, breui ad exteros peruenturum: cùm ergo quilibet eorum puellæ complacere deſideraret, decretum eſt, vt maritus rediens non reciperetur. Et cùm veſperi ad caſtrũ Tirolis veniſſet, portáſq; reperiſſet clauſas, nunciatũ eſt ei, Ducißam alteri magis quàm ipſe eſſet, viro promiſſam eſſe. Cùm igitur in nullo regiminis illius caſtro reciperetur, per aliquot dies in villa quadam latitauit, in qua iuſſu Duciſſæ neceſſaria quæq; ei ſubminiſtrabantur. Demum illinc diſcedens, ad Patriarcham Aquileienſem peruenit, cum quo per menſes ſex permanſit, & Duciſſa Ludouico *Ludouici Bauari filio deſponſata fuit. Quare cùm ambo ad dictum caſtrum perueniſſent, amoroſæ Duciſſæ cupiditati ſatisfactum eſt; & cùm filios procreaſſent, ditio illa diu ſe ſuſtinuit. hac aliíſque de cauſis Bauarus cum filio à Pontifice excommunicatus fuit, & cum Bohemo magnæ inimicitiæ inſurrexerunt.*

103. Kranzius, *Erat Margareta Stiriæ ducis vnica filia, iam nupta* W*enzlao Iohannis regis Bohemiæ filio, puella inſigni facie, quæ maritum ſuum ad vota nuptiarum accuſauit impotentem: ſecretiúſque literis egit apud Imperatorem* Ludouicum, *vt marito ſubducta eunucho, eius traderetur filio coniunx, etiam eccleſiæ iudicio (quod mater eſſe vellet) diuortianda. Placuit imperatori puella nobilis & diuitis, quæ dotem afferret ducatum, in filium eius propenſio. Sed filius* 9. Saxon. 16. poſt m.

lius vbi intellexit, rem non probauit, raptu ſibi coniugem quærere non eſſe Chriſtiani principis. Verùm ſtimulante patre, quum etiam iuriſperiti rem licitam dicerent, conſenſit, & puellam rapuit volentem. Nam repugnante marito aliter fieri non pòtuit, vt eccleſia iudicio apud illum manens, diuortio abiungeretur. Ad tam atrox facinus vindicandum omnis Bohemia Vngariáque & Francia commouentur: bellum ingens conflatur, producuntur acies ob raptam puellam, Troiani belli renouantur initia. Confligitur acerrimè, ſed Ludouicus non inferior diſceſſit. Is tamen erat belli exitus, vt Wenzlaus *ſibi cohabitare fœminam nolentem dimitteret, quamuis Papa multis literis fœmineam procacitatem arguerit, vtpote qui imperatoriæ domui ſemper aduerſaretur. Tenuit Margaretam Ludouicus, ſed tamen non facilè obliuiſcitur iniuriam* W*enzlaus.* Audis Ludouicum Imperatorem à Margareta inductum, non hanc ab illo! audis Ludouicum probabili ſententia poſſe excuſari à ſcelere, cùm etiam iurisperiti rem licitam dicerent! audis Margaritam reprehenſam non ob iniuriam Iohanni Bohemo illatam, ſed odio domus Imperatoriæ! In nomine Wenzlai errat Kranzius, vt & in crimine raptus.

Hiſt. Auſtr l. 3. p. 113. m.

104. Gerardus de Roo, *Ipſe* Iohannes Henricus à Margaretha ſeparatus *hanc eandem rem in literis, quæ ſuperſunt, ad hunc modum narrat: Cum Marga-*

Margaretha ſe, quam tã arcto conſanguinitatis vinculo iunctam ſibi ignoraſſet (erant enim ex duabus ſororibus nati) decennium vixiſſe, ſed rem cum ipſa habere non potuiſſe. Cùm igitur illa ex petulantia quadam, animum ad Ludouicum Bauarum, Brandenburgi Marchionem, adiecerit, ipſe verò & virum ſe eſſe, & ex alia muliere patrem fieri poſſe non dubitaret, Clementem Pontificem abs ſe exoratum Patriarchæ Aquilegienſi & Curienſi præſuli negocium dediſſe, vti matrimonium illud irritum facerent. Id anno triceſimo nono factum eſt. Extant etiam literæ biennio pòſt à Margaretha datæ, quibus Ioannem Henricum non maritum, ſed dominum & Ioannis Boëmiæ regis filium vocat. Itaque anno quadrageſimo ſecundo, Margaretha in arce Tiroli, nuptias cum Ludouico Bauaro celebrauit.

105. Porrò ex iis Iohannis Henrici literis liquet primò eum Margaritæ Carinthiæ in ſecundo gradu fuiſſe cognatum, & verè à Ludouico prætextum conſanguinitatis impedimentum. In quo diſpenſatum non fuiſſe, idem Iohannes Henricus ſatis docet, cùm ait ſe ignoraſſe tam arctum conſanguinitatis vinculum: nam ſi diſpenſatum fuiſſet, ignorantia ea nihil ad rem feciſſet, nec id ab eo facilè ignoratum fuiſſet. Quod in iiſdem literis de matrimonio Pontificis iuſſu per Epiſcopos direm-

pto dicitur; id ante Ludouici & Margaritæ nuptias
N. VII. factum eſſe anno 1340. monſtrabimus.

106. Pandere nunc opus eſt occaſionem, qua Trithemius errauit. Ludouicus Ludouici imperatoris filius anno 1324. vxorem duxit filiam regis Daniæ, vt conſtat ex binis eiuſdem Daniæ regis literis anno 1323. & 1324. datis & in archiuo Bauariæ ſeruatis. Ea mortua vxore, vt & ex Cuſpiniano ſuprà retulimus, duxit Carinthiam circa ann. 1340. Non latuit is duplex matrimonij contractus Trithemium, ſed in eo grauiſſimè errauit, quòd Carinthiæ negotium à ſecundis nuptiis ad primas quoque tranſtulit errore non ferendo, ſecutus fortaſſe auctores, quorum alius id ad primas, alius ad ſecundas retulerat. Cætera ad annum 1340. & 1344. exequemur.

107. Libet hic adiicere literas, quas idem Daniæ Rex anno, vt videtur, ſequente pro Ludouico ad Cardinales ſcripſit in hanc formam.

*Reuerendiſſimis in Christo Patribus ac Dominis, ſacro Cardinalium cœtui & collegio honorando, C. Dei gratia Danorum Rex &c. ſalutē & ſeppm**
*ſ. ſeipsū. *cum omnimoda, qua poteſt, reuerentia & honore. Reuerendæ Paternitati veſtræ cum humilitate, qua decet, attentiùs intimamus, nos veraciter percepiſſe, vt inter ſanctiſſimum in Christo Patrem ac Dominum, Dominum Iohannem, imperatione* diuina ſacroſan-*
*ſ. miſeratione.

croſancta Romana ac vniuerſalis Eccleſia ſummum Pontificem ex vna parte, & magnificum principem Dominum Lodovvicum Romanorum Regem ex altera, diſſenſio plurima, & grandis diſcordia, proh dolor, eſt ſuborta. De quo ſine dubio turbati ſumus non modicum, & dolemus, imò dubitamus veriſimiliter & timemus, quòd exinde prouenire poterint non ſolùm perſonarum & rerum diſpendia grauia, imò etiam animarum pericula quamplurima & ſcandala in populo, in maximum Chriſtianitatis & fidei per diuerſas locorum diſtantias, forſitan quod Deus auertat, notabile decrementum. Vnde vobis & veſtrûm cuilibet, omni inſtantia, qua poſſumus, ſupplicamus, quòd Dominum Johannem ſummum Pontificem prædictum velitis piè monere & inducere, vt prædictum Dominum Lodovvicum Regem Romanorum iure ſuo ac iuris ſui proſequutione perfrui, amore Dei, iuſtitiæ & noſtrarum precum interuentu velit permittere, prout prædeceſſores ſui Romanorum Reges pacificè & quietè vſi fuerant ab antiquo, & ad concordiam inter eos faciendam, propter Deum, cum efficacia vos interponere dignemini. Ad quod, ſicut etiam pro parte ſperamus poſſe proficere, cooperari & laborare volumus cum effectu. Nec miremini, quòd pro ipſo & bono ipſius certare volumus, & in ſuis iuſtis cauſis nos intromittere, quòd filius ſuus filiam noſtram duxerat

Digitized by Google

rat in vxorem, nec aliud de ipſo ſentiamus, quàm quòd de fideli Chriſticola eſt ſentiendum Cui teſtimonium perhibent vita ſua & operationes, nec non fama eiuſdem, non ſolùm apud bonos & graues, verùm etiam, vt intelleximus, communiter apud omnes. Bono etiam pacis & tranquillitatis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & prædicti patris noſtri ſummi Pontificis & totius Chriſtianitatis libentiſſimè intendere volumus, tenemur. Valeant in Chriſto veſtræ Paternitates reuerendæ per tempora longiora. Scriptum craſtino circumciſionis Domini.

Col. 461. XXX. 108. Bzouius. *Per id temporis mirum in modum Deus vltus eſt quendam tyrannum inter Heluetios. Iucunda ſunt quæ adiungo. Geſlerus is erat, nomine* Ludouici *Bauari in Suitia & Vrania præfectus &c.* & in fine *§. Vraniam poſtea adueniens* Wilhelmus Tellius, libertatis Helueticæ auctor, *cùm multas nobilium & popularium querelas contra tyrannum* Geslerum, quem Tellius ſagitta confixerat, *extinctum audiſſet, fœdere ſibi omnes vim Bauari metuentes aſtrinxit, ingentiáque facinora pro patria libertate portentauit. Annal. Heluet. lib. 4. cap. 53.*

109. Tu portentas, Bzoui, ſi tecum latinè loqui liceat, nam portenta loqueris. Sed placet rem ex tuo auctore Stumpfio ſtrictim percenſere. Vacante per obitum Henrici VII. imperio exacti ab Heluetiis nobiles vindictam cogitarunt, atque ad id ad-

id adiuti fuere ab Auſtriacis Ducibus, fretis ſpe Suitiam, Vraniam & Subſiluaniam ſibi ſubiiciendi. Nec imperiales præfecti (ab Ludouici anteceſſore inſtituti, non à Ludouico nondum electo) huius conſilij ignari erant, nec reſiſtere Auſtriacis cogitabant; quippe quibus patriæ ſedes in prouinciis eorum. Itaque his magis ſtudebant, quàm Imperio, à quo Heluetiis præfecti erant. Commodum ad conatus eorum acciderat, vt duo in diſcordia electi reges ciuili bello occuparentur, ſed tamen Vrania, Suitia, Subſiluaniáque Ludouico, vt plura atque honeſtiora ſuffragia ſortito fauebant, ægris præfectorum animis, qui Friderici auſpicia ſequebantur. Igitur & ſubditos quoque aggreſſi trahere in partem, nihil aliud effecerunt, quàm is, qui oleum extinguendo igni affundit. Clandeſtina coitione facta ſacramento fœderéque ſeſe iungunt delecti & in paucis audaces. Nec latuit res præfectos, licet auctores laterent. Igitur vti coniuratos explorarent, placuit illud conſilium, vt Geslerus Vraniæ Suitiæque præfectus, Alttorfi præcipuo in Vranienſium oppido, pileo è ſublimi pertica pendulo, à viatoribus eum honorem exhibendum mandaret, quem præfecto ipſi vel haberent, vel deberent; exiſtimabant enim futurum, vt coniurati iuſſa abnuentes, eo indicio proderentur. Nec eos coniectura feſellit. Tellius magni vir animi, ſeruitij

Digitized by Google

tanti impatiens primus imperium ſpreuit, contemptíque mandati reus mox inuiſas dat pœnas. Filiorum, quorum eum amantiſſimum eſſe ſciebat præfectus, natu minimi ſupremis capillis pomum imponitur, meta futurum paternis ſagittis. Aut hoc, inquit præfectus, arcu deiicito, aut clandeſtina conſilia patefacito. Tellius conſiliorum eiuſmodi ſe conſcium negat, deprecatur facinus, ſed fruſtra; proinde aptat arcum, alterámque ſagittam thoraci infigit: neque eum peritia iaculandi deſtituit, decuſsítque fauente fortuna pomum. Tetigit vnà altius cor præfecti, qui & mox ſciſcitatus ex eo eſt, quid altera opus ſagitta fuiſſet? te, inquit Tellius, iſta manebat, ſi quid triſtius filio ab errante manu mea eueniſſet. Mouit liberior ſermo præfectum, Telliúmque vinciri iubet, neque multò pòſt naui impoſitum famoſos ad carceres per lacum auehi ſecum mandat. Contigit autem fatis ita volentibus, vt vehemens procella interitum vectoribus minaretur, nec ſuperabat ſpes niſi in Tellio rei nauticæ peritiſſimo. Ergo vinculis exutus ad clauum pergit, nauémque ad ſcopulum ſibi notum, littoríque vicinum appellit, in quem vbi viſum eſt fieri poſſe, ſaltu transmiſit, correptis priùs arcu & ſagittis, magnáque vi nauem in turbidas vndas retrò proturbat, & fuga moram inuenit. Eluctatur & ipſe tandē ex fluctibus præfectus,

éque

éque littore eques veſtigia Tellij perſequitur, nec multis pòſt diebus ab inſidiante profugo ſagitta conficitur, & Tellius euadit. Interfecto deinde etiam alio præfecto, & nobilibus partim exactis, partim cæſis, Tellius & Socij, vt ſeſe ſecuros prę̄ſtēt, imperatorem Bauarum in ſubſidium vocant; contrà verò nobilitas Auſtriacos ad arma concitat. Diſtinebatur Ludouicus per id tempus alibi bello, iubebat tamē bono illos animo eſſe, imperialíq. poteſtate præfectis, vt maleficio in illos abſtinerent, quin potius opem eis ferrent, mandauit. Hæc omnia anno 1314. contigere. Sed Ludouicus parum tum auditus fuit. Alio dein tempore eoſdem Heluetios denuo ad conſtantiam per literas incitauit, paternum eis pollicitus auxilium. Inſequente autem anno 1315. Leopoldus magnis copiis eorum montes intrauit, terrorémque latiùs intulit, quàm cladem. Ceſſit enim demum, cauſámque dedit vt æternum fœdus icerent, quod, vt Stumpfius tradit, Ludouici poſtea auctoritate firmatum eſt, vt & omnia ipſorum priuilegia anno 1316.

110. Hæc cùm ita ſeſe habeant ex teſtificatione auctoris, quem Bzouius ipſe producit, primò falſiſſimum eſt, Heluetios metuiſſe vim Bauari; nam is illos in tutelam recepit, auxiliúmque ſpopondit. Quod ipſum pariter tradit Genebrardus *an. 1315. de humanis §. 1. pag. 697. §. 3.* his verbis, *Cùm bella inter Ludouicum Bauarum*

 & Fri-

& Fridericum Auſtriacum pro imperio exarſiſſent, Heluetij præſertim Vri, Syluani, & Suitenſes ſoli (nam reliqui imperio ſubditi Friderico ſtudebant) Bauaro adfuerunt. Quare hic rebus bene geſtis, remunerationis loco αὐτονομίαν ab Henrico ſeptimo anteceſſore impetratam confirmauit, additis immunitatibus & poteſtate ſeſe perpetuo fœdere, defenſionis cauſa coniungendi. Quoniam verò initium confœderationis factum eſt in oppido Suitenſi, Suitenſium ſiue Suiſſorum nomen omnibus confœderatis eſt tributum. Hic ergo incipit Heluetiorum reſpublica.

III. Secundò apparet quàm accuratam chronologiæ rationem habeat Bzouius, qui res ante decennium geſtas, ad hunc annum 1324. referat. Taceo quòd reliquam memoratæ hiſtoriæ narrationem multiplici deprauatione corrupit, atque annalium Heluetìcorum ſcriptori, quem ſe ſecutum profitetur, quædam appoſuit, quædam ſubtraxit, quædam immutauit, vt qui ſuperiorem noſtram, multóque magis, qui ipſius Helueticorum annalium ſcriptoris narrationem cum Bzouiana compoſuerit, experietur.

ANNVS CHRISTI 1325.

Ludouici Imperatoris XII.

I. Bzo-

1. BZouius. *Cùm Leopoldus Auſtrius Ioanni ſummo Pontifici, non difficilem fore Caroli Regis Galliarum ad Regnum Romanorum aſſumptionem oſtenderet, facilè permouit Ioannem pacis Italiæ & Germaniæ cupientem, vt is eam in rem inclinaret. Itaque Carolo Pulchro mentem quorundam Principum Germaniæ per literas aperuit, néue ſuæ dignitati imprimis obeſſet, ſed eam vltro venientem amplecteretur, ádque tutelam iurium Eccleſiæ & vindicias inuaſorum Imperij ſeſe accingeret, admonuit. Legatum quoque vna cum* Leopoldo *ad eum deſtinauit, qui cuncta explicaret, & ad congreſſum cum Principibus Germaniæ perurgeret. Non procul à Confluentia Principes Eccleſiaſtici, Nuncij Pontificis & Regis Caroli vnà cum Leopoldo conuenerant, atque ſoli nauigio ſuper Rhenum conſcenſo, de Carolo in Regem Romanorum deligendo tractauerant. Aberant Duces Electores, neque Ioannes Rex Boëmiæ aduenerat. Poſt multa vltro citróque in commune collata, nihil potuit decerni, tum propter abſentiam Ducum Electorum, tum propter Bertholdum Bucheclicum, Magiſtrum Hoſpitalariorum Confluentinorum, quod eum ſummus Pontifex indignum Archiepiſcopatu Moguntino, poſt mortem fratris eius Matthæi iudicaſſet, ab eáque dignitate conſequenda impediuiſſet. Is enim Balduini Treuerenſis Archiepiſcopi & Ioannis Boëmiæ Regis auctoritate fretus, egit, ne Henricus* Col. 412. I.

Colonienſis, & Matthias Moguntinenſis Archiepiſcopi quicquam potuerint decernere. Reuertentem ex eo Comitio Priorem Toloſanum Ord. Hoſpitalariorum, Pontificium legatum, Baſileenſes impij ex Mariano luco in præterfluentem Rhenum præcipitem egerunt, & natatu euadere contendentem, in ipſo portu trucidauerunt. Albert. Argentin. in Chron. Cuſpin. in Lud. Bau. Villani l. 9. c. 268. Rebdorf. in annal.

Quia ſermo Bzouianus prolixior eſt, ſeruemus noſtrum ſolenne & ſit.

2. Primum pronunciatum. *Pontifex Carolo Pulchro Galliarum* Regi *ſcribit, ne ſuæ dignitati obeſſet*, nempe in recuſando imperio. Pontificis epiſtolam deſidero Bzoui, non tua verba, nam hæc ſæpe vana ſunt; nec facilè adducor vt credam Gallum per epiſtolam multis impellendum fuiſſe ad imperialem dignitatem admittendam: imò non Pontificem cum Gallo, ſed Gallum cum Pontifice egiſſe, vt ad imperium promoueretur, tradit Villanus.

l. 9. c. 268. *Galliæ rex*, inquit, *cum pontifice aliiſque Germaniæ proceribus tractare non deſiit; vt propter duorum in regem Germaniæ Electorum inter ſe diſſenſiones ipſe in regem* Romanorum *eligeretur. Hac eadem ſpe conuentum indixit Bari &c.* En, Bzoui, à rege ſollicitatum Pontificem, non à Pontifice regem.

3. Secundum pronunciatum. *Pontificem ad regem Galliæ cum Leopoldo legatum deſtinaſſe.* Iſthoc

verò,

Digitized by Google

verò, mi Bzoui, hoc anno non contigit, & obruo te teſtimonio tuo, nam conuentum, quem hîc ex Argentinate affers, iam ſuprà anno 1324. commemoraras, quando ſcripſiſti Pontificios Legatos cum Leopoldo ad Barium caſtrum profectos, vt cum rege Gallo tractarent. An hoc anno rurſum indictus conuentus Barium? ita Bzouius refert ex Nullo. N. XVIII.

4. Tertium pronunciatum. *Principes Eccleſiaſticos nuncios, Pontificis & regis Galliæ, Leopoldúmque non procul à Confluentia, conueniſſe.* Et hîc tibi aqua hærebit Bzoui, ſi demonſtrare voles hoc Chriſti anno Principes conueniſſe prope Confluentiam: Villanus nihil de hoc, ſed alio alîus anni, hoc eſt, præcedentis conuentu ſcribit. Mutius tuus de hoc anno mutus eſt, vti & Albertus & Cuſpinianus; quis Bzouio hunc annum ſuggeſſit? Fortaſſe Bzouius mihi Rebdorfium obiiciet, qui anno 12. Ludouici Principes conueniſſe ſcribit. Sed in primis duodecimus Ludouici annus apud Rebdorfium idem eſt cum anno 1326. nam ego aliter, & aliter Rebdorfius annos Ludouici numeramus. Ego enim tres imperij menſes primos, quia poſtremi ſunt, pro primo anno computo, non verò Rebdorfius. Secundò, more ſuo aberrat Bzouius; nam Rebdorfius, quem hoc loco teſtem laudat, non agit de conuentu illo haud procul Confluentia habito, ſed de alio quopiam; quod ne vanum Bzouius

uius appellet, ex ipſo Bzouio demonſtro, nam in hoc §. Bzouius ait, Ioannem Regem non adueniſſe, & tamen Rebdorfius hoc diſertè ſcribit, *Et* p.423.45. *cùm in termino condicto præſentes* * *conueniſſent Domini* *Principes. *Waldeuinus Treuerenſis Archiepiſcopus, & Iohannes Rex Boëmiæ, huius* legati Apoſtolici *propoſitum impediuerunt, & ſic legatus reuerſus eſt in fine.* Fuit ergo alius conuentus iſte Rebdorfenſis ab illo, qui ad Rhenum habitus eſt.

5. Quartum pronunciatum. *Duces Electores abfuiſſe & Ioannem regem Boëmiæ non aduenisse.* Hoc crediderim; vt & hoc, quod Bzouius contra ſuum Rebdorfium, qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa etiam præſens videbat, tam egregiè pugnet; nam is, vt iam dictum, ſcribit Boëmum adfuiſſe præſentem.

6. Quintum pronunciatum. *Nihil potuiſſe decerni propter Bertholdum Bucheclicum Magiſtrum hoſpitalariorum Confluentinorum, quòd eum ſummus Pontifex indignum Archiepiſcopatu Moguntino poſt mortem fratris eius Matthæi iudicaſſet, ab eâque dignitate conſequenda impediuiſſet.* Planè pudor eſt, Bzoui, te tanti hiſtorici nomine ſuſcepto tam parum intelligere in veterum monumentis. Verum quidem eſt, Bertholdum de Bucheck (quem tu Bucheclicum, ſicut ſæpe Rebdorfium Radborfium iucundo in vocabulis germanis latrocinio nomi-

nominas) diſturbaſſe conſilia Principum, qui tunc in Rens conuenerant; ſed Bertholdum ideo impediuiſſe, quòd eum ſummus Pontifex poſt mortem fratris eius Matthiæ, quem tu perperam Matthæum dicis, Archiepiſcopatu iudicaſſet indignum, lapſus tuus eſt minimè ferendus; neque enim hoc quiſquam præter te commemorauit. Sed Bertholdus, quia legato Pontificio, cæteríſque, qui Gallum Romanorum Regem volebant, impedimento fuit, poſt mortem fratris Matthiæ (qui adhuc viuebat, & in hoc conuentu aderat, te ipſo teſte) ab Ioanne ad ſedem Moguntinam non eſt admiſſus, prodidit enim eius conſilium Moguntinenſis Decanus Secretariis Papæ. Audiamus ipſum Argentinenſem, quem Bzouius tot annorum ſcriptor non intellexit.

7. *Conuenerunt*, inquit, *& Principes Eccleſiaſtici, nuncij Papæ & Franci, ac Lupoldus in Rens prope Confluentiam, ac ſoli ducti ſuper Rhenum in naui, diu tractauerunt de Franco in Imperatorem promouendo. Sed per fratrem Berchtoldum de Buchek, Commendatorem domus Teutonicorum in Confluentia, fratrem Domini Matthiæ Moguntinenſis Archiepiſcopi principaliter extitit impeditum: de quo cũ ſecretariis Papæ Ioannis decanus Moguntinenſis detulit; quod ipſum poſt mortem Matthiæ Moguntini, ab ipſius fratris Berchtoldi prouiſione retraxit. Re-* pag. 123. §. penult.

 uerſa

Digitized by Google

uerſæ ſunt autem prædictæ ciuitates Alſatiæ à Ludouico ad Lupoldum, nomine fratris ſui captiui, & creuit potentia Lupoldi, qui aliquoties ſcribens Franco, vel Papæ, tali titulo vtebatur : Lupoldus Dei gratia, *Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & Morauiæ dux, dominus Carniolæ, & portus Naonis, Comes in Habſpurg & in Kiburg, & Lantgrauius ſuperioris Alſatiæ.*

8. Porrò quare tu Bertholdum Magiſtrum Hoſpitalariorum Confluentinorum nominas? Argentinas eum Commendatorem domus Teutonicorum in Confluentia indigitat. Verùm quid quæro cur hoc facias? licēt tibi quæ libent. Hoſpitalarij & Teutonici ijdem ſunt Bzouio, ſed Bzouius non idem vbique ſibi. nam anno 1235. Hoſpitalarios à Teutonicis diuerſos facit. N. VIII.

9. Sextum pronunciatum. *Is* Bertholdus *Balduini Treuerenſis Archiepiſcopi, & Ioannis Boëmici auctoritate fretus, egit ne Henricus Colonienſis & Matthias Moguntinus quicquam potuerint decernere.* Semper in peius laberis Bzoui? quis tibi auctor eſt, quare memoriæ prodas, Bertholdum Treuirenſis Bohemíque auctoritate fretum impediiſſe Colonienſem & Moguntinum? ede, ede auctorem. Deinde ſodes edicito, quî impediuit Bertholdus Moguntinum Matthiam? Bertholdus eo tempore, ſi tibi credimus, cordolium in ſinu geſtabat, quòd poſt mortem huius Matthiæ fratris ſui ex-

cluſus

Digitized by Google

cluſus fuiſſet ab Epiſcopatu Moguntinenſi, ideò Gallo Romanum imperium cupienti, pontificióque legato pro Gallo molenti, ſeſe oppoſuit. O quàm grande ſcelus, vel impedire Electorem mortuum, ne Gallum imperatorem decernat; vel Pontificis vindicare repulſam, antequam ferat.

10. Septimum pronunciatum. *Reuertentem ex eo comitio Priorem Toloſanum Ord. Hoſpitalariorum Pontificium Legatum Baſileenſes impij ex Mariano luco in præterfluentem Rhenum præcipitem egerunt & natatu euadere contendentem in ipſo portu contrucidarunt.* Fateri debeo multiſcium eſſe Bzouium, & ſuperare ſuos auctores: nouit certè comitiis Rhenanis ad Confluentiam interfuiſſe Priorem Toloſanum, quod nemo alius ex iis quos teſtes laudat, nouit: nam vt ſupra oſtendi, Rebdorfius affirmat quidem hunc Priorem a Iohanne Pontifice legatum fuiſſe in Germaniam, ſed non affirmat eum ad hunc conuentum fuiſſe miſſum: imò ſi Bzouius hunc conuentum ab Rebdorfio vult intellectum, tunc concedat neceſſe eſt, ſeſe ſibi contrarium, nam Duces Electores, Regémque Bohemum ab eo abfuiſſe ſcribit Bzouius, Rebdorfius autem eos præſentes fuiſſe aſſeuerat. Audiamus Rebdorfium.

11. *Eo tempore*, inquit, *Papa Ioannes miſit quendam legatum in Alemaniam, priorem de Tholo-* pag. 423. §. antep.

loſa, de ordine Hoſpitalariorum, mandans Principibus Electoribus & principaliter dominis Henrico Colonienſi, & Matthia Moguntino Epiſcopis (de quibus ſpecialiter confidebat) vt alium Regem *eligerent.*
*Principes. *Et cùm in termino condicto præſentes * conueniſſent domini* W*aldeuinus Treuerenſis Archiepiſcopus, & Ioannes*, Rex *Boëmiæ, huius propoſitum impediuerunt, & ſic legatus reuerſus eſt ſine fine.*

12. Secundò, quis Bzouio nunciauit hunc Priorem reuertentem ex comitiis, Baſileæ in Rhenum præcipitatum? fortaſſe Baſileam nunquam vidit, aut ſi vidit, ſaluus vidit & receſſit; nam Rebdorfius ait, eum *reuerſum eſſe ſine fine.* Si Baſileæ in Rheno mortem bibit, quomodo reuerſus eſt? Argentinenſis, Cuſpinianus, Villanus, nullam, neque huius Prioris, neque tanti facinoris mentionem faciunt: vnde ergo eructat illud Bzouius.

Hiſt. Helnet. parte 2. p. 397. §. vlt. 13. Stumpfius quidem refert nuncium quendam Apoſtolicum Rheni fluctibus hauſtum, ſed nullum Priorem Toloſanum nominat. Sermo eius ex Germanico in Latinum verſus hic eſt; libet enim interpretem Bzouij cauſa agere. *Cùm imperatori Ludouico è cœtu piorum proſcripto Baſilea nihilominus adhæreret, miſit Pontifex virum Eccleſiaſticum cum ſeuerioribus mandatis, literiſque anathema in Cæſarem denunciantibus, valuis publicorum locorum ſuffigendis. Sed plebs irritata, nuncium pone*

pone ſummum templum in præterfluentem Rhenum præcipitem dedit, cúmque is nando ſalutem quæreret, hoſtes in cymbulas inſiliere, nantémque aſſecuti ipſis in aquis trucidauerunt. Hæc Stumpſius ex Iohanne de Winterthur Monacho. Incidit hæc tragœdia in tempora Gebhardi Epiſcopi Baſileenſis, qui eodem auctore diē obiit anō 1325. & credibile eſt, illam anno 1324. contigiſſe, quo paſſim contra Ludouicum bullæ publicabantur. Sed Lector obſeruet, quàm bellè cum Stumpſio conſentiat Bzouius. Stumpſius ait, hunc nuncium ad Baſileenſes miſſum, & quidem cum decretis pontificiis; Bzouius dicit eum rediiſſe ex comitio Rhenano. Stumpſius innominati nuncij mentionem facit, Bzouius nomen prodit, quod ipſe illi indidit, & vocat Priorem Toloſanum Ordinis Hoſpitalariorum. Stumpſius ait, eum trucidatum in aquis; Bzouius dicit, in portu. Vtinam ipſe foret in portu figmentorum.

14. Sed iam contemplemur auctores Bzouianos. Primus eſt Albertus Argentinas, qui ſolus conuentum iuxta Confluentiam deſcribit, ſed non more Bzouiano, vt iam viſum. Secundus eſt Cuſpinianus, vt dicit Bzouius, in Ludouico Bauaro; ſed ibi ne apicem quidem reperiet, in Friderico tamen meminit huius conuentus. Tertius eſt Villanus, cui nihil videtur de his comitiis conſtitiſſe, p. 123. §. penult.

quia nihil penitus ſcribit, loco à Bzouio nominato; ſolùm narrat conuentum ad Barium caſtrum
L. 9. 261. inſtitutum anno 1324. non autem hoc anno 1325. libet totum caput, quia breuiculum eſt, attexere.

15. *Eodem anno*, inquit, *cùm Galliæ Rex Carolus ſpe defraudatus eſſet, cum pontifice aliíſque Germaniæ proceribus tractare non deſiit, vt propter duorum in Regem Germaniæ electorum inter ſe diſſenſiones ipſe in Regem Romanorum eligeretur. Hac eadem ſpe conuentum indixit Bari extra Albam in Burgundia in imperij confinibus, quo Rex Boëmus affinis ſuùs, maiórque Electorum imperij pars, multique proceres, præſuléſque Germaniæ conuenire debebant; & cum ipſe dicto die parlamenti ſeu colloquij cum multis Baronibus illuc veniſſet, neminémque prædictorum procerum præſulúmque, præter Leopoldum Auſtriæ ducem ibi reperiſſet: magna id ſibi ducens ignominia, ſummo dedecore ab incepto ſuo abiens, cum ſe à Baronibus Alemanniæ deluſum videret, in Galliam reuerſus eſt.* Hæc Villanus, in quo cupio mihi à Bzouio oſtendi conuentum ad Confluentiam. Nimium poſtulo, quia Bzouius nimium ſcripſit.

Col. 461. I. §. 2. poſt m. 16. Bzouius. *Iſtud tantùm Leopoldus effecit, vt Alſatiæ ciuitates à Ludouico Bauaro defecerint, ſeſéque illi pro Friderico eliberando laboranti permiſerunt, quorum poſtea auxiliis fretùs, Ludouici Bauari animum inclinauit, ſiue adeo fregit, vt is de Fride-*

rico

Digitized by Google

rico excarcerando cogitarit. Mutius hiſtor. Germ. lib.24.

17. Rurſus ſpecimen edit Bzouius, quomodo auctores adducat. Mutius hoc habet, *Quare* p.227.50.
cum armis magis quàm antea infeſtaret Ludouicum Leopoldus, *& incenderet multa, multos caperet, nec vſquam tutus ab eo eſſet imperator, inſidiis vbique ſtructis induſtria & ſolertia* Lupoldi *ingenioſiſsimi ad excogitandos dolos in hoſtem;* Ludouicus *dimiſit Fridericum tandem.* Monſtret mihi in his Mutij verbis Bzouius ſua; vbi de Alſatiæ ciuitatibus quidpiam? vbi illud, *quorum auxiliis fretus, Bauari animum inclinauit, ſiue adeò fregit?* Quid videtur Lectori de diligentia tanta hiſtorici noſtri? Argentinenſis quidem refert ciuitates Alſatiæ ad Leopoldum reuerſas, nomine fratris ſui Friderici captiui & auctam Leopoldi potentiam; ſed reliqua Bzouiana non refert.

18. Bzouius. *Extremis diebus Octobris conue-* Col. 463. 11.
nit inter eos, vt primò Fridericus appellationi ad ſummum Pontificem interpoſita renunciaret, neque vnquam in poſterum ad ſedem Apoſtolicam prouocaret. Secundò ſuffragia à principibus Electoribus olim ſibi collata in Ludouicum Bauarum transferret, adeòque vniuerſo iure in Regnum & Imperium Romanum *ſeſe exueret. Tertiò adminiſtrationem Germaniæ per abſentiã Ludouici ſuſciperet, ſed ne vnquam Italiam,*

aut

Digitized by Google

*aut inſignia imperij, aut exambiret, aut cogitaret, Quartò Leopoldus inſignia imperij reſtitueret, neque quippiam amplius nouaret, ſed Ludouico in Italiam concedenti comes titulo præfecti exercituum eſſet. Quintò, Fridericus nulla ſe vi coactum, ſed ſponte conditiones ſancire & approbare iuraret. * Sextò, iniuriarum perpetua obliuio eſſet. Septimò, damna vtrinque illata tolerarentur, neque eorum nomine agere liceret. Octauò Principes Electores, & reliqui proceres imperij ea pacta fœdera accepta haberent. Ad eum modum omnibus ſtabilitis, Fridericus quidem anno ſubſequente euaſit. Caterùm Principes præſertim Eccleſiaſtici nec quicquam iuri ſuo derogare volentes, Pontificis & Caroli Regis Galliarum exhortationibus admoniti, eas pacis conditiones ratas eſſe noluerunt. Quòd Ludouicus nullo iure eam dignitatem exambiret; & ſi quod ex diſcordi electione acquiſiuerat, illud propter cenſuras Eccleſiaſticas amiſiſſet; neque Fridericus in eum quicquam conferre potuiſſet, cùm ſuffragia Electorum tantùm deſignarent Regem, atque Imperatorem futurum, non verò deſignato facerent poteſtatem ſeſe dignitate collata exuendi, eámque in alium transferendi. Villan. l. 9. c. 315. Cuſpin. in Bauaro, Mutius & Albert. ſup.*

Neſciebam Bzouio id iuris eſſe, vt inter duos ſummos Principes reſciſſis veteribus conuentis, noua pacta ſanciret.

19. Pri-

Digitized by Google

19. Primum pronunciatum. *Conuenit inter eos, vt Fridericus appellationi ad ſummum Pontificem interpoſitæ renunciaret, neque vnquam in poſterum ad ſedem Apoſtolicam prouocaret.* Hanc conditionem ſi omnes Bzouij auctores excuſſeris, non inuenies, inuenies autem in *Bzouio*, qui ante trecentos annos pone tapetem ſtabat, & quæ inter duos principes agebantur, conſignabat, quòd parum fideret tabellionibus regiis. Quis de appellatione non ampliùs interponenda verbum adfert *Bzoui*? Dic *Bzoui*, noſti enim multa dicere, imò nimium.

20. Secundum pronunciatum. *Suffragia à Principibus Electoribus olim ſibi collata in Ludouicum Bauarum transferret, adeoque vniuerſo iure in Regnum & Imperium Romanum ſeſe exueret.* Hoc pronunciatum duo membra habet, prius ex Villano deſumptum, tum ex literis reconciliationis poſtea adferendis, tum ex hoc redarguitur, quòd Ludouicus votorum in Fridericum collatorum indigus non erat, vt per vim emendicaret: qui paucioribus eligi poterat, vtique non fuit, cur plura quæreret. Alterum membrum credo equidem verum eſſe, & poſtulatum, vti Fridericus omni ſeſe iure, quod ad imperium prætexebat, exueret.

21. Tertium pronunciatum. *Adminiſtrationem Germaniæ per abſentiam* Ludouici *ſuſciperet, ſed*

ne vnquam Italiam, aut inſignia imperij, aut exambiret, aut cogitaret. Prima huius pronunciati pars ex Villano rurſus rapta, ſed pro ſolenni paululùm l.9.c.315. mutata. Nam Villanus ita loquitur, *Alio deinde conuentu inter ſe conuenerunt, vt Bauarus Italiam peteret, ſecúmque* Leopoldum *de Auſtria tanquam Vicarium ſuum generalem duceret, Auſtriacus verò Germaniæ rex maneret.* Hæc Villanus, parùm pro Bzouio; nam aliud eſt per abſentiam Ludouici Germaniæ adminiſtrationem ſuſcipere, aliud Germaniæ regem manere: prius Fridericus poterat etiam Vicarij titulo. Vicarius autem & Germaniæ rex, ſi non apud Bzouium, ſaltem apud prudentes duo ſunt.

22. Quartum pronunciatum. *Leopoldus inſignia imperij reſtitueret, neque quippiam amplius nouaret, ſed Ludouico in Italiam concedenti comes titulo præfecti exercituum eſſet.* De inſignibus Imperij reddendis nihil in hac pactione cautum tradit Villanus, reliqui verò auctores tui eadem Imperij inſignia, antequam ad hæc pacta deuenirent, iam per Leopoldum reſtituta docent. Leopoldum deinde ex Vicario Ludouici generali (quo modo eum nominat Villanus, qui ſolus hanc rem memorat) in præfectum exercituum, qui minus poteſtatis habet, quàm Vicarius generalis, transformas.

23. Quin-

23. Quintum pronunciatum. *Fridericus nulla ſe vi coactum, ſed ſponte conditiones ſancire & approbare iuraret.* Cùm Bzouius mihi aperuerit, vnde hoc deſcripſerit, nominabo ego lectori auctorem, quem Bzouius omittit, nam ex quatuor ipſius nullus habet.

24. Sextum pronunciatum. *Iniuriarum perpetua obliuio eſſet.* Et hæc conditio auctore careret, ſi Bzouio careret. Vero ſimillimum eſt hanc interueniſſe, ſed Bzouio hiſtoria ex auctoribus memoranda eſt, non ex ſuo cerebro cum falſo auctorum prætextu.

25. Septimum pronunciatum. *Damna vtrinque illata tolerarentur, neque eorum nomine agere liceret* Et hîc Bzouius ſcribit, quid fieri potuerit, non quid factum ſit; culpa penes auctores eſt, qui non omnia ſcripſere, ſatis eſt, ſi Bzouius omnia ſciat.

26. Octauum pronunciatum. *Principes Electores & reliqui Proceres imperij ea pacta fœdera accepta haberent.* Rurſus in abſentis auctoris locum Bzouius venit: quid autem Bzouiana auctoritas valeat, iam notum eſt. Ede auctorem Bzoui, tui nihil dicunt.

27. Nonum pronunciatum. *Ad eum modum omnibus ſtabilitis Fridericus ſequenti anno euaſit.* Neque ad eum modum, neque ſequenti anno Fridericus euaſit; nam conditiones à te allatæ magna

Digitized by Google

ex parte confictæ ſunt, & Fridericus hoc anno cuſtodia exceſſit, non ſequenti; vno enim anno citius pugnatum eſt ad Müldorfium (vbi Fridericus in poteſtatem Cæſaris Ludouici venit) quàm tu ſenſeris & ſcripſeris. Demus deinde liberatum Fridericum anno ſubſequente, quæſo quo tempore? Tu ſuprà aiebas, eum carcere, quem tua ſententia ſubiit anno 1323. attentum fuiſſe perpetuo triennio; quòd ſi anno demum vigeſimo ſexto inter captos eſſe deſiit, efficitur certè eum ante Septembrem eiuſdem anni non fuiſſe libertati reſtitutum, alioquin non conficeretur tuum perpetuum triennium. At in Martio liberatum fuiſſe, ex ipſorũ Principum literis poſtea mihi deſcribendis elucet. Deinde quis credat, *Bzoui*, Friderico, omnib⁹ iam ſtabilitis, vt tu loqueris, nihilominus adhuc ſeſſitãdum tamdiu fuiſſe in fatali illa arce pręſidio hoſtili ſepta? nam cùm conuenerit inter illos, vti tu refers, extremis diebus Octobris anni 1325. vtique intercurrerunt vndecim menſes afflicto principi etiam poſt pacem exantlandi.

28. Sed quæſo ignoſce mihi, *Bzoui*, cogor in aurem tibi loqui, & quærere, an aliquis tuorum auctorum tradat, Fridericum ſequenti demum anno, id eſt, vigeſimo ſexto liberatum! Cuſpinianus, Mutius, & Albertus ſilent omnino, Villanus lo-
Cap. 315. quitur ſed contrà te; nam Fridericum anno 1325.
circa

circa finem Octobris liberatum ſcribit. Ita profectò, *Bzoui*, cum tuis auctoribus conuenis, vt ipſi aliud ſcribant, & tu aliud obgannias.

29. Decimum pronunciatum. *Principes præſertim Eccleſiaſticos necquicquam iuri ſuo derogare volentes, Pontificis & Caroli Galliarum regis exhortationibus admonitos, eas pacis conditiones ratas eſſe noluiſſe.* Hoc pronunciatum ex parte *Bzouius* ex Villano ſuxit, qui ſic ſcribit, *Conuentioni huic* (quã *Ibid.* Villanus, non quam *Bzouius* deſcribit) *Electores imperij à Pontifice, regéque Galliæ rogati contradixerunt.* Ita Villanus, qui hoc ex fama ſumpſiſſe videtur, nam hiſtorici Germani id non referunt, nec fieri potuit, nam cùm quinque Electorum à Ludouico ſtarent, non fuit cauſa quare pacta hęc Principum infringerent, præſertim cùm ea eſſent pro illo Principe, quem ipſi deſignarant; obmurmurarint alij, qui Ludouico non fauere, nihil intereſt; murmurauere etiam cùm Ludouicus eligeretur. Sed ai ſodes, cur rurſus Villanum auxiſti? Villanus ait, *Electores*, tu *Principes*, quaſi non ſoli Electores, ſed etiam alij principes aduerſati fuerint. Villanus ait, *Electores contradixiſſe*; tu orationem tam ieiunam & breuem non fers, ſed numeroſiorem reddis additamentulo, *præſertim Eccleſiaſticos necquicquam iuri ſuo derogare volentes:* quaſi verò Eccleſiaſtici ante alios ſtomachoſi fuiſſent, & laboraſ-

boraſſent tuo morbo. Villanus ait, *rogatos*, tu *admonitos*.

30. Vndecimum pronunciatum. *Principes Electores has pacis cōditiones ratas eſſe noluiſſe, quòd Ludouicus nullo iure eam dignitatem exambiret, & ſiquid ex diſcordi electione acquiſiuiſſet, illud propter cenſuras Eccleſiaſticas perdidiſſet.* Odio Ludouici inſanus videris Bzoui, quia ſine mente, imò contra mentem verba profundis, nam ex nullo iſta deſcribis, ſed ex liuido tuo pectore vomis. Anne is nullo iure imperium ſibi vendicat, non dicam tecum exambit, cui id collatum eſt quinque Electorum ſuffragiis? & attuleréne hanc cauſam, cur reſcinderent pacta Principū, Electores? quæſo, qui fuere hi Electores? Eccleſiaſtici præſertim fortaſſe? è quo cælo accepiſti tu hunc nuncium? quis inſtillauit tibi? Bzoui⁹ Bzouio ſalutem dicit & talia nunciat. Item Electores idcircò noluiſſe pactis conſentire, quòd Ludouicus id iuris, quod ex diſcordi electione haberet, amiſerit per excommunicationis ſententiam; Bzouiana fabula eſt, neque vllius auctoris calculo firmatur, imò vt infrà patebit, Electores pro Ludouico ſtetere.

31. Duodecimum pronunciatum. *Electores conuentis Ludouici, Fridericíque contradixiſſe etiam, quod Fridericus in illum nihil conferre potuerit.* Villanus hoc pronunciatum ſubindicat, ſed vt ſuprà dixi,

Digitized by Google

dixi, fallitur; quia Ludouico opus non erat vlla votorum collatione, abunde per ſe diuiti.

32. Hactenus Bzouium cum ſuis teſtibus ſiue vera, ſiue falſa dicentibus commiſimus; nunc placet etiam eorundem teſtium inconſtantiam luſtrare. Primus eſt Villanus, qui in hac pacificatione varius, imò ſibi ipſi aduerſus. Nam ſuprà c. 315. hoc anno 1325. Fridericum ea lege è cuſtodia fuiſſe liberatum ſcribebat, vt Bauarus Italiam peteret, ſecúmque Leopoldum de Auſtria tanquam ſuum vicarium generalem duceret, Auſtriacus verò Germaniæ Rex maneret. At verò c. 193. anno 1322. longè aliter ſcripſerat, nempe hoc modo, *Ludouicus Bauarus electus Romanorum Rex, conuocatis in Germania omnibus imperij Proceribus, comitia celebrauit, in quibus facta cum Friderico Auſtriaco pace, eundem dimiſit ex carcere, & ſub certis pactis & forma ſacramenti adhibita, ne ſcilicet in poſterum nomine & titulo Regis* Romanorum *vteretur, nec quicquam ampliùs contra eum moliretur (quibus tamen promiſſis non diu ſtetit) libertati reſtituit.* Hæc Villanus, cuius verba vbi conſpirauerint, ſciam ego quid credere debeam; iam autem non ſatis intelligo, quomodo Fridericus Germaniæ Rex eſſe potuerit, & non ſimul Rex Romanorum, cùm iſta duo multis iam ſeculis connexa fuerint. Sed eſto, potuerit Fridericus Rex eſſe Germanorum, non Romano-

manorum; liberari certè bis è cuſtodia non potuit, qui non bis, ſed ſemel tantùm captus fuit. Taceo quòd Villano Fridericus anno 1322. è cuſtodia liberatus fuit, quo anno is Bzouio necdum captus fuit. Quid ergo contra originales, quas vocant, Ludouici ac Friderici literas poſtmodum à nobis adferendas credendum Villano ſecum tantopere pugnanti?

33. Cuſpinianus alter è tuorum cohorte Bzoui, magis adhuc varius eſt, ac ferè quãtus quantus eſt, contra te ſentit, loquitúrque in Friderico Auſtriaco, non verò in Ludouico, vti tu ſueta tua
p.461.30. diligentia ſignas. Eius iſta ſunt, *Licet annales viderim, quibus traditur Ludouicum è captiuitate liberaſſe Fridericum ſine omni fideiuſſoria cautione, ſine pecunia; quòd per ipſum ſperaret & gratiam ſummi Pontificis, & Leopoldi fratris fauorem ſeſe aſſecuturum, & ideo ambos Reges vnitos.* Ac paulò pòſt,
v.41. *Cùm autem triennio in cuſtodiis maceratus eſſet Fridericus, tandem perſuaſione cuiuſdã Prioris Carthuſienſis Ludouicus Fridericum remotis omnibus arbitris liberat, pramiſſis quibuſdam conditionibus iureiurando, ac dehinc literis corroboratis, vt quidam ferunt. Expreſſum in his fuit, vt vterque, quoad viueret, regio vteretur titulo, Fridericus autem Italiam non accederet, ſed hanc liberam Ludouico permitteret, neque ius aliquod peteret à Pontifice pro hac aſſe-*

aſſequenda; quod inuiolabiliter obſeruauit, etiamſi Ioannes XXII. Cleménsque VI. Pontifices crebrò illum in Italiam pro imperiali aſſequenda corona euocarent. Richardus multas alias & quidem enormes tradit factas pro concordia paciſcenda conditiones; quanquam & ipſe promiſsionibus illis minimè ligatum aſſerat Fridericum regem.

34. Neque his variis contentus variorum narrationibus Cuſpinianus, alibi affert binas literas Germanicas, vnas anni 1325. alteras anni 1326. Priores latinitate non tam eleganter, quàm fideliter ac ferè ad verbum donatæ ita ſe habent. *In Auſtria p. 638.*

Nos Ludouicus & Fridericus Dei gratia Romanorum Reges *ſemper Auguſti, notum facimus omnibus has literas viſuris, aut legi audituris, quòd in nomine Dei ad Dei & Sanctorum eius laudem, Eccleſiæ Romanæ honorem, Romani Imperij vtilitatem & ſanctæ Chriſtianitatis pacem ac defenſionem, iuxta ſapientum atque doctorum virorum, clericorum ac laicorum conſilium & informationem, nos inuicem reconciliauimus & confœderauimus in perpetuum, ea lege, vt Romanum Imperium, ad quod ambo electi & conſecrati ſumus, cum omnibus ſuis dignitatibus, honoribus, iuribus, hominibus atque bonis, & quidquid habet, & ad illud pertinet, in vniuerſo mundo pariter tanquã vna perſona, vnus nõ melius, quàm alter, nec plus, aut minus poſsideamus, habeamus, procuremus &* *An. 1325.*

ſ admi-

adminiſtremus. Volumus etiam nos inuicem adiuuare perpetua fide, vindicando, laborando, ſatagendo, loquendo, agendo, & cum omnibus, atque in omnibus rebus, quouſque noſtrum corpus & bona perdurant, contra quoſcunque; ac debet alter alterum non deſerere, nec ab ipſo diſcedere, ſi alteri peculiaria negotia fierent, ſecularia, aut ſpiritualia: ſed cauſa vnius eſto etiam alterius, in omni loco & in omni neceſsitate. Debemus inſuper malum & bonum, emolumentum & damnum pariter æſtimare omnibus in rebus; parem quoque dignitatem habere in viis, in Eccleſiis, & in omni loco; & nos ambos Romanos Reges & Auguſtos ſcribere & nominare, & nos fratres vocare & ſcribere inuicem, atque etiã ceu fratres gerere. Et qui ex nobis alteri ſcribit, is eum præponat; cùm verò ſcribimus ambo ſimul priuilegia, vel literas, tum præponat ſe hic hodie, ille cras; vt in hoc prærogatiua ſit nulla. Cùm agit vnus noſtrûm quippiam altero abſente quacunque in re, id agat alterius & ſuo nomine, illúmque præferat, vt non animaduertatur, actum eius eſſe meliorem, qui eum perficit, quàm alterius, quandoquidem actiones vtriuſque noſtrûm indiuiſæ fieri debent in omnibus rebus. Debemus etiam duo noua ſigilla facere, in quibus ambobus vtriuſque noſtrûm nomina ſcripta ſint, & in noſtro Regis Ludouici ſigillo debet Regis Friderici nomen præcedere, ſicut in noſtro Regis Friderici ſigillo debet Regis Ludouici

*uici nomen præire; & debent ſigilla eiuſdem magnitudinis, forma, & literæ eſſe. Quæ maiora feuda, vtpote regna, principatus, comitatus, & quæ alias maiora feuda ſunt, ad Imperium deuoluuntur, ea debemus ambo ſimul conferre, non alter abſque altero. Alia ſecularia feuda & Eccleſiaſtica, præpoſituræ, eccleſiæ, quomodocunque nominentur, ſi vacent, eáque alteruter conferat ex nobis, alter ratum habeto, & firmum. Si autem ſimul conferamus feudum; qui inueſtituram prius conſequitur, is acquirit feudum. Et in ſecularibus feudis, quæ vacant, alteruter, qui ex nobis ea confert, homagium pro feudo ita recipiat, vt nobis ambobus iuretur, & præponatur in iuramento, qui non eſt præſens. Vaſallum item ad alterum dirigat, quàm primùm eum adire poterit, vt feudum ab eo quoque accipiat. Quodſi verò Eccleſiaſticus, aut ſecularis princeps, prælatus, vel dominus, qui ſua feuda ab Imperio accipere tenetur, ab altero noſtrûm acciperet; is homagium ab eo recipiat, cúmque ad alterum dirigat, ſicut ſuprà ſcriptum eſt. Alter noſtrûm abſque altero, non debet, nec poteſt Imperij ciuitates, caſtra, munitiones, dominia, terras, & homines, & quidquid tam magnum eſt, alienare, neque oppignerare, neque res valde magnas pertractare. Si proficiſcatur vnus ex nobis in Italiam, huic debet alter mandatum ſuum eò tradere, & iſte huic hîc (*in Germania*) relinquere ſponte. Quidquid etiam vnus no-*

ſtrûm in poſterum facit, hoc debet alter ratum habere, & confirmare ſuis literis. Quidquid autẽ antea vterque noſtrum fecit, donãdo, feuda cõferendo, prouidendo, oppignerando, & quocunque alio modo ſiue in ſecularibus, ſiue in Eccleſiaſticis rebus, in quibus poteſtatem habet, id firmum eſto omnibus, niſi id communi conſilio & voluntate in melius ad Imperij vtilitatẽ mutare poßimus; & nominatim quidquid nos Rex Ludouicus erga noſtrũ filium Marchionẽ Brandenburgenſem, & erga noſtrũ generum Marchionẽ Miſnenſem feuda principatuũ, aliáque eis conferendo fecimus, ratum & firmum eſto. Si vtrinque rẽ aliquam & bonum quodcunque duobus vel pluribus dedimus, in feudũ contulimus, oppignerauimus; quicunque poſſidet hoc & euicit, penes illum maneto. Omne quoque, quod alteruter noſtrûm de Jmperio poßidet, aut deinceps acquirit, terras, homines, aut quiduis aliud, id alteri ſubiiciat; & quicunque vni iurauit vel iurat, is alteri quoque iuret, ſiue ſit Princeps ſecularis, ſiue Eccleſiaſticus, Comes, Liber, Vaſallus, ciuitas, oppidum, clericus ſiue laic⁹; & quiſquis vnius noſtrũ amicus eſt & fautor, alterius quoque amicus & fautor eſto: *qui verò hoc denegauerit, contra hunc debemus nos inuicem iuuare pro viribus, vt ille vel illi cogãtur. Debemus quoq; nos ambo eundem iudicem Curiæ, & eundẽ ſcribã Curiæ habere, vt noſtrum iudicium indiuiſum ſit; & hi debent per dimidium annum, vel per*

quartam

Digitized by Google

quartam anni partẽ modò apud vnũ, modò apud alterum noſtrûm per vices manere; & quidquid coram vno ex nobis iudicabitur, hoc erit corã altero ratũ; & quod inchoatur corã vno, hoc poteſt finiri corã altero, & viciſſim reaſſumi, quotieſcunque termini elabuntur; & quiſquis ab vno noſtrûm bannitur, is poteſt coram altero abſolui, ſiquidem vnum eſt iudicium & vnus iudex. Quicquid etiam corã nobis iudicatũ eſt inter eos, qui nos pro Regibus habebant, hoc debet ex vtraque parte ratũ eſſe & ad finẽ perduci; quidquid autẽ nos Rex Fridericus contra illos, qui Regis Ludouici partes ſequebãtur, ad noſtrorum actionem; & nos Rex Ludouicus viciſſim contra Regis Friderici ſectatores ſuper noſtrorum poſtulationem iudicauimus, hoc eſt vtrinque caſſũ, & debet quilibet in poſterũ ab altero ius petere, & facere ſuper hac omnia, in omnibus rebus, dignitatibus, honoribus, in omnibus terris totius orbis, ad omnia iura & dignitates, circa res omnes, erga Principes Eccleſiaſticos vel ſeculares, Comites, Liberos, ciuitates, diuites & pauperes, nobiles & ignobiles; quib⁹ omnibus ſumus paris poteſtatis & dominationis, adeò vt neuter noſtrûm prior vel poſterior, ſuperior vel inferior ſit in omnib⁹, quæ Imperiũ habet; & debemus nos ambos tanquã vn⁹ vir opponere, ſi cõtra nos vel alterũ ex nobis in ſpiritualib. & ſecularib. negotiis, ſiue clerici ſiue laici, aliquid vnquã agere vel facere vellent, aut antehac egiſſent feciſſéntue in noſtrum, aut Imperij

praiudicium quocunque modo: debemus item nos inuicem non deſerere per vllam neceßitatem Eccleſiaſticam, vel ſecularem. Et quandoquidem nos in Deo, & cum Deo, omne quod ſuprà ſcriptum eſt, vnanimiter fecimus, promittimus per iuramentum noſtrum & fidem, quæ ſuper hac corporaliter præſtitimus & dedimus ſub omni obligatione, qua nos erga Deum coram noſtris Confeſſariis antea conſtrinximus; quòd nos omnia de verbo ad verbum, ſicut ſupra ſcriptum eſt, vſque ad noſtrum vtriuſque obitum inuiolabiliter rata ac integra tenere, amabiliter & fideliter, & perficere volumus in omnibus ſuis partibus: & præcipuè quòd nos in hac reconciliatione Romano Imperio ſuum honorem, ſua bona & dignitatem promouere, tutari, tenere & augere volumus omni noſtra ope, ac vi quanta maxima poterimus, in corpore & bonis, ſecundum veram fidem, & Chriſtianam vitam. In quorum teſtimonium damus has literas, cum dependentibus noſtris ſigillis, & promittimus ſub omni obligatione ſuprà ſcripta, quòd illas velimus renouare & ſigillare noſtris nouis ſigillis, quàm primùm illa ſculpta fuerint. Omnium ſuprà ſcriptarum rerum ſunt teſtes Comes Bertholdus de Henneberg, Fridericus Burggrauius de Nurnberg, Frater Conradus de Gundelfingen, Magiſter Teutonici Ordinis in Alemania, Hermanus à Liechtenberg *Cancellarius, Magiſter Vlricus* W*ilde, ſupremus ſcriba*

Digitized by Google

ſcriba noſtri Regis Ludouici, Dietericus de Pillich-dorf, Iohannes Dapifer de Dieſſenhouē, Beigandus à Trauſnicht, Frater Conradus Prior de Monachio, & frater Gottfridus Prior Maurbachenſis in omnium ſanctorum Valle, vtriuſque noſtrûm confeſſarij, qui omnes interfuerunt. Hæ literæ datæ ſunt Monachij die Iouis ante dominæ noſtræ diem cùm naſceretur, anno à Chriſti natiuitate M. CCC. XXV. vndecimo anno noſtri regni.

35. Quis tam craſſæ naris eſt, qui hîc fraudem non ſubodoretur; & certè aut hę falſæ ſunt, aut Cuſpinianus fallit, cùm ſuprà dixit, in pactionib' cautum fuiſſe, vt Fridericus Italiam non accederet, ſed hanc liberam Ludouico permitteret: hoc ſi ita habet, quid ſibi volunt harum literarum iſta verba; *Si proficiſcatur vnus ex nobis in Italiam, huic debet alter mandatum ſuum eò tradere, & iſte huic hîc* in Germania *relinquere ſponte.* Bzouius tanquam hiſtoricorum medic' occurrat & Cuſpinianæo huic vulneri malagma imponat. Tædet plura adſcribere; inſpiciamus & alteras literas.

36. Nos Ludouicus Dei gratia Romanorum *An. 1326.* R*ex ſemper Auguſtus, fatemur & notū facimus omnibus, qui has literas vident, vel audiunt legi, quòd propter communem Chriſtianitatis pacem, bona mente & libera voluntate noſtro charo conſanguineo & fratri Regi Friderico à* Roma *decreuimus cedere* Re-

gnô

gno Romano, & ad hoc omnia agere verbis aut literis ei ad imperium neceſſariis, vtilibus, & conducilibus, ſine omni fraude, perinde ac ſi à Papa confirmaretur in regno, ſiue cum Principum voluntate, ſiue ſine eorum voluntate. Et ſpondemus hoc nos facturos bona fide ſine omni fraude & dolo; & in huius rei publicum teſtimonium appendimus noſtrum regium ſigillum his literis, quæ dabantur Vlmæ, anno à Dei natiuitate M. CCC. XXVI. die Martis poſt duodecimum diem, duodecimo anno noſtri regni.

37. Candida anima ſit neceſſe eſt, quæ iſta ſibi perſuaſerit. Extant literæ in Archiuo Bauarico longè aliæ, alteriúſque argumenti, quàm Cuſpiniani ſint, ab arbitris redintegratæ inter Ludouicum & Fridericum pacis confectæ. E Germanico ſermone
N. 14. in Latinum more ſuprà dicto verſæ ita latinè habent.

Litera reconciliationis. 38. *Nos Bertholdus Comes de Hennenberg & Dietrichus Pillichdorfer Marſchalkius in Auſtria fatemur publicis his literis, nos inter illuſtrem Dominum Regem Ludouicum à* Roma, *& generoſum Principem Ducem Fridericum de Auſtria, & eius fratres, integram & amicabilem reconciliationem feciſſe in verborum formam ſubſequentem.*

39. Primò, prædictus Dux Fridericus renunciare debet clarè & omnimodè regno & omni iuri, quod in illo habere poſſet; & debet literas, quibus eligebatur,

Digitized by Google

batur, ſi electio vocari poſſet, & omnes alias literas, quæ ipſum ad hoc iuuare ac promouere poſſent, à quocunque hæ illi datæ, & in quacunq; forma ſcriptæ ſint, reddere Regi, ſine omni fraude & dolo: neque etiam regnum vnquam ambire vlla ratione, neque per vllius voluntatem aut inſtantiam, nec in eo vllum obſtaculum à quocunque inductus aut irritatus, ſiue ab eo, qui ſe Papam nominat, ſiue à quouis alio, Regi opponere, quam diu Rex *viuit.*

40. Deinde debent prædicti Duces omnes quinque Regi *reſtituere, quicquid de imperio tenent & occuparunt, ſiue ſint dominia, ciuitates, & in vniuerſum terræ, homines, & bona quocunque nomine; & quidquid de his oppignerarũt, ſiue etiam, quod ab aliis Imperatoribus & Romanis* Regibus *Regis anteceſſoribus oppigneratum eſt, aut oneratum, id omne debent redimere & liberare.*

41. Debent etiam omnes quinque cum Rege fœdus inire, æternùm cum eo & eius liberis permanendi, & illos iuuandi contra quoſcunque, quocunque dictos nomine, clericos & laicos; & nominatim contra illum, qui ſe Papam dicit, omnéſque eius adiutores ac fautores, quamdiu is contra Regem & Regnum eſt.

42. Ad maiorem porrò ſecuritatem huius confœderationis debent procurare, vt Dux Carinthiæ, & quatuor ex illius conſiliariis cum eo, qui ſunt Magiſter Henricus ſcriba eius, Cunradus ab Aufenſtein

& Syfridus de Rottenburch*, & Magiſter Curiæ co-gnatus eius, ſi iſtos duos fortaſſe habere poterunt, & Comes Rudolphus de Hohenberg, Comes Hugo de Bregenz, Comes Albertus de Sancto Monte, Comes de Schebbetingen, Marchio Rudolphus, & Marchio Heſſo de Baden, Comes de Fürſtenberg, & Otto de Ochſenſtein, iurent ad Sanctos, & ſuas literas ſuper hoc dent, ſe, ſi contingeret, vt Auſtriacorum vnus vel plures reconciliationem violarent, aut Regi auxilium non ferrent, ſicuti ſupra ſcriptum eſt; Regi contra il-lum vel illos auxilio fore cum corpore & bonis abſque omni dolo & fraude. Si verò horum comitum vnum aut duos habere fortaſſe non poſſent, tum vnum aut duos æque bonos illorum loco conquirant, ſecundum Marchionis de Nürnberga conſilium. Iſtis iurent duodecim de Sueuia & de Alſatia, qui eorum Vaſalli ſunt; & viginti de Auſtria & de Styria.*

43. Debent etiam omnes quinque ſua feuda à Rege accipere, & eum recognoſcere & habere pro ſuo vero domino, & Rege, eique obedientes ac ſubditi eſſe, ſicuti Principes Romano Regi *de iure tenentur. ac debent quoque Dux Carinthiæ & Comites, qui ſupra nominati ſunt, vnà cum eo abſolutè abſque omni con-tradictione ſua feuda accipere à Rege, & illum pro ſuo vero domino habere & agnoſcere, eique obedire ac ſubditi eſse, ſicut Principes ac Comites Romano* Regi *de iure.*

44. De-

44. *Debent etiam procurare vt omnes Principes ſiue laici ſiue clerici, Comites, Liberi, Vaſalli, & alij quocunque nomine, qui in illorum miniſterio hactenus fuerunt propter bellum, feuda ſua recipiant à* Rege, *& illum agnoſcant & habeant pro ſuo domino, illique obediant tanquam Romano* Regi *de iure. Et quicunque Principes ſiue laici ſiue clerici, Comites, Liberi, Vaſalli, aut alij quocunque nomine, id facere noluerint, contra illum & illos debent* Regi *auxilium ferre cum corpore & bonis ſine fraude & dolo, tamdiu quoad ille vel illi ſua feuda accipiant à* Rege, *illúmque agnoſcant & habeant pro ſuo vero domino, eíque obediant ac ſubditi ſint tanquam* Romano *regi de iure; præter* [a] *illos octo ſupra dictos, qui vnà cum ducibus ſua feuda abſolutè abſque omni contradictione accipere debent à* Rege.

[a] Senſus eſt, Non ſolum illos octo ſuprà dictos, ſed etiam alios adigant.

45. *Debet quoque Dux Fridericus ſuam filiam Eliſabetham* Regis *filio Duci Stephano deſponſare, eámque* Regi *continuò tradere, & cum ea* pro dote *dare, quicquid nos Comes Bertholdus de Henneberg, & Burggrauius de Nüremberg conſtituerimus; & pro eo debet* Regi *oppignerare Burgau &* Riſepurch *cum omnibus pertinentiis; & debent* Rex *& Dux diſpenſationem coniunctim impetrare à ſede* Romana, *quando ſedem is tenuerit, à quo illos deceat diſpenſationem petere ac obtinere.*

46. *Quòd ſi contingeret, vt* Rex *vel* Dux *Fri-*

dericus, vel vterque moreretur, nihilominus debet amicitia inter illorum vtriuſque liberos procedere, & debent eam Regis liberi & Ducis Friderici fratres perficere omni illo modo ſuprà ſcripto. Quòd ſi Rex moreretur, & Dux Fridericus ad Regnum perueniret, tum debet Regis liberis omne id in feudum concedere, quod ab imperio in feudum habere debent, & nominatim Marcam Brandeburgenſem cum omnibus ſuis pertinentiis antiquis ac debitis; eóſque in hoc defendere ac conſeruare, & vt æquam portionem ſuam, à quondam Ducis Rudolphi *liberis obtineant, iuuare, iuxta literarum tenorem, quæ inter* Regem *& prædictum, quondam Ducem* Rudolphum *eius fratrem datæ & ſcriptæ fuerunt, ſuper adiectionem Allodij. Debet quoque prædictis* Regis *liberis ſimpliciter per omnia auxilium ferre, contra quoſcunque ſiue ad imperium perueniat, ſiue non; & hi viciſſim illi & liberis ac fratribus illius.*

47. Debet quoque Rex *illis & eorum miniſtris omnes oppignerationes confirmare, quas ab Imperatore Henrico, & ab aliis* Romanis Regibus *anteceſſoribus eius obtinent, prout hoc literis eiuſdem Imperatoris Henrici &* Regum *ſuperiorum,* Regem *docere & probare debent.*

48. Debent etiam omnes miniſtri ex vtraque parte gratiã habere, & omnes capti liberi eſſe. Debet etiam Rex *& liberi eius & Duces omnes quinque ab Auſtria*

in per-

in perpetua confœderatione manere, & ſe inuicem iuuare in omnibus negotiis, cōtra quoſcūque, ſicut ſupra ſcriptum eſt; & quæcunque fœdera & reconciliationes Epiſcopus Paſſauienſis, & nos Comes Bertholdus de Henneberg, Burggrauius de Nürenberg & ego Dietrichus Pillichdorfer ſuper hac reperiemus, ea debent vtrinque firmiter tenere, & integrè adimplere.

49. *Vt hac reconciliatio, ſicut ſuprà ſcripta eſt, ad verbum ita impleatur & obſeruetur; debet Dux Fridericus iurare ad Sanctos. Si autem reconciliationem non poſſet perficere, debet ſe iterum ſiſtere in Trauſnicht in captiuitatem, in qua nunc eſt, ad S. Johanis diem ſubſolſtitium, qui proximè venturus eſt. Debet etiam Regi ſe ſuámque perſonam peculiari ratione obligare, ſecundum noſtrum de Henneberg & Burggrafij de Nürenberg iuſſum.*

50. *Jn horum teſtimonium noſtra ſigilla appendimus ad hanc Notulam quæ facta & ſcripta eſt in Trauſnicht, die [a] Mercurij ante Dominicam quæ cantatur lætare.* [a] Qui fuit 13. Mart.

51. Hæ ſunt literæ compoſitæ pacis inter duos ſummos principes, è quibus omnia Bzouij figmenta ſubruuntur, ſicuti etiam Villani, cui tamen vtpote per rumorem inducto, ignoſcendum eſt; non perinde ignoſci poteſt Bzouio, quia multa excogitauit, & id quod verum eſt habere noluit, alioqui miſiſſet nobis ſua quæ de rebus Bauaricis

conſcripſerat, & à nobis accepiſſet noſtra, vt ei vltro obtuleramus. Sed bene factum, quòd noſtra non acceperit; nimium enim nedum ſatis eſt, quòd tot aliorum monimenta fœdè mutilauit, corrupit, conſpurcauit.

52. Sed quia annus iis in literis non exprimitur, opem petamus à Rebdorfio, qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa præſens videbat. Is igitur ita

p.423.§.2. & Geuoldi edit. p. 24. §. 2. tunc ſcribebat, *Anno vndecimo Ludvvicus ſolus exclusis omnibus conſiliariis ſuis occultè tractauit, & confœderauit ſe cum prædicto Friderico capto, ita quòd idem Fridericus renunciaret iuri electionis ſuæ, &* Ludvvico *deberet aſsiſtere etiam contra fratres ſuos, & iurauerunt ambo tractatus huiuſmodi occultos obſeruare ſuper Sacramento Euchariſtiæ, quod ambo eadem hora receperunt, Miſſa coram eis celebrata: & ſic Fridericum à vinculis dimiſit.*

l.9.c.315. 53. Rebdorfio ſuffragatur Villanus, qui & ipſe tunc viuebat ac ſcribebat in hæc verba, *Anno 1325. circa finem menſis Octobris Ludouicus electus* Romanorum *Rex Fridericum Ducem Auſtriæ in* Regem *quoque* Romanorũ *electum ex captiuitate liberauit.*

54. Cùm ergo de liberati Friderici anno nemo his auctoribus repugnet, non eſt quòd eis fidem abrogemus, quando facilius annum, quàm conditiones atque etiam menſem initæ pacis noſſe potuerunt. Quòd ſi Bzouio annum non ſatis probauimus,

timus, adferat is maiorem auctoritatem, qua ſuam de Friderico ad añum demum 1326. liberato ſententiam ſtabiliat, & à nobis fidem impetrabit.

55. Accedit, quòd literæ pacificationis Leopoldo etiamnum viuo ſunt conſcriptæ, quippe in quibus n. 40. 41. 43. fiat mentio omniũ quinque Auſtriæ ducum ſuperſtitum, quorũ vnus fuit Leopoldus: nam etſi quinque eius fratres, vt Cuſpinianus [a] ſcribit, iuſtam aſſecuti ſunt ætatem, tamẽ natu maximus Rudolphus iam diu ante obierat, vt Cuſpinianus ibidem [b] docet, Dubrauius [c] verò etiam annum 1307. deſignat. At Leopoldus anno 1326. mortuus eſt, Cuſpiniano,[d] Lazio,[e] Villano[f] teſtibus, & quidem menſe Iulio, vt Lazius docet, vel 27. Februarij, vt Villanus, vterque contra Bzouium, qui Fridericum anno demum 1326. liberatum ſcribit poſt perpetuum in carcere exactum triennium. Nam triennium illud deficit plus quàm duobus menſibus, ſi Leopoldus obiit Iulio; vel pluſquam medio anno, ſi 27. Februarij.

a *In Albertop. 449. 37.*
b *p. 447. 50*
c *19. hiſt. Boiem. p. 156. 40.*
d *p. 463 41*
e *In genealog. auſtr.*
f *lib. 9. c. 315.*

56. Tertius auctor Bzouianus eſt Mutius, qui tres tantum conditiones commemorat, illáſque publicis literis conſentaneas; Bzouius autem octo, literis dictis aut contrarias, aut non nominatas.

57. Quartus eſt Albertus Argentinenſis, qui hæc paucula duntaxat ſcribit, *Ludouicus cum Friderico, communicante eos ambos poſt Miſſam vno* *pag 124. §. 1. v. antep.*

Car-

Carthuſienſi, eorum Confeſſore, & ſeruare pacta iurantibus, latenter conuenit. Lector iam diſpiciat, an quicquam in Argentinenſi repererit, quod Bzouius inuenit.

58. Non mediocris autem me admiratio inceſſit, cur in hoc negotio Bzouius præterierit Rebdorſium ſuum, qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa etiam præſens videbat. An potiori loco apud eum Cuſpinianus eſt, qui tunc non viuebat? an Villanus, qui alibi, vtpote in Italia, non multa præſens videbat? fortaſſe Rebdorſius præteritus eſt, quia, non ſcribit ea quæ Bzouius ſcribit! ita eſt; ſed nec illi, quos Bzouius non præterit, ea ſcripſere, quæ Bzouius collutulauit; ſatis eſt quibuſdam in-
an. 1314. XIV. iuriam facere, non oportet omnibus; & Rebdorſius meruit ſuprà, vt ei iam Bzouius parceret.

Col. 463. III. 59. Bzouius. *Mirabatur interea Pontifex, quomodo Friderico & Leopoldo cum Ludouico conueniſſet. Quod cùm non ſine graui vtriuſque præiudicio factum intellexit, pacta conuenta reſcidit, & tam Fridericum quàm Leopoldum ab iuramento per vim extorto immunes eſſe declarauit. Inſuper Salmæ & Longoniæ Duces contra Ludouicum Bauarum eiúſque filium excitauit. ep. Joan. hoc anno.*

60. Aſtutè Bzouius facit, quòd epiſtolas Ioannis ſolùm nominet, nec vulget: crederemus quidem viſis illis, nunc dubitamus an eas rectè viderit

Bzo-

Digitized by Google

Bzouius, imò dubitamus vtrùm nos eas rectè in ipſo videamus.

61. Bzouius. *Ab illa tamen tractatione Ludouicus iam vniuerſam Italiam ſpe concepta pene deuorauerat, Galeaciúmque & Marcum Vicecomites, nec non & reliquos Gibellinorum Princ. ſecuros eſſe iuſſerat, datis literis Galeacio, & Marco, ac Senatui Mediolanenſi. Accuſabat* Lombardorum *pleroſque, quòd illi, ait, non conſenſerint Maieſtati noſtræ, & cum fraudulentis promiſſis ſe tranſtulerint ad ritum (ita profanus, Pontificias partes appellabat) alienigenarum, neque ſuum tenere voluerint inſtitutum. Promittebat omnibus deinde ab alienis iuribus libertatem, & fidem Imperio ſeruantibus honorem, quietem & pacem. Concludebat in hunc modum: Quare ſi ſic eſtis vt volumus, & ipſi bene valeamus, cum veloci apparatu citò veniemus ad vos, ad accipiendum, quæ noſtra ſunt, & dabimus, diuina largiente gratia, pacem rebus. Valete. Dolebat iſtud non modicum Ioan. Pont. qui videret furentem Ludouicum fallacibus promiſſis gentem nimis credulam ineſcare. Quamobrem non difficilem ſe exhibuit in Galeacio & reliquis Vicecomitibus ad gremium Eccleſiæ reuerti volentibus recipiendis. Rolandus Rubeus Princ. Parmenſium, vnà cum Joanne Morigia Galeazium impulerant, vt is Pontificio legato adeóque ipſi Ioanni ſupplex fieret.* Col. 468. IV.

Primum pronunciatum. *Ludouicus ſpe vniuerſam Jtaliam deuorauerat.* Omnino ſpem Lu-

V douico

douico excitauerat hoſtis in Germania victus, & Gibellini Italici in fide perſiſtentes.

62. Secundum pronunciatum. *Vicecomites alióſque Gibellinos ſecuros eſſe iuſſerat.* Lector deberet eſſe ſecurus, quando Bzouius quid loquitur; nunc non poteſt non vacillare, cùm toties inconſtantiam Bzouij aduertit. Securos Ludouicus Gibellinos eſſe non iuſſerat, ſed fidentes.

63. Tertium pronunciatum. *Accuſabat Lombardos pleroſque, quòd illi, ait, non conſenſerint Maieſtati noſtræ.* Verba Cæſaris apud Corium hæc ſunt, *Audiuimus Lombardos* (Bzouius *pleroſque* addit) *non conſenſiſſe Maieſtati noſtræ.* Si hoc accuſare eſt, tunc etiam Bzouius accuſabit Germanos, cùm ſcribet, Audiuimus Germanos non conſentire noſtris Annalibus.

64. Quartum pronunciatum. *Accuſauit Ludouicus Lombardos, quòd cum fraudulentis promiſſis ſe tranſtulerint ad ritum (ita profanus Pontificias partes appellabat) alienigenarum, neque ſuum tenere voluerint inſtitutum.* Niſi Bzouio mens profana & Ludouico ſemper infeſta fuiſſet, nullo negotio aſſequi poterat, Cæſarem Catholicum illo loquendi modo neutiquam Catholicos Guelfos, qui Pontificis partes defendebant, profani cult⁹, aut ſuperſtitionis nomine afficere voluiſſe; ſed id duntaxat affirmare, Lombardos à vero legitimóque domino ſuo,

no ſuo, Imperatore inquam, ad ſectam Guelſorum defeciſſe. Quæ cùm ita ſint, ſatis apparet, qua fronte Bzouius Cæſaris verba perperam interpretatus, eidem profani notam inuſſerit.

65. Sed fortaſſe mox dicat quiſpiam, cur hiſtoricum profiteatur Bzouius, antequam Grammaticus ſit, nam propè in hoc ipſo loco commemorat, *Ipſe* Iohannes Papa *primo Sabbatho ieiunij quadrageſimalis Poſtillas quaſdam Fratris Petri Iohannis Strinchij Biterenſis diœceſis, Ordinis minorum Profeſſoris damnauit, ignibúſque deuouit. Ex ea enim fomentum non modicum ſumebant ſectarij peſtilentes, qui ſe pauperes de tertio Ordine S. Franciſci appellantes, flammis fuerant exuſti.* Huc huc Priſciane, habes ſolœcon in verbis & rebus. In verbis, *Poſtillas, ex ea enim*; in rebus, *Ex poſtillis ſumebant fomentum, qui flammis fuerant exuſti*; planè pernicioſæ poſtillæ, quibus etiam ad fomentum vſi ſunt hæretici, qui iam erant exuſti & mortui. O polum ingenij Bzouiani; ſed pergo, nec tetigiſſem hæc, niſi ipſe Bzouius occaſionem dediſſet. *Col. 465. VIII. post med.*

66. Quintum pronunciatum. *Doluiſſe Pontifici furentem Ludouicum fallacibus promiſſis gentem nimis credulam ineſcaſſe.* Et mihi dolet furentem Bzouium imperitos lectores hiſtoriolis ſuis à ſe confictis ineſcare. Quæſo, quo auctore prodis Ludouicum fallacibus promiſſis ineſcaſſe Lom-

bardos? noſti tu illum aliud animo deſtinaſſe, aliud verbis pollicitum? Iucundum verò id eſt, quòd Gibellinos Italos gentem nimis credulam indigites; ſcilicet gens illa tam ſimplex ſit, vt eſcam ſolùm contempletur, & hamum aut non videat, aut non formidet? Mi Bzoui, gens Auſonia proles Aquilarum eſt, & parùm illi vident, qui parùm eos videre putant.

Col. 471. XVII. 67. Bzouius. *Quanquam & iſta de cauſa legatos ad Carolum Regem Galliarum ire iuſſiſſet, vt ſacri in Ludouicum Bauarum belli nomine decimas de ſacerdotibus Francis annuente* Rege *exigeret. Ludouicus enim ab Joanne Pontifice, non ſemel ſacroſanctæ poteſtatis hoſtis impiúſque iudicatus, non tantùm voce & ſcriptis in Pontificem pugnabat, ſed & arma in Italiam parabat. Voce & ſcriptis pugnacem Fraterculi adiuuabant, qui diuitias Eccleſiaſticas, fando ſcribendóque damnabant: purpuram, opes, dominatum, à religione eſſe aliena prædicabant. Chriſtum Dominum Deúmque nihil in terris, quod ſuum diceret, habuiſſe. Apoſtolos eâdem, qua Seruatorem Chriſtum paupertate vixiſſe. Non exemplum modò, ſed & legem eandem ſucceſſoribus datam. Jus ſacerdotibus nullum eſſe facultatum potiundarum. Hanc ſententiam Ioannes Pontifex cùm impiam cenſuiſſet, damnaſſétque; illi veſani Pontificem impia hæreſi laborare mentiebantur,*

Digitized by Google

tur, quaſi is illud, quod Chriſtus Dominus Deúſque ſanxiſſet, ipſe impietatis inſimularet. Eò contumaciæ deuenere, atque erroris, vt Ioannem Pontificem eſſe negarent, ac veluti ſolio Pontificio vacuo, creandum nouum Pontificem contenderent. Guilelmus Occanus Minor, cùm Auguſtorum iura tutaretur, in Ioannem Pontificem monumenta edidit atrocia, maledictis, conuitijs & falſis criminationibus referta. His Ludouicus Bauarus non ſemel impietatis damnatus, acriter inflammatus, velut Pontificio interregno, ſuarum eſſe partium prædicabat, vt ſacro ſolio ſuus Pontifex Romanus imponeretur. Itaque in hanc curam intentum, vt Ioannes Pontifex præuerteret, ſéque & Eccleſiam Romanam aduerſus omnem iniuriam tueretur, decumationem fructuum Eccleſiaſticorum tanto faciliùs impetrauit, quanto neceſſitate compulſus Regi permiſiſſet, vt in partem ipſe veniret. Non potuit tamen Carolus perceptis Eccleſiaſticis fructibus diu potiri. Hoc enim anno ad XVII. *Calend. Ian. deceſſit, vxore grauida relicta. Æmil. lib. 8.*

68. Quia Bzouius vnum vnicúmque Æmilium hoc loco teſtem citat, non erit abs re verba Æmilij recenſere, vt lector intelligat, qua ratione Bzouius auctores aut deſcribat, aut eorum ſenſum expromat.

69. *Carolus rex*, inquit Æmilius, *& virtutis* l. 8. p. 436. poſt m.

 & cle-

Digitized by Google

& clementiæ laudem fructúmque ad eam diem tulit, exin aduerſo rumore fuit, quòd ſacri in Ludouicum Bauarum belli nomine decimas de ſacerdotibus Francis petenti Pontifici Maximo Ioanni, cùm primùm denegaſſet, pactione deinde expugnatus conceſſiſſet, vt in partem ipſe veniret. Bauarum & Vicecomites Ioannes Pontifex ſacroſanctæ poteſtatis hoſtes, impióſque iudicarat. Vicecomites Philippo Valeſio polliciti fuerant de rebus Genuenſibus ſtaturos ſe arbitrio Regis *Franci; quod is decreuiſſet, id ſibi ſanctum ratúmque futurum. Deducto ex Subalpinis Francico exercitu, mortuo Longo* Rege *Franco, acrius quàm antea Genuam premebant, nec obſidionem omiſere, niſi aliquot prælijs naualibus terreſtribúſque victi, ac tædio diffidentiáque feſſi. Quæ verò vrbes Subalpinæ, Longobardiæq́; fidem Francorum, Pontificíſque Maximi ſecutæ fuerant, eas partim in poteſtatem Vicecomites redigebant, partim territabant. Viri fortes, duces egregij erant, auidi imperij: & Italia domeſticis diſſenſionibus lacera, eorum conatui locum & cupiditati dabat.* Legatum, *copiáſque Pontifex in eos miſit. Bauarus, quod iura imperij à Pontificis,* Robertíque *Regis cupiditate tutari ſe prædicabat, quàm maximis poterat viribus illos iuuabat, tegebátque. Carolo Pulchro* Rege *fuere ſublimia ingenia, eruditiſſimíque viri. Sæculum illud literatura floruit. Erant ex ijs viri verè ſancti. Erant, qui dum cæteros anteire*

improuidè

improuidè contendunt, nec modum faciunt, noſcúntue, impij euaſere. Erant de quorum moribus conſilióque anceps ſit coniectura. Sanctis mala temporum dolori erant, taciti mœrebant. Ij verò qui Fraterculi vocabantur, diuitias Eccleſiaſticas fando ſcribendóque damnabant, purpuram, opes, dominatum à religione aliena eſſe prædicabant; Chriſtum dominum Deúmque nihil in terris, quod ſuum diceret, habuiſſe; Apoſtolos eâdem, qua ſeruatorem Chriſtum, paupertate fuiſſe; nō exemplum modò, ſed & legē eandem ſucceſſoribus datam. Ius ſacerdotibus nullum eſſe facultatum potiundarum. Hanc ſententiam Ioannes Pontifex impiam cenſuit, damnauítque. Illi Pontificem impia hæreſi laborare prædicabant, qui id quod Chriſtus dominus Deúſque ſanxiſſet, ipſe impietatis inſimularet. Eò contentionis deuenere, vt Ioannem de religione, de Numine impiè ſentire cum dicerent, Pontificem eſſe negarent, ac velut ſolio Pontificio vacuo, creandum Pontificem nouum verúmque contenderent. Occanus Theologus Minor cùm Auguſtorum iura copioſè tutaretur, in Ioannem Pontificem monumenta edidit atrocia, quæ extant: eum non criminibus modò, ſed maledictis lacerans. Intemperantia lapſus, ſcribit eum contendiſſe, elaboraſſéque, vt Romanum imperium vel ſibi ſubiiceret, vel penitus laceraret, his enim verbis inuehitur. Eundem impiæ hæreſis coarguit, veróne, an eo quoque falſo crimine?

70. Non

70. Non eſt ſcilicet ouum ouo tam ſimile, quàm Bzouius Æmilio. Primò enim pulchrè Bzouius diſſimulat, quæ in rem eius non ſunt. Æmilius namque docet, Carolum in reprehenſionem incurriſſe, quod Pontifici decimas conceſſiſſet. Secundò, Æmilius dicit Bauarum à Pontifice hoſtem iudicatum fuiſſe; Bzouius addit, *non ſemel.* Tertiò Bzouius ait, Ludouicum non voce tantùm, ſed & ſcriptis in Pontificem pugnaſſe; Æmilius non dicit. Quartò Bzouius ait, Ludouicum in Italiam arma paraſſe; Æmilius non dicit; nec verum id eſt, etiam ipſo Bzouio teſte: nam anno demum
N. I. ſequenti 1326. commemorat, celebrata à Ludouico Spiræ Comitia, in quibus communi ſtatuum conſenſu profectio Italica indicta. Ex quo ſequitur, ex mente Bzouij, Ludouicum arma in Italiam paraſſe anno citiùs, quàm in Italiam militaris apparatus decretus ſit. Quintò, Bzouius ait, voce ſcriptíſque pugnacem Ludouicum à Fraterculis adiutum; Æmilius hoc non dicit, ac licet memoret ab eis fando, ſcribendóque Eccleſiaſticas diuitias damnatas; veruntamen has ipſorum ſcriptiones, neque in hunc annum, neque in alios certos, ſed in ſeculum illud vniuerſim reiicit, quippe, qui hiſtoriam texat, non annales. *Seculum,* inquit, *illud,* &c. contingit enim non rarò, vt hiſtoricus, quæ ad rem vnam pertinent, vno in loco conglobet

globet claritatis memoriæque cauſa. Sextò, Bzouius ait, *Illi vaſani* Fraterculi *Pontificem impia hæreſi laborare mentiebantur*; Æmilius, Pontificem impia hæreſi laborare prædicabant. Sed modeſtior in verbis eſt Bzouius; vt aliquando quid in alieno ſermone mutet, omittit verecundiora. Septimò Bzouius ait, *Eò contumacia deuenere atque erroris, vt Ioannem* Pontificem *eſſe negarent, ac veluti ſolio* Pontificio *vacuo creandum nouum* Pontificem *contenderent*. At Æmilius longè aliter, *Eò contentionis deuenere, vt Ioannem quòd de religione, de Numine, impiè ſentire cum dicerent*, Pontificem *eſſe negarent &c.* Quod ſi Pontifex fuiſſet hæreticus (de quo dubitat Æmilius) non abſurdè, neque per contumaciam aut errorem, ſed per probabilem opinionem Fraterculi negaſſent Iohannem eſſe Pontificem, & nouum creandum contendiſſent. Non ergo hîc Æmilius Fraterculos, ſed Bzouium erroris & contumaciæ arguit. Octauò, Æmilius ait, ab Ockamo Ioannem non criminibus modò, ſed maledictis laceratum; Bzouius addit *conuitia & falſas criminationes*. Eſto criminationes falſæ fuerint, non tamen decet Bzouium auctorum verba mutare & lectorem decipere, nam Æmilius criminationes iſtas pro falſis non habuit (ſicut neque ſuprà cum Bzouio ait Fraterculos mentitos fuiſſe) alioqui non potuiſſet ſubiungere, quod Bzouius per frau-

70. Non eſt ſcilicet ouum ouo tam ſimile, quàm Bzouius Æmilio. Primò enim pulchrè Bzouius diſſimulat, quæ in rem eius non ſunt. Æmilius namque docet, Carolum in reprehenſionem incurriſſe, quod Pontifici decimas conceſſiſſet. Secundò, Æmilius dicit Bauarum à Pontifice hoſtem iudicatum fuiſſe; Bzouius addit, *non ſemel.* Tertiò Bzouius ait, Ludouicum non voce tantùm, ſed & ſcriptis in Pontificem pugnaſſe; Æmilius non dicit. Quartò Bzouius ait, Ludouicum in Italiam arma paraſſe; Æmilius non dicit; nec verum id eſt, etiam ipſo Bzouio teſte: nam anno demum
N. 1. ſequenti 1326. commemorat, celebrata à Ludouico Spiræ Comitia, in quibus communi ſtatuum conſenſu profectio Italica indicta. Ex quo ſequitur, ex mente Bzouij, Ludouicum arma in Italiam paraſſe anno citiùs, quàm in Italiam militaris apparatus decretus ſit. Quintò, Bzouius ait, voce ſcriptíſque pugnacem Ludouicum à Fraterculis adiutum; Æmilius hoc non dicit, ac licet memoret ab eis fando, ſcribendóque Eccleſiaſticas diuitias damnatas; veruntamen has ipſorum ſcriptiones, neque in hunc annum, neque in alios certos, ſed in ſeculum illud vniuerſim reiicit, quippe, qui hiſtoriam texat, non annales. *Seculum,* inquit, *illud,* &c. contingit enim non rarò, vt hiſtoricus, quæ ad rem vnam pertinent, vno in loco con-

globet

globet claritatis memoriæque cauſa. Sextò, Bzouius ait, *Illi vaſani* Fraterculi *Pontificem impia hæreſi laborare mentiebantur*; Æmilius, Pontificem impia hæreſi laborare prædicabant. Sed modeſtior in verbis eſt Bzouius; vt aliquando quid in alieno ſermone mutet, omittit verecundiora. Septimò Bzouius ait, *Eò contumaciæ deuenere atque erroris, vt Ioannem* Pontificem *eſſe negarent, ac veluti ſolio Pontificio vacuo creandum nouum* Pontificem *contenderent.* At Æmilius longè aliter, *Eò contentionis deuenere, vt Joannem quòd de religione, de Numine, impiè ſentire cum dicerent,* Pontificem *eſſe negarent &c.* Quod ſi Pontifex fuiſſet hæreticus (de quo dubitat Æmilius) non abſurdè, neque per contumaciam aut errorem, ſed per probabilem opinionem Fraterculi negaſſent Iohannem eſſe Pontificem, & nouum creandum contendiſſent. Non ergo hîc Æmilius Fraterculos, ſed Bzouium erroris & contumaciæ arguit. Octauò, Æmilius ait, ab Ockamo Ioannem non criminibus modò, ſed maledictis laceratum; Bzouius addit *conuitia & falſas criminationes.* Eſto criminationes falſæ fuerint, non tamen decet Bzouium auctorum verba mutare & lectorem decipere, nam Æmilius criminationes iſtas pro falſis non habuit (ſicut neque ſuprà cum Bzouio ait Fraterculos mentitos fuiſſe) alioqui non potuiſſet ſubiungere, quod Bzouius per fraudem,

dem omittit, iſtud, *Eundem* Ioannem *impiè hæreſis* Ockamus *coarguit, veróne, an eo quoq; falſò crimine?* En rem Æmilius in dubio ponit; quare ergo Bzouius Æmilium inducit, quaſi diceret eos mentitos fuiſſe, & eorum criminationes fuiſſe falſas? Nonò Bzouius ait, *His Ludouicus Bauarus non ſemel impietatis damnatus, acriter inflammatus*; quod nec Æmilij eſt, nec veritatis, nam Ludouicus ſcriptis Minorum nondum inflammari poterat, quæ necdum lucem videbant; nondum autem Franciſca-
a an. 1321. nos ſcripſiſſe aduerſus Iohannem, ſuprà [a] oſtendi-
13. mus. Decimò Bzouius ait, Carolum Regem Gal-
1323. 61. liæ hoc anno 1325. ad XVII. Calend. Ian. deceſſiſſe, Æmilius hoc non dicit; quia tametſi dicat *eodem anno*, non tamen affirmat eum annum fuiſſe 25. eius ſæculi, ſed 27. ſic enim ait, *Victo acie captóque Fœderico Imperij æmulo Ludouicus in Italiam anno eius ſèculi viceſimo ſeptimo profectus, magnificè apparatiſſiméque exceptus Mediolani eſt. In diui Ambroſij æde, ſubſeruientibus Vicecomitibus, ab eius ciuitatis Pontifice ſecunda corona redimitus eſt. primam iam Aquisgrani ſuſceperat, operantibus Pontificibus Maguntino & Treuiro. Tertia ei Romæ fuit impoſita à Stephano Columna principe factionis Pontifici minus æquæ. Tunc Petrum* Reatinum *Minorem auſus eſt inſignibus Pontificiis excolere; Pontificem Maximum eum, ac Nicolaum Quintum ſalu-*

ſalutare, adoraréque, hominem maioris, quàm ſanctioris literaturæ, ac ad res gerendas non ineptum. Eodem anno Carolus Pulcher Rex Francus deceſsit, vxore grauida relicta. Genebrardus[a], Meyerus[b], Aubertus Mireus[c], Villanus[d] itidem ponunt annum 1327. Menſem & diem; Æmilius & Genebrardus omittunt, reliqui contra Bzouiū ſignant Calendas Februarij. Ita Bzouius hunc regem duobus annis citius iugulauit, quàm ipſe mortuus ſit.

a l. 4 chrō. Ioan. 22 an human. prope f.
b 12. annal. Flādr. an. 1327.
c Chron. an. 1327.
d l. 10. c. 61.

ANNVS CHRISTI 1326.

Ludouici Imperatoris XIII.

1. BZouius. *Si quando, certè hoc anno ſeditionibus per factionum principes excitatis tum Romæ, tum in vniuerſa Italia laboratum eſt vehementer. Romæ partes pontificias tuebantur Vrſinorum primi, quibus* Robertus *Siciliæ Rex, vrbis Senator vicariam poteſtatem communicauerat. His & ſummo Pontifici aduerſabantur nonnulli ex Columniis, Ludouicum Bauarum diris omnibus à ſede Apoſtolica damnatum ſecuti. Vrſinis & quinquaginta duobus viris à populo Romano, ſuper pacifico ſtatu vrbis electis, quod cordi eſſet pontificia dignitas, Ec-* Col. 477. I.

Digitized by Google

cleſiarúmque & imprimis ſedis Apoſtolicæ libertas, oratoribus Petro Bugiani, Petro de Magiſtris, & Gentio Gentili de Inſula ad Joannem Pontificem deſtinatis, & frequentibus literis illi perſcriptis, Ioannem calamitatis vrbanæ & Eccleſiaſticæ admonebant, útque Romanæ ſedi & vrbi præſentiam ſuam commodare, adeóque Auinionem relinquere, & in vrbem concedere vellet, obſecrabant. Neque ſegniores aduerſarij in euocando Ludouico *erant, præſertim quod ſcirent principes Gibellinorum nuncios quoque miſiſſe, qui Ludouicum in Italiam inuitarent. Et quidem Ludouicus non mediocri lætitia affectus,* Romanorum *& Gibellinorum aliorum legatos publicè laudatos, ac muneribus quàm maximis & pollicitationibus oneratos, benignè habuit, breuíque tempore ſe affuturum reſpondit. In eam quoque rem Friderico & Petro eius filio regi Trinacriæ ſcripſit, útque vires ſuas ſibi venienti commodaret, obſecrauit. Mox Spiram conuocatis Germaniæ principibus, illis literas Senatus populíque Romani & aliarum inſignium Italiæ ciuitatum repræſentauit, híncque diſcere iuſſit, quanti deberent facere Romani Pontificis execrationes, cùm hoc, inquiebat, Itali in omni genere ſcientiarum, & in diuinis ſimul ac humanis legibus doctiſſimi, contra Pontificis decreta audeant. Addebat & falſas in Ioannem*

&

& Pontificios criminationes à maleuolentibus præcipuè Fraterculis confictas, quarum commemoratione non paucos Germanorum in ſuam ſententiam pertraxit, vt auderent excommunicato adhærere. Ad eum modum cùm Germanos in Pontificem irritaſſet, & ſpecioſas profectionis cauſas illis expoſuiſſet, communi procerum præſentium conſenſu, ſtatuit in Italiam penetrare. Huic rei compoſitis Germaniæ rebus, contraxit, quas potuit copias, aliáque ad expeditionem neceſſaria comparauit. Deinde nunciis Romanorum & aliorum Gibellinorum dimiſſis, primores eorum à quibus miſſi aduenerant, nomine conſtantiæ, amoris ac ſtudij erga Imperium Roma*num laudauit, præmia condigna meritis ſingulorum, pacémque & tranquillitatem rebus afflictis promiſit, ac breui tempore ſe affuturum dixit. Iohannes Pontifex venire non potuit, ſed Iacobo Sabello & Stephano Columnæ Imperium vrbis conſulare conceſſit, deinde literis datis animos* R*omanorum in fide & obſeruantia ſedis Apoſtolicæ confirmauit, néue Ludouicum Eccleſiæ reconciliatum eſſe crederent, ſed vt rebellem perſequerentur & haberent, præcepit. Deinde legatum à latere cum plenaria in temporalibus & ſpiritualibus non tantùm in vrbe, verùm in vniuerſa Italia & Sardinia auctoritate, Ioan-*

x 3 *nem*

Digitized by Google

nem Caietanum Vrſinum Romanum *tituli S. Theodori Diaconum Cardinalem deſtinauit: Sarram Columnium, vt conſtanter ſe* Ludouico *opponeret admonuit, ac tandem* Roberto Regi *Siciliæ, Senatori Vrbis & Vicario* Romani *in Italia imperij auctor fuit, vt is Romanæ quidem vrbi*, Romanum *Vrſinum Comitem Nolanum, & Richardum Frangipanem, Vicarios & rectores ad regimen Senatus, & Capitaneatus Vrbis, & diſtrictus illius, cum poteſtate meri & mixti imperij, datis* x. *die Nouemb. Neapoli literis præfecerit; Etruriæ autem, Flamminiæ, Æmiliæ, Inſubribus, & Liguribus in auxilia miſerit, Carolum filium Ducem Calabriæ cum delectis copiis. Mut. hiſt. Germ. l. 24. Naucler. vol. 2. Generat. 45. Annales Rebdorfij. Monum. Vrſinor. Ioan. Villani. l. 9. c. 330. & 349. Chron. de reb. Sicil. MS. Biblioth. Vatic. n. 3972.*

2. De his factionibus Romæ hoc anno inſanientibus opera Ludouici Bauari, nemo hiſtoricorum iuris publici, quos tu hîc proponis, meminit, & tu tamen ais, nonnullos ex Columnijs Ludouicum Bauarum ſecutos reſtitiſſe Pontificijs, atque in margine allinis, *Roma ſeditionibus perturbatur à Ludouico Bauaro* Quid ſi rependerem hæc verba paribus? Bauaria putidis figmentis oneratur ab Abrahamo Bzouio. Sed hoc tibi commodo eſt, quod libros teſtes nomines, quos nemo vidit præter

ter te; fortaſſe nec tu ipſe vidiſti; ſaltem in iis ea non vidiſti, quæ hîc de ſeditionibus Ludouico auctore excitatis declamas & ſcriptores publici tacent.

3. Primum pronunciatum. *Non ſegniores fuiſſe aduerſarios* Guelforum Gibellinos Romanos *in Ludouico euocando*. Bzouius agit, acſi pauculi Romanorum Ludouicum in Italiam vocaſſent; nam pro Iohanne Pontifice fuiſſe Vrſinorum primos & quinquaginta duos viros à populo Romano electos, paulò antè ſcripſerat; quo ipſo innuit populum Romanum ſtuduiſſe Pontifici, cùm tamen Bzouianus auctor Mutius longè áliud ſcribat: *Vixdum diſceſſerant*, inquit, *illi nuncij Gibel-* *p.228.15.* *linorum, veniunt ex vrbe ipſa* Roma *legati miſſi à ſenatu populóque* Romano, *rogántque Ludouicum imperatorem, vt Romam proficiſcatur, quàm primùm poſſit fieri. Aberat enim Ioannes Pontifex aliena à ſuo officio agens, & fruſtra ſæpe erat à* Romanis *vocatus.* Hæc Mutius parum cum Bzouio concors. His adfinia narrat Nauclerus, ad quintum pronunciatum mox adferenda.

4. Secundum pronunciatum. *Ludouicum Friderico Trinacriæ Regi, ac Petro eius filio ſcripſiſſe, obſecraſſéque vti ſibi venienti vires ſuas commodarent*. Huius pronunciati auctores profert Bzoui⁹, ſed aliis inuiſos, nam ceteri id non habent. nos fidem eius experti, rem in medio relinquimus.

5. Ter-

Digitized by Google

5. Tertium pronunciatum. *Ludouicum dum in Comitiis ad proceres imperij perorat, addidiſſe falſas in Ioannem & Pontificios criminationes, à maleuolentibus præcipuè Fraterculis confictas.* Hoc pronunciatum non magis à Bzouio firmatur, quàm præcedens, nec magis à me curatur.

6. Quartum pronunciatum. *Criminationum illarum commemoratione Ludouicus non paucos Germanorum in ſuam ſententiã pertraxit, vt auderent excommunicato adhærere.* Atqui Mutius, qui ſolus hoc ex auctoribus illis attingit, non criminationũ, ſed legationum commemorationem vt cauſam affert; *Nec paucis,* inquit, *Germanis proceribus addidit animos, vt auderent Ludouico excõmunicato adhærere, putabant enim Italos, præcipuè* Ro*manos, melius certiúſq; poſſe iudicare de Romano Pontifice.*

7. Quintum pronunciatũ. *Ludouicum Comitiis finitis, cõpoſitiſq; Germaniæ rebus copias contraxiſſe, aliáq; ad expeditionem neceſſaria comparaſſe; deinde nunciis* Ro*manorum & aliorũ Gibellinorum dimiſſis, primores eorum, à quibus miſſi aduenerant, laudaſſe, præmia, pacẽ & aduentum ſuum promiſiſſe.* Nihil aut diligentiæ in hoc homine eſt, aut parùm intelligẽtiæ. Reſponſum n. à Ludouico legatis datũ, iam ſupra [a] deſcripſerat; hìc tamen ſine cauſa repetit, atq; ita quidem ac ſi Ludouicus poſt comitia peracta copiáſque & res alias comparatas dimiſerit legatos,

[a] *Hoc ipſo* §

&

& poſt eorum dimiſſionē demum ad legationem reſponderit: quod nemo niſi Bzouius vel ſcribere potuiſſet, vel credere. Ludouicus ante comitia apparationémque bellicam legatis etiamnum prę ſentibus reſponderat, eóſque dimiſerat, vt apertè teſtantur Mutius & Nauclerus, Bzouij auctores: poſterior ita ſcribit, *Senatores Vrbis & Romani* *ſcripſerunt Ludouico Regi, quatenus dignaretur ad vrbem venire, quibus literis & nuncijs receptis, gauiſus eſt, & de aduentu ſuo certum dedit reſponſum, remiſsis nuncijs valde contentis. Deinde Ludouicus* R*ex mox Spiram vocauit principes*, &c. Mutius verò ſic ſcribit, *Romanos legatos laudatos, & non vulgariter muneribus donatos remiſit* Romam, *ſe venturum breui pollicetur, diémque indicat, ad quem ſit expectandus; promittit praterea omnibus pacem diligentibus pacificum ſe venturum, & cum copijs, quibus poßit ſuos defendere. Quare ſine mora conuocat Germania principes, ſtatímque compoſitis in Germania rebus, contrahit copias, comparátque alia ad expeditionem neceſſaria* &c. Hæc Mutius. Bellè igitur Bzouius ὕϛερον πρότερον deſcribit. Tandem more ſuo Villani c. 330. adducit, in quo tamen nihil penitus ad rem eſt, pertinétque illud ad annũ 25. non ad 26. quo de hîc agit Bzouius.

gener. 45. an. 1326.

l. 24 pag. 228, 21.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 1327.

Ludouici Imperatoris XIV.

Col. 489. I. II. III. I. *B*Zouius. *Caroli Ducis Calabriæ & Ioannis Vrſini Cardinalis legati in Jtaliam aduentus ad eum modum Gibellinorum animos perterruerat, vt de ſe actum putauerint, niſi Ludouicus Bauarus in adiutorium acceleraret. Præter Parmam & Bononiam, nonnulláque non ignobilia oppida, Mutinam quoque, Immolam & Fauentiam, Bertrandus Cardinalis in Æmilia legatus receperat, atque Gibellinos tum armis, tum diris premebat. Carinthiæ etiam Dux pro Patauinis & Vicetinis depugnans, Scaligerorum, Ateſtinorum, & Paſſarinorum copiis formidoloſus euaſerat. Cùm itaque omnes ſibi inuicem metuerent, Ludouicum ad iter ſuſcipiendum literis & Nunciis miſſis perurgebant. Ad initium huius anni Ludouicus, ſuperatis alpibus, Tridentum vſque penetrauit, diémque confœderatis Italiæ Tyrannis* XIV. *Cal. Martij comitio celebrando deſignauit, neque vllis precibus aut promiſſionibus, vt vlterius progrederetur, adduci potuit, donec coniurati Principes conueniſſent. Adſuerunt Actius & Marcus Vicecomites à fratre Galeacio deſtinati, deinde Canis Scala-*

nus,

nus, Bonacoſſa Paſſarinus, alter ex Marchionibus Ateſtinis, Guido exEpiſcopus Aretinus, cum oratoribus Friderici regis Trinacriæ, Caſtrucij Lucenſium tyranni, exulum Genuenſium, Piſanorum, Mediolanenſium & aliorum qui ſe fideles imperij eſſe affirmabant. In eo comitio Ludouicus Bauarus, fidem ſuam iureiurando obſtrinxit, ſe in Italiam exercitum ducturum, vt diademate Imperatorio Mediolani, & in Vrbe Principe coronatus, Romanũ Imperium in Italia ſtabiliret, cunctóſque clientes Imperij ab iniuria Pontificiorum vindicaret, inque libertatem aſſereret. Viciſsim confœderati Sacramentum fidelitatis, obſeruantiæ & obſequentiæ illi præſtiterunt, ac centum quinquaginta millia nummum aureorum numerare promiſerunt, cum primum is Mediolanum ſigna intuliſſet. Piſanorum Nuncij ea conditione Ludouico pecuniam pollicebantur, ſi is vrbem illorum præteriret, neque ingreſſum cogitaret.

Aderant cum Ludouico *plurimi Epiſcopi, Prælati,* Regulares *diuerſorum Ordinum, Apoſtatæ, Schiſmatici, Hæretici, anathemate ab Ioanne ſummo Pontifice propter grauiſsima flagitia damnati, atque exauctorati. Eorum agmen ducebat Magnus Magiſter Militum Teutonicorum furiis in Romanum Pontificem inuectus, propter Pomœraniam* Regi *Poloniæ non reſtitutam virga Eccleſiaſticæ diſciplinæ ab Ioanne percuſſus. Marſilius Patauinus & Ioannes* 11.

Jandunus hæreſiarcha ad ſubſellia ſedis Apoſtolicæ propter hæreſes euocati, meritóque damnandi, oleū camino affundebant, & tam Ludouicum, quàm reliquos in Ioannem Pontificem inflammabant. Præter alia quæ filij Belial iactabant, mentiebantur. Primò, Chriſtum adeóque etiam ſummum Pontificem, & reliquos Eccleſiaſticos imperatori terreno ſubiectos. Secundò Imperatorē poſſe Papam inſtituere & deſtituere, ſeu deponere. Tertiò, Papam & Epiſcopos amplitudinem iuriſdictionis nō à Chriſto, ſed ab Imperatore obtinere. Quartò, in Imperatorem nullam poteſtatem habere. Quintò, vniuerſam ſimul collectā Eccleſiā Orthodoxā, nullam potentiam coactiuam ad caſtigandos puniendóſq; peccantes poſſe exercere. Sextò, Beatū Petrum nō plus quàm alij Apoſtoli, à Chriſto accepiſſe. Septimò, omnes Sacerdotes quicunq; illi fuerint, Papa, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & ſimplices presbyteri æqualis iuriſdictionis & auctoritatis eſſe. Octauò, Papā nullum dominium in imperio in temporalibus poſſidere. Nonò, Imperialem dignitatem immediatè ab ipſo ſolo Deo eſſe, neque quicquam in eam Pontificem Romanum aut Eccleſiam poſſe. Decimò, Excommunicationes & alias cenſuras Ioannis Pontificis, in Ludouicum prolatas nullius momenti adeóque non timendas eſſe. Vndecimò, Ludouicum Bauarum, quamuis à ſede Apoſtolica abdicatus fuiſſet, verum & legitimum Imperatorem fore. Duodecimò, Ioannem Ponti-

ti-

Digitized by Google

tificem, etſi propter alia dicta & facta, ab impoſtoribus confícta, maximè tamen propter opinionem Fratricellorum, quam is ipſe condemnauit, hæreticum notorium debere cenſeri.

Hæc & alia à patre mendaciorum in Ioannem 112 *Pontificem & alios Eccleſiaſticos excogitata cùm hæreſiarchæ verbis & ſcriptis libellis mentirentur, adeo Ludouicum & conſiliarios impietatis permouerunt, vt is in eodem comitio denunciauerit, Ioannem ſummum Pontificem, non eſſe verum & legitimum Papã Petri ſucceſſorem. Quamobrẽ non eum amplius Ioannem, ſed Iacobum è Caturco per contumeliam appellabant, à cõmunione Chriſti fidelium præciſum denunciabant, clauéſque illi à Chriſto traditas conculcantes ſacra & ipſi faciebãt, & vt alij facerent cõpellebant, eò maiore audacia, quo Ludouicus in eo totꝰ eſſet, vt quãprimum Romam attigiſſet, Ioannem publica temeritate exauctorare decerneret. Totos XXV. dies Tridenti in conſilio impiorum Ludouicus ipſe in cathedra peſtilentiæ præſidens laborauit, quemadmodum & Eccleſiam Romanam ſupra petram inædificatam conuelleret, & Romanum Pontificem ſub iugum mitteret, & omnes Eccleſias bonis temporalibus, Prælatos verò vniuerſos poteſtate exueret. Ingemuit tunc orbis Catholicus, cùm videret à Ludouico Bauaro idolum abominationis in templo ſuſcitari, Maieſtatémque Pontificiam, & poteſtatem Eccleſiaſti-*

cam ab eo conculcari. Ad XIII. Martij Tridento exiuit, & primum Brixiam deinde Mediolanum menſe Aprili venit. Septingentos equites Canis Scalanus, trecentos Marchiones Ateſtini & totidem filius Paſſarini, reliqui verò Principes ſeu Tyranni aliquot centurias Bauaro Mediolanum ingredienti ſubmiſerant, quibus ille fretus terrrorem hoſtibus incuſſerat. Villani l. 10. c. 17. 40. 45. 33.

2. Rem magnam tibíque oppidò inſuetam, nec tuis æquam viribus pręſtas Bzoui, ſi in tam longa narratione probus es, cum vnico teſte Villano, & vt ſeſe dant initia more tuo incipis. Sed antequam ad pronunciata deueniam, libet paululum conſiderare cauſas, quæ impulere Italos Gibellinos, vt nunciis & literis iter Ludouici accelerarent. Cauſæ fuere tres; aduentus Caroli Calabriæ Ducis & Ioannis Vrſini legati Apoſtolici in Italiam; felix progreſſus Cardinalis Bertrandi in Æmilia; Carinthiæ dux, qui pro Patauinis & Vicetinis depugnãs, Scaligeris, Ateſtinis, & Paſſarinis formidoloſus euaſerat. Hæ ſunt nimirum apud Bzouium cauſæ, quare vrgeretur profectio Ludouici. Propè exclamo, ô caput pulchrum, ſed ſine cerebro. Procul dubio formidoloſus euaſerat Carinthiæ dux Gibellinis, nam nemo eum hoc tempore ſine formidine ac horrore, ſi Bzouij hiſtoriis credimus, contueri poterat in tumba ſanie aut fluentem, aut ver-

mibus

Digitized by Google

mibus corroſum, nam pridem ex ſententia Bzouij mortuus erat. Enarrat Bzouius anno 1324. Ludo- XXVIII.
uicum vt dominium ſuum amplificaret, viro potenti (nempe Bohĕmiæ regis filio) per iniuriam tuliſſe vxorem Margaritam Maultaſchiam, quæ patre iam orba, vacantem Carinthiam in dotem pridem ante diuortium Bohĕmo attulerat. Quod ſi vera refert Bzouius, ſicut falſa referre non vult videri, neceſſe eſt, multos antè annos hunc Ducem ſepultum fuiſſe, quàm pro Paſſarinis arma ferret. Dices fortaſſe Bzoui, de nouo Carinthię Duce, Margaritæ marito ſermonem tibi eſſe. Bene eſt, is fuit, te auctore, Otto Ludouici filius. Ergóne tu patrem aduerſus filium in Italiã accitum dicis? quod præter te nemo dicit, nemo ſentit. Bella hiſtoria, bellus hiſtoricus.

3. Primum pronunciatum. *Ludouicum Tridenti confœderatis Tyrannis decimum quartum Kalend. Martij comitio celebrando deſignaſſe.* Quid ſi Bzouius ne Kalendas quidem in ſuo Breuiario noſceret? Villanus de Kalendis iſtis Comitio deſignatis nihil, ſed ait die 26. Februarij Ludouicum Cæſarem promiſiſſe iuraſſéque, ſe in Italiam profecturum; at decimus quartus Kalend. non eſt vigeſimus ſextus, ſed decimus ſextus, quod pueri te docerent.

4. Secundum pronunciatum. *Ludouicum*

nullis

nullis precibus aut promiſſis, vt progrederetur, adduci potuiſſe, donec coniurati principes conueniſſent. Hoc pronunciatum Villani eſſe debebat, ſed Bzouij eſt. Fieri quidem potuit, & prudenter, vt ſeſe non commoueret Ludouicus antequam ſuarum partium Principes aduenisſent, ſed nos facta perlegere cupimus in Bzouio, non facienda.

5. Tertium pronunciatum. *Adſuiſſe Tridenti cum Ludouico Actium, & Marcum Vicecomites à fratre Galeacio deſtinatos.* Vbi autem Villanus refert à Galeacio miſſos? adfuêre illi quidem Tridenti; verum à fratre Galeacio ambos deſtinatos Villanus nõ dicit, ſed potius de altero contrarium alibi ſignificat, vbi Marcum inter oſores Galeacij ponit, & accuſatorem, vel certè ſocium accuſatorũ Galeacij apud Ludouicum facit. Quin & tu Marcum ab Galeacio non miſſum, ſatis anno 1325. ſignificaſti hoc ipſo quod narraſti ex Corio & Iouio Galeacium à Marco fratre ad Ludouicum delatũ, idque Galeacium ſubodoratum. Quis enim credat Galeacium ſummæ, vt Iouius [a] eum vocat, prudentiæ virum, poſtea delatorem ſuum miſiſſe legatum ad eundem Ludouicum? cùm præſertim de redintegrata eorum amicitia Iouius Coriúſque nil memorent, nec Marcũ & Galeacium pro gentis ingenio, breui ac facilè depoſuiſſe odia credibile ſit. Quid quod Corius hoc ipſo anno 1327. clarè dicit,

lib. 10. c. 62. Ant. em.

N. VI.

[a] *In Galeac. p. 94. poſt m.*

dicit, *Ludouicus Bauarus ex Germania diſcedens, Tridento Veronam venit, vbi à Scaligero ſummo cum honore exceptus fuit. Marcus Vicecomes quamprimum ipſum conuenit, & Galeacium de aliquibus rebus accuſans, maximè quod cum legato pacem tractaret; eum vt abſque mora Mediolanum properaret, rogauit: quare percepta Vicecomes ita effatus eſt, Frater meus Marcus ſeipſum ferit: quod cum Marcus intellexiſſet, reſpondit, Galeacius ſtudet eſſe ſolus, & manebit ſolus.* Eadem Iouius narrat. p. 99. v. 1.

6. Quartum pronunciatum. *Adfuiſſe Tridenti legatos Mediolanenſium.* Fortaſſe Bzouius eos miſit, apud Villanum ablegati nulli ſunt.

7. Quintum pronunciatum. *Ludouicum iuraſſe ſe in Italiam exercitum ducturum, vt diademate Imperatorio Mediolani & in vrbe principe coronatus Romanum imperium ſtabiliret, cunctóſque clientes Imperij ab iniuria Pontificiorum vindicaret, inque libertatem aſſereret.* Fœcundiſſimum Bzouij pectus, ſemper ei ſub calamo facundia creſcit; plus promit, quàm ex aliis condat Eius auctor Villanus hoc vnicum dicit, *Iurauit ſe in Italiam profecturum, neque in patriam terram rediturum, donec Romam attigerit.* Hęc Villanus, qui nimis ſiccus eſt; maior in Bzouiano ore ſuccus, ſed inſulſus.

8. Sextum pronunciatum. *Confœderatos Sacramentum fidelitatis, obſeruantia & obſequentia Ludoui-*

douico præſtitiſſe. Bzouius ex Villano, libro nullo, capite nullo, verſu nullo.

9. Septimum pronunciatum. *Adfuiſſe plurimos Epiſcopos, Prælatos, Regulares, diuerſorum Ordinum, Apoſtatas, Schiſmaticos, Hæreticos* &c. Satis multa, nec tamen ſatis Bzoui. Cur Regularium ordinum nomina ſub velo ſeruas, & non aperis? video id te ex calliditate facere, vt tuorum honori parcas. Villanus etiam Dominicanos his tuis hæreticis, apoſtatis, ſchiſmaticis adnumerat. Dico tuis, nam Villanus eos hæreticorum nomine non infamat, tametſi apoſtatas & ſchiſmaticos appellet.

10. Octauum pronunciatum. *Ludouici hos comites fuiſſe ab Ioanne Pontifice propter grauiſſima flagitia damnatos atque exauctoratos.* Iterum copioſior es Bzoui, quàm Villanus, nam Villanus omnino ſilet, tu tamen loqueris. Sed fuerint aliqui damnati, fuerint aliqui etiam flagitioſi; omnes non fuere, & infers tu iniuriam non tenuem multis & magnis viris.

11. Nonum pronunciatum. *Agmen hæreticorum, ſchiſmaticorum, apoſtatarum duxiſſe Magnũ Magiſtrum militum Theutonicorũ, furijs in Romanum Pontificem inuectum, propter Pomœraniam Regi Poloniæ non reſtitutam virga Eccleſiaſticæ diſciplinæ percuſſum.* Summa oris Bzouiani vbertas; aduertat contrà lector Villani ieiunitatem, qui ſolùm

ſum dicit, *Cum quibus erat quoque Magiſter Domus Teutonicorum*; quem Bzouius pedibus proteruè terit.

12. Decimum pronunciatum. *Marſilium Patauinum, & Ioannem Iandunum Hæreſiarchas ad ſubſellia ſedis Apoſtolicæ propter hæreſes euocatos, meritóque damnandos, oleum camino affudiſſe, & tam Ludouicum, quàm reliquos in Ioannem Pontificem inflammaſſe.* Fortaſſe etiam Bzouium inflammarunt, nam bile & odio ardet, alioqui non effutiret, quæ in teſte ſuo Villano non reperit. Vbi apud Villanum hoc loco Marſilius & Iandunus? vbi eos Bzouius Tridenti cum Cæſare vidit? adfuêre fortaſſe, fateor, ſed Bzouius ſcribat hiſtorias, non coniecturas. Imò non niſi iratus eſſe poteſt Bzouius, nam duodecim capita commemorat, quæ filij Belial in Ioannem Pontificem iactarint mentientes, è quibus vndecim apud Villanum nec ipſe Bzouius ſpeciatim inueniet, & tamen ipſe ſpeciatim ex Villano proponit, vendítque fumos. *In eodem conuentu*, inquit, Villanus *declarauit* Ludouicus, *non tamen licitè, Ioannem* XXII. *hæreticum & Papam non dignum, ſedecim articulos contra eum opponens.* Bzouius, vt bellè cum ſuo auctore conueniat, duodecim eſſe affirmat. Duodecimum quidem Bzouij caput Villanus attingit, ſed aliter, *Iohannem Pontificẽ*, ait Bzouius, *etſi propter alia dicta* l. 10. c. 17. m.

& facta ab impoſtoribus conficta, maximè tamen propter opinionem Fratricellorum, quam ipſe condemnauit, hæreticum notorium debere cenſeri. Hæc tu. Villanus ita, *Inter alia puncta Papæ oppoſita præualebat illud, quod cùm Chriſtus nihil proprij habuerit, Papa tamen inimicus eſſet ſanctæ paupertatis.* Non paruum diſcrimen eſt inter Villani calamum & linguam tuam Bzoui.

13. Vndecimum pronunciatum. *Marſilius & Iandunus adeò Ludouicum & Conſiliarios impietatis permouerunt, vt is in eodem comitio denunciauerit Ioannem ſummum Pontificem non eſſe verum & legitimum Papam, Petri ſucceſſorem.* Villanus nihil de hac Ludouici denunciatione, ſed tu ex incredibili in Ludouicum cultu affingere ei ſoles facta, vt laceres, quem odiſti.

14. Duodecimum pronunciatum. *Pontificem non amplius Ioannem ſed Iacobum è Caturco per contumeliam appellatum.* Bellè iterum Bzouij Villaníque verba conſentiunt. Villanus ita ait, *Pontificem per irriſionem presbyterum Ioannem nominabant.* Vbi tuus Iacobus è Caturco Bzoui? quid fingere non liceat, ſi etiam contumelias fingis?

15. Decimum tertium pronunciatum. *Ioannem*

nem à communione Chriſti fidelium præciſum denunciabant. Villanus ſolum dicit, *Ioannem excommunicari fecit.*

16. Decimum quartum pronunciatum. *Claues illi* Ioanni *à Chriſto traditas conculcantes, ſacra & ipſi faciebant, & vt alij facerent, compellebant.* Villanus nihil de clauibus, nihil de conculcatione tua etiam metaphorica, nec de aliis ad ſacra facienda adactis.

17. Decimum quintum pronunciatum. *Ludouicum in eo totum fuiſſe, vt quàm primùm* Romam *attigiſſet, Ioannem publica temeritate exauctorare decerneret.* Ex tuo ſcrinio iſthoc eſt Bzoui, Villani arca vacua eſt, & falſum te aliàs loqui, res ipſa docebit, nam multa alia tu anno ſequente per- *N. XII III. IV.* cenſes à Ludouico Romæ factitata, antequam 18. Aprilis Pontificem exauctoraret, quarto poſt vrbis ingreſſum menſe, cùm 8. Ianuarij Romam venerit, vt ipſe tradis. Neque Ludouicus ſua ſponte *N. I.* ſed Cleri populíque Romani inſtinctu Iohannem depoſuit, & Nicolaum ſubſtituit, alioqui id prius feciſſet, etiam ea de cauſa, vt non ab alio, niſi à Romano Pontifice coronaretur, nequid minus quàm alij Imperatores habuiſſe videretur. Atqui ipſe curauit ſe coronari ab alio, eáque coronatione contentus fuiſſet, niſi Romani alium Pontificem poſtulaſſent ab eo deſignandum.

 18. De-

18. Decimum ſextum pronunciatum. *Ludouicum totos viginti quinque dies Tridenti in conſilio impiorum, & in cathedra peſtilentiæ fuiſſe.* Villanus dies Imperatoriæ in Tridentino conſilio moræ integros non niſi quindecim indicat, à 26. Februarij ad 13. Martij, quo Ludouicus certè non toto fuit in conſilio, cùm diſceſſerit eo die. Hoc vnum laudis hîc meretur Bzouius, quod conſtanter errat: nam cùm antea 10. diebus Ludouicũ citiùs quàm Villanus in id conſilium adduxerit, conſequens erat, vt eundem totidem diebus ſerius indidem abduceret.

19. Decimum ſeptimum pronunciatum. *Ludouicum totis illis 25. diebus laboraſſe, quemadmodum & Eccleſiam Romanam ſupra petram inædificatam conuelleret, & Romanum Pontificem ſub iugum mitteret, & omnes Eccleſias bonis temporalibus, Prælatos verò vniuerſos poteſtate exueret.* Inſanus es Bzoui, & idcirco helleborum tibi propino. Non ſunt iſta ex Villano, ſed ex liuore tuo. Ipſi manes Ludouici aliquando te moriturum inceſſent, ob tam barbaram immanitatem. Nihil ille contra Eccleſiam Romanã, aut cogitauit, aut molitus eſt, ſed contra Pontificem Iohannem politicè dominantem, ipſúmque ab imperio arcentem, omnes ipſius machinæ ſpectabant. Et quomodo is meditatus fuiſſet Eccleſiæ Romanæ interitum,

qui

qui pro eius conſeruatione nouum Pontificem creandum putauit, qui ei præſens præeſſet ac prodeſſet? Iohannes enim in Galliis aberat, & non tam in Ludouicum, quàm plurimos Italorum anathemate bella gerebat. Quos autem porrò Eccleſiaſticos bonis temporalibus exuit? profer eos, Bzoui, profer? aut ego aliud quidpiam proferam. Si quidam eorum in prædiis aliiſue fortunæ bonis cladem acceperunt, ſcias eos ab hoſte accepiſſe, quæ ipſe Ludouicus ab hoſtibus accepit. Non neſcimus Rebdorfium alicubi tradere, Ludouicum clericorum ſecularium, quos vocamus, non fuiſſe adeò amantem; non legimus tamen ab eo aut bonis euerſos, aut iniuria affectos. Religioſos certè inſigniter coluit, imò etiam monaſteria magnis impenſis excitauit, atque adeò opulentis reditibus locupletauit. Quocirca intolerabilius eſt, quòd ſcribis, Ludouicum laboraſſe, quemadmodũ omnes Eccleſias bonis temporalibus exueret. Si imitari te delectaret, & more aurigarum loqui, dicerem, mentitur Bzouius.

p. 437. 45.

Auentin. l. 7. p. 790. poſt m.

20. Decimum octauum pronunciatum. *Ingemuit tunc orbis Catholicus cùm videret à Ludouico idolum abominationis in templo ſuſcitari, maieſtatémque Pontificiam & poteſtatem Eccleſiaſticam ab eo conculcatam.* Ex eodem turbido fonte tuo promanat hoc pronunciatum Bzoui, nam Villanus

tam

tam parum dicit de conculcata pontificia maieſtate, quàm parùm Bzouius dicit de conculcata Cæſarea maieſtate.

21. Decimum nonum pronunciatum. *Ludouicum Tridento primùm Brixiam veniſſe.* Bzouius ex Villano nouit, quæ Villanus ipſe nõ memorat.

22. Vigeſimum pronunciatum. *Ludouicum menſe Aprili Mediolanum veniſſe.* Hoc quoque Villanus non ſcripſit: imò Corius id 13. Maij, Boſſius 17. Maij factum tradunt.

23. Vigeſimum primum pronunciatum. *Aliquot equitum centurias Ludouico à principibus Italiæ ſuppeditatas*; de quibus Villan⁹ c. 19. quod Bzouius pro memoriæ ſuæ excellentia non aſcripſit; contrà verò aſcripſit, ordine tamen præpoſtero c. 40. 45. 33. quibus in capitibus nil penitus eſt eorum, quæ commemorat.

Col. 491. IV. & V. 24. Bzouius. *Tulit tunc temporis pœnas flagitiorum Galeacius Vicecomes, toties Ioanni ſummo Pontifici rebellis. Frater illius Marcus, ingenij captu ſupra æquum turbidus & ferox, tanquam periculorum omnium ſocius, & totius victoriæ præclarus adiutor, fratrem rerum dominum ferre non poterat, vel natu maximum, & prudentia auctoritate potiorem; & cùm regnum duos non caperet, quibus modis id aſſequeretur, violentus & vecors agitabat. Iuerat cum Leodriſio Tridentum obuiam* Ludouico *Marcus, atque*

atque Galeacium multis oneratum calumniis, maieſtatis reum peregerat, conniuente ad id ſcelus Cane Scaligero, qui ex aliena diſcordia turbatis rebus, obuentura ſibi commoda vir aſtutus atque ambitioſus expectabat. Accuſabatur atrociter, quod nimis intempeſtiuè paranda pacis cupiditate adductus Gibellinarum partium graui damno cum pontifice tranſegiſſet, Cardonio præſertim tanto duce iniqua plenáque perfidia ſimulatione hoſtibus reſtituto; Mediolani verò ſublata libertate, propinquis amicíſque veteribus planè contemptis, ſolus impotenter ſuperbéque regnarit. Non ea neſciuit Galeacius, ſed ſatis prudenter dixit, Dũ me Marcus frater impiè ferit, ſeſe temerè conſauciat. *Scilicet Marcum admonuit, nihil aliud Ludouicum quærere, quàm per diſcordias fratrum imperium ſibi ſtabilire. Iſtud deferentibus amicis audiens Marcus, temerè reſpondit:* De hoc quid in fatis futurum ſit, Galeacius viderit, qui adepol fratrem non habet, cùm ſolus regnet. *Diſtulit eam diſceptationem in itinere Ludouicus: maximè quod & Galeacius obuiam veniſſet, cum ornatiſſimo comitatu dona deferens, non admodum opulenter inſtructo ſibi gratiſſima. Interea Ludouicus liberali ſumptu, & planè regio ſplendore Mediolani exceptus, & Kalend. demum Iuniis in templo D. Ambroſij ferreo diademate coronatus eſt, tradente inſignia Guidone Tarlato Aretinorum pſeudoepiſcopo, Gibellinarum partium in Italia principe, quod Fr. Aychardus Me-*

diolanen. Archiepiſc. Ord. Prædic. profeſſus ſeſe ſubduxiſſet, ne pſeudo Imperatoris inaugurationi ſeſe impiaret. Hic inprimis Canis Scaliger profunda ambitione incenſus, oblata ingenti pecunia indigenti Ludouico, petebat, vt Mediolani iure Auguſtali Princeps diceretur. Etenim magno aſtu apud proceres Germanorum Galeacium, vel nullo certo indicio majeſtatis reum, nec adhuc ad dicendam cauſam ad tribunal Ludouici vocatum, præcipiti iudicio prædamnabat. Sed Ludouicus graui admodum ancipitis conſilij ſuſpenſus cura, quid ſibi decernendum foret, non videbat. Itaque ad eum modum Scaligero reſpondit, vt ſpem ei non præcideret, & præſentibus eius copiis ad patrandum facinus vteretur. Interea dabat operam, vt Germanici ſanguinis vetus miles perpetuis ſtipendiis, & beneficiis Galeacio obſtrictus, vel ab ipſa Matthæi Othoníſq; memoria fidem mutaret, nouúmque ſibi reiecto ſuperiore ſacramentum diceret. Aequum enim poſtulare videbatur, quum pro ſua, & Germanicæ gentis dignitate ſalutéque peteret, vt firmiſſimo conſenſu, Aquilam Romani Imperij ſignum reſpicere, ídque tueri, & ſe proficiſcentem Romam ſequi vellent. Futurum enim breui, vt & opima ſtipendia, & digna ipſorum fide præmia conſequerentur. Neque mora, Germanis graui ſcelere, fidem occultè mutantibus, concilium ſolenne proceribus indixit Ludouicus,

uicus, adque illud Galeacium cum Actio filio & fratribus euocauit. Tum verò Marcus prodiit, venenúmque dirum domui, ſibiq; demum lethale euomens, ſupplex petijt, vt æqui iuris libertatem ciuitati reſtitueret oppreſſam & planè extinctam inuſitata tyrannide Galeacij ſuperbi fratris. Idque ſi Ludouicus *à miſeris impetrari pateretur, Mediolanenſes quantam oporteret in ſtipendium pecuniam collocaturos, nec à fide & amicitia Cæſarum vllo vnquam tempore receſſuros. Ita ſuadente impellentéque Marco, Ludouicus tributum Mediolanenſibus in ſtipendia militum impoſuit, diémque ad ſoluendum præſcripſit. Aderat fortè perſoluendæ pecuniæ tempus, eámque Galeacius exhauſto iam planè ærario, cui per tres menſes Ludouicus auiditate inſatiabili grauis & importunus extiterat, non niſi cunctanter expediebat. Populo quoque eamdem pecuniam, ſine graui diſcrimine, tanta oneratus calumnia, imperare non poterat, patriciis iam planè Marci & Leodriſij malignitate deprauatis, populóque per ſe cupido rerum nouarum ad ſpem libertatis erecto. Cúmque & militem Germanum à ſe alienatum, ſeque de variis criminibus apud* Ludouicum *poſtulatum certo certius didiciſſet, ferunt, in faciem,*Ludouico *vectigal & ſtipendia exigenti reſtitiſſe, túmque demum maieſtatis reum ſeſe prodidiſſe. Accitum itaque in comitium, & obiecta crimina refellentē, itemq; Luchinum, Ioan-*

 ném-

némque fratres, Actiúmque filium ex compoſito, prætorij præfectus in proximum cubiculum, quaſi Ludouicus liberius loqui vellet, ſeductos, Nonis Iulij comprehendi, & in arcem Modoetienſem deportari, duráq; à Galeacio olim extructæ cuſtodiæ tradi imperauit: non omnino iniqua ſorte, vt fabrefacti paulò antè ab ſe tetri carceris furnum, ita à depreſſa teſtudine vocatum, primus experiretur, quem Pontificiarum partium captiuis ad pœnam parauiſſet. Auxit illis vehementer calamitatem cuſtodiæ præfectus, è Norico Ancius Rizaccus, *ingenio ita immiti erga miſeros, vt nec quotidianis muneribus emollitus, quicquam de inhumana feritate remitteret. Ad eum modum Galeacius perpetuus, atque acerrimus Cæſariani nominis defenſor, ab ipſo Bauaro, ſummis precibus in Italiam euocato, magníſque officiis & muneribus exculto, in maximam calamitatem detruſus fuit: in pœnam contemptæ* Pontificiæ *maieſtatis Deo hæc omnia permittente. Potiundi tunc auri dira cupiditas, quæ in Ludouico profunda infinitáque apparuit, accuſante Marco & immodica pollicente, vehementer excitata, & veteris clientelæ, & recentis officij, & hoſpitalis amicitiæ iura facilè diſſoluit.*

r. *Galeacio deiecto, Ludouicus aſtuto conſilio, viginti quatuor inſignes viros è ſingulis tribubus regendæ reipublicæ ad imaginem antiquæ libertatis creauit. Sed ſtatim etiam honorarij ſubſidij nomine pecuniam impe-*

Digitized by Google

imperauit, & eam quidem multò ampliorem, quàm à Galeacio popoſciſſet. Neque multò pòſt, qui ſumma rerum publicóque conſilio & tutelæ vrbis præeſſet, delegit Guillelmum Montfortium, quem cum delecta manu Germanorũ Mediolano impoſuit. Non potuit tamen non laborare inuidia tam atrocis facti in Vicecomites admiſsi Ludouicus. Quapropter ad eã leniendam literas protulit, concepti cum Ioanne Pontifice fœderis indices, captis, vt dicebat, Galeacij tabellarijs. Secundum hæc Ludouicus reliquis Viceeomitibus, vt ſe Romam proficiſcentem ſequerentur, præcepit: non tamen effugere potuit, quin vbique maledictis & conuitiis exciperetur. Jam enim Gibellinæ factionis Principes, inexpectata Galeacij calamitate, tanquam communi malo atque periculo conſternati, eum non obſcurè oderant, quod ingenio ſuſpicaci ac ſæuo maximéque rapaci partium neruos velle atrociſsimè conuellere videretur. Jouius in Galeac. 1. & Villani l. 10. c. 19. 31. Boſſ. in hiſt. Mediolan.

Narrat hìc iſta Bzouius pleraque ex diſertiſſimo viro Iouio, ne lector elegantiam ſermonis miretur, ſed tamen ita narrat, vt ab eo etiam diſcedat, ſicut in pronunciatis oſtendemus.

25. Primum pronunciatum. *Fratrem Aychardum Mediolanenſem Archiepiſcopum Ord. Præd. profeſſum ſeſe ſubduxiſſe, ne pſeudoimperatoris inauguratione ſeſe impiaret.* Cum tu Bzoui audeas Lu-

douicum pſeudoimperatorem Græcolatino, ac monſtroſo,& falſo nomine appellare,non erit mihi nefas te pſeudohiſtoricum indigitare, nec valdè ornatè, nec valde vrbanè, ſed omninò verè; & eâdèm ferè lingua reſpondeo, quam audio. Nec te excuſat Boſſius, cui de legitima Ludouici electione non conſtabat, vt tibi.

26. Secundum pronunciatum. *Germanos graui ſcelere fidem mutaſſe.* Hoc vno inter cætera demonſtras, qua arte ſcriptores tractes,cùm quem vel laudibus ornare, vel vituperiis onerare ſtatuiſti. Quid hìc Iouium mutilas,cùm aliàs integram eius ſeriem deſcribas? poſtulauit Ludouicus Imperator, vt Germani milites ſtipendiis Galeacio obſtricti, ſibi ſacramentum dicerent, & poſtulare hoc poterat tanquam Cæſar, cuius poteſtati ſuberat Galeacius vt præfectus, ſeu Vicarius. *Igitur Germanis,* ait Iouius, *graui ſcelere, niſi id præſentia Cæſaris eleuaret, fidem occultè mutantibus, concilium ſolenne proceribus indicitur.* Bzouius vt ſcelus graue reddat, præterit malignè verba Iouij, *niſi id præſentia Cæſaris eleuaret:* quo ipſo Iouius innuit, minimè graue ſcelus fuiſſe militibus, in fidem ſupremi domini ſui tranſire relicto minore. Quod enim imperare Cæſar poterat, vtique & poſtulare poterat abſque ſcelere obſecundantium.

27. Tertium pronunciatumm. *Marcum Lodoui-*

douico, ſi Mediolanenſibus libertatem reſtitueret, promiſiſſe, Mediolanenſes quantam oporteret in ſtipendium pecuniam collaturos, nec à fide Cæſarum vnquã receſſuros. Ita Ludouicum Mediolanenſibus tributum in ſtipendia militum impoſuiſſe, diemque ad ſoluendum præſcripſiſſe. Hæc Bzouius ex Iouio, quæ tamẽ vanitatis arguit ſilentium antiquiorũ. Corius, ex quo reliquam Marci orationẽ Iouius petijt, nihil horum memorat, nihil Villanus, nihil Boſſius. Quid plura? nominet Bzouius auctorem Iouij.

28. Quartum pronunciatum. *Aderat fortè perſoluendæ pecuniæ tempus, eámq; Galeacius exhauſto iam ærario, cui per tres menſes Ludouicus auiditate inſatiabili grauis, & importunus extiterat, non niſi cunctanter expediebat, populóque eam ſine graui diſcrimine, tanta oneratus calumnia imperare non poterat.* Loquitur ita quidem Iouius in Vicecomites pronior, quàm in Ludouicum. Audi iudicem Iuſtum Lipſium, *Ego de eo ſic cenſeo. ſtilo bonum grauémque eſſe, & planè ad hiſtoriam; iudicio ac fide ambiguum. Vbi affectus non diſtrahunt, rectum; vbi illi adſunt, obnoxium. Ad gratiam ſcilicet ſe dat & auram. Laudationum nec cauſſam ſæpe habet, nec modum. Genti ſuæ, Vaſtio, Medicæis, nimis ex profeſſo addictus.* *Not. ad polit. p. 18. f.*

29. Sed iam te cum Iouio tuo grauem & importunum ſycophantam oſtendamus. Primùm enim

enim loquimini de pecunia Ludouico Mediolani à Marco nomine Mediolanenſium promiſſa, cùm loquendum eſſet de pecunia, quam Galeacius Ludouico Tridenti per Actium filium promiſerat, vt ad pronunciatum præcedens indicauimus. Deinde Galeacius pecuniam non cunctanter expediebat, ſed omnino non expediebat, vt ad pronunciatum ſequens ex Villano monſtrabimus. Tertiò Ludouicus ærarium non exhauſerat, cum pecuniam iam antè Tridenti promiſſam, quam vtique primo loco exegit, nondum accepiſſet, vt ibidem ex Villano docebimus: exhauſerat ergo Galeacius. Quartò venit Mediolanum Ludouicus 13. vel 17.
N. 22. Maij, vt ſuprà docuimus; & pecuniam petierat ante 6. Iunij, vt eodẽ loci ex Villano audiemus. Nondum ergo Ludouicus integrum tum menſem Mediolani commoratus fuerat, nedum vt per tres menſes Mediolanẽſi ærario grauis extiterit. Quinto, vera & à Bzouio Iouióque fraudulenter omiſſa cauſa, cur Galeacius pecuniam non expedierit, fuit arrogantia, perfidia & inuidia, qua ipſe apud Mediolanenſes ob ſuam tyrannidem & iniquas ſuperuacuáſque prioris temporis exactiones laborabat, Villano & Boſſio auctoribus, pronunciato quinto & ſeptimo producendis.

30. Quintum pronunciatum. *Galeacium oneratum fuiſſe calumniis, & patricios Mediolanen-*

ſes

Digitized by Google

ſes Marci & Leodriſij malignitate deprauatos. Cum Iouio noſtri pene temporis ſcriptore Galeacium odio Ludouici excuſas, quaſi Marci fratris calumniis, non ſuis in Ludouicum & Mediolanenſes commiſſis criminibus in miſeriam inciderit, & Ludouicus in eo comprehendendo cuſtodiæque mandando iura hoſpitalitatis ſoluerit. Loquatur contra Iouium Vicecomitibus addictiſſimum Villanus Hetruſcus, & rei geſtæ ſynchronus, *Cùm Ludouicus Bauarus,* inquit, *nuncupatus, electus Romanorum Rex Mediolani coronatus eſſet, vti dictum eſt, & Mediolani moraretur, promiſſámque ſibi in conuentu Tridentino pecuniam peteret, Galeacius Vicecomes, Mediolani dominus, qui ſuperbia ſua & dominio elatus maiorem ſe Bauaro Mediolani tenebat, & duodecim centurias equitum Germanorum in proprio ſtipendio habebat, cùm pecunia illa nomine Bauari peteretur, arroganter reſpondit, ſe pecuniam quando ſibi pro loco & tempore opportunum foret, impoſiturum; & hoc non ſine ratione dicebat, quia nobilitas omnis Mediolanēſis, & Marcus ipſe frater, aliíque conſortes, totúſque populus Mediolanenſis ob tyrannicū imperium, & ſuperuacaneas angarias, ac grauamina illis impoſita, eum odio habebant, quia totum pro ſe retinere, nec vlla parte contentus eſſe volebat. Nec populo pecuniam imponere audebat, quia ei obtemperatum non fuiſſet, & iam plurimi ex maiori-* an. 1327. c. 32.

bus dominij ſui conqueſti erant de ipſo coram Bauaro: quare Ludouicus per Mareſchallum ſuum cohortibus auxiliaribus, quæ Vogheram iuerant, conuocatis, Magiſtros equitum Germanorum, qui cum Galeacio erant, clam ſibi iuramentum præſtare mandauit. Mareſchallo igitur iam præſente, magnum coëgit ſenatum, in quo aderat Galeacius, & præcipui Mediolanenſes, qui cum de Galeacio & de ſuis apud Bauarum conqueſti eſſent, eum dominio ſuo abire iuſſit, & in eodem ſenatu mandauit Mareſchallo ſuo, vt Galeacium & Actium filium, Marcum & Luchinum fratres captiuos ſumeret. Hoc factum eſt die 6. Iulij anno 1327. ob quam rem nobilitas populúſque Mediolanenſis fuit valde lætus & contentus. Contigerat etiam, vt cum Ludouicus nocte quadam pontem circa aggerem ciuitatis fieri curaſſet, ſequenti nocte eundem Galeacius deſtrueret. Alia Galeacij & reliquorum vicecomitum crimina ad pronunciatum VII. differimus.

Corius an. 1327. annum.

31. Sextum pronunciatum. *Vicecomitum calamitatem auxiſſe cuſtodiæ præfectũ Ancium Rizacum.* Fortaſſe in mandatis id habuit, cùm mortem quoque ipſam meriti fuiſſent, vt mox patebit. Sed interrogo Bzouium, cur hunc præfectum cum Iouio Ancium ſiue Antium vocet, & non cum Corio Iohannem? Germani enim Iohannem Hans vocant, ex quo Iouius & Bzouius Ancium fabricarũt: cogno-

cognomen eius de Riſchach fuit, ex quo illi Rizaccum finxerunt: tolerabilius Corius, De Rizac.

32. Septimum pronunciatum. *Ad eum modum Galeacius perpetuus atque acerrimus Cæſariani nominis defenſor, ab ipſo Bauaro ſummis precibus in Italiam euocato, magníſque officiis & muneribus exculto, in maximam calamitatem detruſus fuit, in pœnam contemptæ pontificiæ maieſtatis, Deo hæc omnia permittente.* Hæc eſt gloſſa, vt ſic dicam, interlinearis Bzouij, quam verbis Iouij interſerit, tanquam ab vno eodémque calamo flueret. Abundat nempe ſententiarum multitudine: & vbi vbi occaſio eſt, magno examine profundit, quanquam Villanus videtur Bzouio gloſſæ particulam ſuppeditaſſe.

33. Octauum pronunciatum. *Potiundi auri dira cupiditas, quæ in Ludouico profunda infinitáque apparuit, accuſante Marco & immodica pollicente, vehementer excitata, & veteris clientelæ & recentis officij & hoſpitalis amicitiæ iura facilè diſſoluit.* Ita Iouius cui Villanum opponimus tironi Veteranum, qui, quanquam eiuſdem gentis Guelfus ſcriptor, auiditatis huius non meminit, ſed neceſſitatis potius. ait enim, *Dicitur Ludouicus à Mediolanenſibus & tyrannis, oppidíſque Gibellinorum acquiſiuiſſe ducenta millia florenorũ aureorũ, quibus ſanè indigebat.* Nec aliter fieri poterat, quàm vt ij pro

Digitized by Google

quibus bellum Cæſar ſuſceperat, etiam in partem
expenſarum venirent. Nihil Villanus de Ludouici
auaritia, nil etiam de eadem Boſſius & Corius, ex
quibus reliquam his de rebus narrationẽ ferè ſum-
pſit Iouius. vnde id Ludouico crimen Iouius vide-
tur affinxiſſe in gratiam Galeacij, ſicut & alia quæ-
dam longè aliter narrant Iouius, Boſſius, & Corius
recentiores, quàm Villanus antiquus. Id verò aua-
ritię crimen inſtar aranei libenter deſcripſiſti, ac de-
nuo inculcaſti cum Iouio, relicta egregia illa Lu-
an. 1327. douici laude per Corium deſcripta, *Erat Rex* Lu-
douicus *tanta præditus humanitate & clementia,*
vt nemo ab eo vnquam diſcederet, quin aut auxiliũ,
aut miſericordiam, aut iuſtitiam ab eo poſtulatam ob-
tineret. Quod ſi Villani teſtimonium non ſufficit,
prodeat in medium Boſſius Germanis non nimiũ
amicus, is anno 1327. ita ſcribit, *Quo honore elatus*
Ludouicus *imperium Mediolanenſe Marco maxi-*
mè Vicecomite aduerſus fratres quibuſdámque alijs
nobilibus inſtigantibus, concupiſcere cœpit. Quod vbi
comperit Galeacius, vir ſtrenuus perſpicacis ingenij,
ſciens eum adulterinum imperatorem, ac ſtipendia-
rium ſuum, ſtatuit illi imperatoria cuncta ſubſidia,
omnéſque vires ſubtrahere, ac ſolo nomine imperato-
rem conſtituere; quod haud difficulter præſtitiſſet, ni
eum talia machinantem ſuorum inuidia oppreſſiſſet,
quorum ſuggeſtu captus Galeacius à Ludouico Ba-
uaria,

uaria, vnà cum adoleſcente filio Azone & Ioanne Luchino fratre Modoetiæ in carcerem quinto die Iulij coniectus eſt. Vbi eſt illa dira cupiditas auri Bzoui? an non reum ſe læſæ maieſtatis fecit Galeacius? certè niſi graues extitiſſent cauſſæ, Ludouicus admirandæ humanitatis, quam ſuprà ex Corio mõſtrauimus, princeps nunquam ſuſtinuiſſet tantũ principem in tetrum carcerem conijcere. Cur verò præter Galeacium alios quoque Vicecomites Ludouicus in carcerem coniecerit, prodit Corius his verbis, *Accidit primo die Iulij, vt cùm Bauarus Stephanum Galeacij fratrem, & minorem ex Matthæi filijs, in aulam ſuam ſuſcepiſſet, & poculum ſibi porrigenti, ipſi vt prægustaret commiſiſſet, ille repente in morbum incideret, ſtatimque mortuus in templo S. Euſtorgij ſepeliretur. Quare cùm Stephanus in ſuſpicionem veniſſet, ac ſi venenum imperatori porrigere voluiſſet, quàm primùm Galeacium, Ioannem, Luchinum, & Azonem comprehendi iuſſit.* Eandem ſuſpicionem memorat Albertus Lander, *à Ludouico*, inquit, *Galeacius cum Actio filio, Luchinóque & Ioanne fratribus in arcis Modoëtinæ carcerem ab ipſo non pridem fabricatum conditus eſt, tanquam venenum Cæſari parauiſſent.* Subijcit occaſionem ſuſpicionis, quam ex Corio attulimus.

N. 33.

Deſcript. Ital. in Löb. tranſpad. p. 674. f.

34. Nonum pronunciatum. *Ludouicum aſtuto conſilio 24. inſignes viros è ſingulis tribubus re-*

gendæ reipub. ad imaginem antiquæ libertatis creaſſe. Quid non facit animorum affectus? hoc conſilium ſi Galeacij fuiſſet, Bzouius & Iouius prudens vocaſſent: nunc verò quia Ludouici fuit, aſtutum ſeu callidum vocauere, virtutem vitij nomine dehoneſtantes.

35. Decimum pronunciatum. *Ludouicum à Mediolanenſibus multò ampliorem, quàm à Galeacio popoſciſſet pecuniã exegiſſe.* Suades hoc ex Iouio, Cap. 32. f. ſed non perſuades, cùm ex antiquiorib. Villanus tantùm doceat eum 50. millia aureorũ, Corius verò magnã pecuniã accepiſſe, nulla facta comparatione cum ea, quã ab Galeacio popoſciſſet; Boſſius verò tantùm dicit eum à Mediolanenſibus dono accepiſſe 15. millia aureorum.

36. Vndecimum pronunciatum. *Non potuit non laborare inuidia* apud Mediolanenſes, vt Bzouius perſuadere lectori vult, *tam atrocis facti in Vicecomites admiſſi Ludouicus.* Quàm facto Ludouici Mediolanenſes inuiderint, dicent nobis Villanus & Boſſius; prior ſcribit, vt iam vidimus, nobilitatem populúmque Mediolanenſem valde fuiſſe lætum, poſtquam in cuſtodiam abductus Galeacius fuiſſet; Boſſius verò ait, Galeacium Ludouico mala machinantem, ſuorum ciuium inuidia oppreſſum. Quid tibi videtur Bzoui? ân ciues id ægris oculis contuiti ſunt, quod arte & ſtudio procura-

curauerunt? an ſimul gauiſi ſunt & doluere? non neſcio quidem, cum fama Vicecomitis ad vicinos peruenit, & admirationem peperiſſe & incuſſiſſe timorem, vt Villanus ad ſequens pronunciatum audiendus tradit: ſed Bzouius ordine rerum geſtarum penitus inuerſo, ita planè narrat, quaſi omnia Mediolani contigiſſent, ſubijcit enim, *Die duodecimo Mediolano diſcedens* &c. In quo Iouius etiam ei ſuus aduerſatur, vt mox apparebit.

37. Duodecimum pronunciatum. *Ludouicum* Mediolani *ad inuidiam leniendam protuliſſe literas concepti cum Johanne Pontifice fœderis indices, captis, vt dicebat, Galeacii tabellariis.* Villanus loco quem tu ſequente demum § indicas, & Iouius clariſſimè docent, ſeu inuidiam vt Iouius, ſeu admirationem, & timorem vt Villanus ait, non apud Mediolanenſes ſed reliquarum Lombardiæ Hetruriæque vrbium tyrannos Ludouicum ſibi conflaſſe, & literas illas non Mediolani ſed Vrceis in comitio, de quo tu §. ſequente, protuliſſe. Id vt omnes videant, verba horum auctorum dabo, *Captiuitatem*, inquit Villanus, *Galeacij ſuorúmque admirati ſunt omnes tyranni Gibellini Lombardiæ & Hetruriæ ſibique timuerunt, quia proprio ſtudio & expenſis, potentiáq; Galeacij, imo ipſius conſilio Bauarus ex Germania ſe mouens in Lombardiam venerat, quē tamen primū dominio ſuo depoſuerat, & in carcerē cōiecerat.*

Quare

Quare Bauarus generalem indixit conuentum in caſtello quodam diſtrictus Brixiæ, Orzi nomine celebrandum, ad quem ſingulos decuriones Lombardiæ & Hetruriæ ex parte Imperij vocauit, diéque 12. Auguſti eiusdem anni Mediolano diſceßit. Huic conuentui intererat Canis Scaliger, Paſſerinus Mantuæ dominus, R*inaldus ex Marchionibus Eſtenſib. & Guido Tarlatus depoſitus Epiſcopus Aretinus, Oratoréſque Caſtrucij, omniúmque Imperii oppidorum. Hîc epiſtolæ omnes publicatæ ſunt à Galeacio ad Pontificis legatum contra dictum Bauarum ſcriptæ, vt cauſa captiuitatis eius oſtenderetur. His rebus*, inquit Iouius, *Mediolani conſtitutis, Cæſar Vrceos Brixiani agri oppidum contendit, vbi concilium indixerat, euocatis vndique ſociarum vrbium tyrannis. Ibi ad leniendam inuidiam atrocis facti, literas protulit concepti cum Pontifice fœderis indices, captis (vt dicebat) Galeacij tabellariis interceptas: quas tamen plerique commentitias & falſas exiſtimarunt, vt Villanus Florentinorum annalium eius ætatis ſcriptor, vel ex profeſſo Vicecomitum nomini infenſus, ſcriptum reliquit. Gibellinæ ſiquidem factionis principes, inexpectata Galeacij calamitate, tanquam communi malo atque periculo conſternati, Cæſarem non obſcurè oderant, ingenio ſuſpicaci ac ſæuo, maximéque rapaci partium neruos atrociſsimè conuellentem.* Deinde ad rem ipſam quod attinet, vtérque, túque Iouiuſque doli

Ludo-

Ludouicum accuſatis ex quorundam rumore: nec verum eſt, quod Iouius ait, Villanum ex profeſſo Vicecomitum nomini infenſum, ſcriptum reliquiſſe, literas illas à pleriſque commentitias & falſas exiſtimatas: nam Villani verba hæc ſunt, *Quidam veras illas, quidam falſas fuiſſe tradunt.* Intelligis Bzoui, non Ludouicum ſolùm dicere, ſed quoſdam tradere? Protege Iouium ſi vires: nam ſi verba Villani *quidam falſas fuiſſe tradunt*, ſignificant *literas illas à pleríſque commentitias æſtimatas*; alia eiuſdem Villani verba, *Quidam veras fuiſſe tradunt*, idem quoque efficient, quod iſta, *Literas illas à pleríſque veras exiſtimatas*; quod Iouij rebus parùm proderit. Et cùm id fœdus à Galeacio cum Pontifice reuera initum fuerit, vt Bzouius ipſe ex Iouio Corióque narrat anno 1325. (quanquam r. non ſine errore temporis, cùm Corius annum 1324. notet) ídque non videatur potuiſſe celari, quid opus fuiſſet Ludouico fictis literis? veras tamen ad maiorem rei confirmationem proferre profuit.

38. Decimum tertium pronunciatum. *Ludouicus effugere non potuit, quin vbique maledictis & conuitiis exciperetur.* Ludouicus effugere non poteſt, quin à te maledictis & conuitiis excipiatur. Nec Iouius, nec Boſſius, nec Villanus hæc ſcribunt; ſed tua ſunt ornamenta, quibus Ludouicum condecoras.

Digitized by Google

decoras. Finxit & Iouius odia principum Gibellinorum in Ludouicum, de quibus nil Villanus, Corius, Boſſius, Iouio priores. Coronidis loco ex more, Villani caput aliud pro alio deſignas.

31. pro 32.

Col. 492. VI.

39. Bzouius. *Die duodecimo Auguſti Mediolano diſcedens, Vrceos Brixiani agri oppidum contendit, vbi comitium indixerat, euocatis vndique ſociarum vrbium tyrannis. In eo conſeſſu Luchinus & Actius eliberati, cùm* XXV. *millia aureorum nomine redemptionis numeraſſent. Ducēta millia florenorū aureorū cenſebantur, quæ ad hoc vſque tempus à Mediolanenſibus & aliis Gibellinis Ludouicus extorſerat. In eodem comitio præſumpta auctoritate Cremonenſibus, Comenſibus & Aretinis pſeudoepiſcopos Ludouicus in contemptum Pontificiæ iuriſdictionis præpoſuit, ſeu adeo reſtituit eos, quos propter flagitia exauctorauerat Pontifex Ioannes. Villani lib. 10. cap. 33.*

40. Pronunciatum I. *In comitio eliberatos è cuſtodia* Luchinum *& Actium Vicecomites, cùm* XXV. *millia aureorum nomine redemptionis numeraſſent.* Credo te ſtatim hanc ſummam, Bzoui, in ærarium Cæſaris intuliſſe, quando tota ſumma tibi tam probè nota eſt. Villanus auctor tuus nuſquam dicit numerata fuiſſe XXV. millia, ſed tantùm petita: imò ſedecim ſolùm millia numerata refert. Au-

Cap. 33. prope pr.

di illum, *A Luchino & Azone viginti quinque millia*

millia florenorum aureorum pro collatione liberationis petiit, quorum ſedecim millia depoſuerunt. Ita ſedecim millia apud Bzouium viginti quinque millia efficiunt, nouâ Arithmetica. Porrò & illud à vero alienum eſt, quod, vt ſcribis, cùm numeraſſent viginti quinque millia Vicecomites, liberati ſint: nam perſolutis ſedecim millibus, vincti nihilominus permanſere; liberarũt autem ſeſe poſtmodum non pecunia, ſed fuga. Villanus anno 1327. ita infit, *Finito hoc conuentu Marcus, Luchinus & Azo Vicecomites aufugerunt.* Ita nimirum pedibus reliqua nouem millia numerarunt, vt totam ſummam Bzouius perfectam haberet. c. 33. poſt m.

41. Pronunciatum II. *Ducenta millia florenorum cenſebantur, quæ ad hoc vſque tempus à Mediolanenſibus & aliis Gibellinis extorſerat.* Imitari te dicis hoc loco Villanum, ſed non imitaris loquentem. nam Villanus non dicit, Ludouicum extorſiſſe, quod tyrannicum eſt; ſed acquiſiuiſſe, quod reges ſolent. Cap. 33. m.

42. Pronunciatum III. *In eodem comitio præſumpta auctoritate tres Epiſcopos reſtituit, quos propter flagitia exauctorauerat Pontifex Joannes.* Villanus quidem de tribus Epiſcopis à Ludouico factis denarrat, ſed non ait eos reſtitutos, nec propter flagitia à Pontifice exauctoratos. fortaſſe à ſui ſimilitudine Bzouius malos etiam ſine teſte nouit.

Col.493. VI. 43. Bzouius. *Ferè incredibile eſt, quod referam: auctores tamen habeo non contẽnendos, qui memoriæ prodiderunt. Cùm Ludouicus tũ Tridenti, tum antea in Germania, tum verò Mediolani nouiſſimè longè atrociſſima in Ioannem Pontificem admitteret. Mediolani tamen exiſtens (Cuſpiniani verbis rem ſcripſi) Oratores Auinionem miſit ad Pontificẽ, qui peterent, vt imperialia inſignia more maiorum ſibi benignè cõferret. Veruntamẽ Ioannes Pontifex Oratores quẽadmodũ merebantur, ignominioſiſſimè repulit, & poſtulata exaudire recuſauit: quinimo, vt Iuriſperiti dicũt, peremptoriè Ludouicum, vt Auinionẽ veniret, & ſtatutis Eccleſiæ ſeſe ſubijceret, citauit. Porro Ludouicus indignationem Pontificis conſiderans, atque coronari diſſimulans, iterum Pontificem vt prius rogauit.*

Mediolano pridem Bzouius exierat cum Ludouico ad comitium, nunc ſine Ludouico rurſus Mediolanum excurrit, narrátque non tantùm ferè, ſed verè incredibilia verbis Cuſpiniani.

44. Pronunciatum I. *Ludouicum Mediolani longè atrociſſima in Johannem Pontificem admiſiſſe.* Satis à te ipſo refelleris, Bzoui, quando nil omnino à Ludouico in Iohannem Mediolani admiſſum commemoraſti, non omiſſurus, ſi quicquã fuiſſet. Nam publicationem literarum fœderis inter Galeacium & Iohannem concepti, nõ Mediolani, ſed N. 37. Vrceis factam oſtendimus iam antea.

45. Pro-

45. Pronunciatum II. *Mediolani exiſtens Ludouicus Oratores Auinionem miſit ad Pontificem, qui peterent, vt imperatoria inſignia more maiorum ſibi benignè conferret.* Non abnuerim Cuſpinianũ hæc ſcribere, ſed cùm nemo antiquorum, ſeu Germanorum, ſeu Italorum cum Cuſpiniano conſpiret, deberet Bzouius adferre argumenta, quibus & ſibi & Cuſpiniano fidem conciliaret, neque enim vero ſimile eſt Ludouicũ, cùm iam aleam ieciſſet, & multis de cauſis infenſiſſimum ſibi Pontificem noſſet, oratores ad eundem ablegaſſe, quid enim ſperare potuiſſet niſi ignominioſam repulſam?

46. Pronunciatum III. *Ab Ioanne Pontifice Oratores, quemadmodum merebantur, ignominioſiſsimè repulſos.* Iterum prægnans Bzouij manus plura parit, quàm ex alijs cõcipiat. Cuſpiniani verbis profitetur ſe rem ſcribere, & ſuis vtitur, nã Cuſpinianus hęc ſolũ habet, *Põtifex recuſat, Oratores ignominioſè repellit*, itaque, *vt merebantur*, Bzouianũ augmẽtum eſt, vt & ſuperlatiuus, *ignominioſiſsimè*. Quæ præterea ex Cuſpiniano ſubijciũtur, tum primùm apud lectorem fidem inuenient, cùm Cuſpinianus Bzouiúſq; cum teſtificatione aliorum fecerint. in pag. 467 v. 16.

47. Bzouius. *Cæterum & nihil impetrauit, & Ioannem ſua ludificatione adeo irritauit, vt ad XX. Octob. diem in publico Patrum conſeſſu, eum veluti diuinæ pontificiæq; poteſtatis contemptorem, hæretica*

labe pollutum, hæreticorum ſchiſmaticorúmque fautorem, Imperij Romani inuaſorem, Eccleſiæq; vniuerſæ perſecutorem & hoſtem anathemate damnarit, omni dignitate exuerit, omnes iuramento fidelitatis ei aſtrictos exſoluerit, poteſtatem in perſonam & res illius omnibus vſurpare volentibus, permiſerit: Villani l.10.c.37.

48. Quanta eloquentiæ vi Hiſtoricorum dicta Bzouius adaugeat, vel exemplo iſte locus eſt. Villanus, ex quo iſta petit, hæc tantummodo ad-
c.37. fert anno 1327. *Eodem anno*, inquit, *die 20. Octobr. Joannes Pontifex Auinione vltimam excommunicationis ſententiam dedit, contra Bauarũ tanquam perſecutorem Eccleſiæ, fautorem hæreticorum* (Bzouius addit, *hæretica labe pollutum*) *eúmque omni dignitate iuréque ſpirituali, temporalíque priuauit.* Hæc Villanus cætera omnia ex Bzouij officina ſunt.

Col. 513. IX. 49. Bzouius. *Sed ad Ludouicum reuertor, qui apud Inſubres in Æmilia, maxima collecta pecunia, impetratis à Scaligero & Raynaldo Ateſtino, Paſſarinóque Mantuano equitum auxiliis, Romam iter intendens, in Etruriam Lunenſi via deſcendit. Piſani ei portas clauſere, neque expilantis ſocias vrbes dicto audientes futuri videbantur, niſi Caſtrucius nouo adiuncto exercitu, Piſanis extremas ſuburbani agri clades denunciaſſet. Nec tamen illum obſidentem prius in vrbem admiſerunt, quàm is verbo & animo placa-*

placatus, ciuibus nihil in illos moleſti tentare promiſiſſet. Quod cùm eſſet Guidonis & Caſtrucij opera effectum, tunc demum Piſarum integro dominio potitus eſt. Duos menſes Piſis Ludouicus deſedit, efflagitantíque Caſtrucio, vt Marcum, Actium, & Ioannem Vicecomites carcere liberatos, Lucæ foueret, conceſſit: cùm interim Guido Tarlatus Aretium, à qua vrbe diu abfuerat, petiturus ora accedens maritima, febri apud Nigrum montem correptus interiiſſet, die XXI. Octob. Nonnulla ſpes eſt Guidonem fore ſaluum. Namque in extremis laborans, plurimis religioſorum, clericorum & laicorum, ad ſe conuocatis, pœnitudine ingenti commotus, errorem, quem antea errauerat, agnouit, ſéque nimium contra ſummum Pontificem, & contra Eccleſiam Romanam deliquiſſe confeſſus, Ioannem ſummum Pontificem ſanctum & iuſtum, Ludouicum verò Bauarum impium, profanum, hæreticum, hæreticorum fautorem, tyrannorum anteſignanum, Imperij & Regni Romanorum vſurpatorem, indignum, qui nomine regis aut imperatoris à quocunque vocaretur, palam in corā omnibus dixit, eámque mentem & ſententiam ſibi futurā, ſi ſanitati reſtitueretur, ſéque in poſterum ſummo Pōtifici Ioanni & Eccleſiæ Romanæ obtemperare & hoſtes eiuſdem Ioannis Pontificis & Romanæ Eccleſiæ perſequi velle, iureiurando ſpopondit, atque eiuſdem profeſſionis ſuæ teſtes ſupereſſe præſentes voluit,

luit, poſtulans vt hæc omnia dicta & facta in publicas tabulas referrent, ac vbique locorum diuulgarent. Inde lachrymis largiſsimè profuſis & ſacramentis Eccleſiæ ingenti cum humilitate perceptis, cùm diuinam & ſummi Pontificis miſericordiam ardentiſsimè implorasſet, ab hac luce deceſsit, Aretium à ſuis non ſine funebri pompa illatus. Iouius ſup. Blond. l. 9. Villan. l. 10. c. 36.

Bonis auibus Bzouius Ludouicum Romam abeuntē proſequitur, ingentéſque pecuniæ ſummas & expilatas ſocias vrbes commemorat, ſolita battologia & in Ludouicum beneuolentia. namq; N. V. v. 6. & ſupra eam pecuniam commemorauerat: & neceſſarij tributi exactio expilatio non eſt, quicquid Iouius ſine auctore & Bzouius cum Iouio dicat. niſi fortè impermiſſum ſit regi ab ijs, pro quibus bella gerit, ſumptus ac ſubſidium depoſcere. Sed nos pronunciatorum non obliuiſcamur.

Primum pronunciatum. *Piſani Ludouicum non recepturi videbantur, niſi Caſtrucius nouo adiuncto exercitu ijs extremas ſuburbani agri clades denunciaſſet.* Ita Bzouius ex Iouio. At Villanus fidè dignior longéque vetuſtior Iouio nō eam denunciationem ſed Piſanorum diſſenſionem cauſam fuiſſe docet, ac planè ſignificat Caſtrucij exercitum non obſtitiſſe, quò minus Piſani ſuſtinere obſidionem poſſent, & non dedere ciuitatem. Imò quod am-

amplius eſt, caſtella & oppida omnia Piſanorũ iam ceſſerant in poteſtatem victoris: & putamus parſum fuiſſe agris ſuburbanis à milite mẽſem & amplius vrbem refractariam obſidente?

Secundum pronunciatum. *Piſani Ludouicũ prius in vrbem non admiſerunt, quàm is verbo & animo placatus ciuibus, nihil in illos moleſti tentare promiſiſſet.* Blondus videtur te hoc pronunciato non ſatis ditaſſe, nam tu id ad omnes ciues trahis. Promiſerat duntaxat Ludouicus ſe nihil moleſtiæ (vtique vindictæ nomine) illis illaturum, qui eum Piſis excludẽndum cenſuerant, non enim defuerũt plurimi, qui Ludouico fauentes portas aperiẽdas, & munera regi deferenda eſſe arbitrati ſunt; his certè nihil opus erat cauere, quod beneficium meruerant. Sed audi ipſum Blondum. *Cupientem,* inquit, *inde Piſas accedere, ciuium diſcordia prohibuerunt, quorum nonnulli tyrannidem libertatis nomine obtinentes, Vicecomitum facti exemplo territi, illum vel ingenti donatum pecunia excludendum cenſebant, cum plebs ipſa & nobilitatis pars contraria ſentiens, introducendum duceret muneribúſque donandum. Eáque diſſenſio Guidonem Petramalam Caſtrucio diſcordem, hoſtémque apertum fecit, vtroque diſpari quidem forma, ſed eadem fide & affectione cum Piſanis pro Bauaro adnitente. Appulſis ita vrbi copijs Piſani tantiſper deditionem ſunt morati, quouſque* Decad. 2. l. 9 p. 355. Ant. antip.

Digitized by Google

cum his, qui cõtraria ſenſiſſent, ciuibus, verbo & animo placatus princeps nihil moleſti in illos tentare promiſit. Villanus eius temporis ſcriptor hunc in modum narrat, *Pacem*, inquit, *tractantes conuenerunt ſe daturos ciuitatem & ſexaginta millia florenorũ aureorum, ſed tamen vt iuriſdictio ſtatúſque ipſis remaneret, Caſtrucius cum ſuis extorribus Piſas intrare, ipſis inuitis, nõ auderet, ſed in confinibus maneret. Cõpoſito hoc iuramento, & falſa conuentione pro Bauaro ciuitatem dediderunt 8. die Octob. anno 1327. Die deinde dominico, qui erat* XI. *Octob. Bauarus cum vxore ſua, totóque exercitu pacificè, nulláque facta nouitate, ciuitatem intrauit, Caſtrucius cum ſuis & cum Piſanis extorribus foris manſit; tertio verò die Piſani ipſi, vt domino ſuo grati quid oſtenderent, ſcripta conuentionis combuſſerunt, & abſque vlla controuerſia liberum ei tradiderunt dominium, Caſtruciúmque cum aliis extorribus Piſas reuocarunt.*

cap. 35. m.

50. Pronunciatum III. *Efflagitanti Caſtrucio vt Marcum, Actium & Ioannem Vicecomites carcere liberatos Lucæ foueret, conceßit*. Cæco more iã hunc ſequeris, iam aliũ, oblitus quid priore hora ſcripſeris. Hic Blondi veſtigia conſectatus, Marcum Vicecomitẽ carcere liberatũ deprædicas, & tamen ſuprà hoc eodem anno Marcum accuſatorem Galeacij conſtituis, & Iouiũ, Boſſium, Corium ſecutus carceri nunquam mancipatum doces hoc ipſo, quod enu-

Col. 492. IV. & V.

enumeras tuo iudicio omnes Vicecomites carceri mancipatos, inter quos non eſt Marcus, qui partes Ludouici foueret, & ob id obiurgationes tuas nō fugit, quaſi domum ſuam conuulſerit, & Ludouico immodica pollicitus ſit. De Actio precibus Caſtrucij liberato lingua tua ambigua eſt: nam velle videris (quod & Blondus vult, nulla precij pro libertate pacti aut perſoluti facta mentione) è carcere liberatum Actium precibus Caſtrucij, & hoc vanum eſt, ſuprà enim dicebas eum cum Luchino xxv. millia aureorum redemptionis pretiū numeraſſe; imò quod amplius eſt, is ipſus è comitio ad Mediolanum habito profugit, vt Villanus docet. *Cap. 35. poſt m.* Quod ſi vis Caſtrucium precibus ſolùm hoc impetraſſe, vt Marcum, Actium, Iohannémque fouere poſſet Lucæ, demonſtrandum tibi erat ex auctoribus (nam tuas hiſtorias tanti facimus, quāti nucem oculatam & caſſam) vbi, quando, quáue ratione liberati fuerint, præſertim Marcus & Iohannes, de quibus liberatis nil dū antehac dixiſti. De Iohanne ſiue liberato, ſiue Lucæ fouendo, nil dicunt Blōdus & Villanus à te adducti, nec Boſſius, Iouius, Corius.

51. Pronunciatum IV. *Nonnulla ſpes eſt Guidonem fore ſaluum.* Agis de morte Aretini Epiſcopi Guidonis, Gibellinorum inter Eccleſiaſticos Principis, eíque non malè ominaris; ſed tamē eius ante annos ferè 300. iam defuncti beatitatem nimium

quantum ſuſpendis. Spes eſt eum fore ſaluum? Sed quando, oro te? an ad extremam vſque lucem in purgante flamma ſeſſitabit? aut quouſque? ſi ſpes eſt eum fore ſaluum, quando erit? etiam nonnulla ſpes eſt te fore hiſtoricum. Deſcribis dehinc morituri Epiſcopi magnam pœnitudinem ex malè geſtis contra Ioannem Pontificem conceptam: quaſi ex ſola culpæ ſuæ agnitione & Ioanni benè & Ludouico malè dixerit. Equidem non auderem mortui manes inquietare, niſi tu cogeres: alia quoque vulnera ſub corde geſtabat Guido, totus à Gibellinis alienatus & Ludouico. Audi orginem dolo-
c. 36. rum ac pœnitudinum ex Villano: *Eodem anno*, ait, *Guido Tarlatus depoſitus Epiſcopus, & Aretij dominus Piſis diſceßit à Bauaro, propter verba quadã iniurioſa à Caſtrucio coram Bauaro illi illata: inter alia ſcommata Caſtrucius eum proditorem appellauit, dicens, quod, quando Florentinos profligauit ad Altumpaßium, & cum Actio Vicecomite Peretolam venit; ſi Epiſcopus Aretinus cum ſuis ex vallis Arni parte Florentiam verſus veniſſet, Florentia ſe non ſuſtinere potuiſſet; quod ex parte etiam erat veriſimile. Epiſcopus reſpondit, ipſum eſſe proditorem, quod Piſis & Luca expulerit Vgucionem Fagiolanum, omnéſque Gibellinorum pracipuos, qui ei dominium tradiderint vti tyranno; & quod pacem cum Florentinis dirimere non debuiſſet, niſi ipſi illam cum eo di-*

re-

remiſſent. Exprobrauit ipſi quoque, quod ſi equites pecuniaque à ſe miſſa non fuiſſent, caſtra contra Florentinos ſuſtinere nõ potuiſſet, quo etiam ſubſidio ipſe victoriam reportarit. Propter has exprobrationes Bauarus illi nullum exhibuit honorem, neque Caſtruciũ reprehendit: quare ſuſpicione concepta Piſis abſceſſit, & cùm in littore Tyrrheno eſſet, in caſtro Montis Nigri in morbum incidit, ex quo interijt 21. Octob. Sed audiamus errorem, Guidonis confeſſionémque vltimam.

52. Pronunciatum V. *Plurimis* Religioſorum, *Clericorum, & Laicorum adſe conuocatis, pœnitudine ingenti commotus confeſſus eſt, ſe nimium contra Pontificem & Eccleſiam Romanam deliquiſſe.* Villanus, è quo iſta ſumis, ita fatur, *Antequam moreretur præſentibus plurimis & monachis, & clericis, ſecularibúſque, aut indignatione correptus, aut conſcientia ductus cognouit ſe contra Papam ſanctámq; Eccleſiam erraſſe.* Confer tuam cum Villani narratione. Villanus primò dicit præſentibus monachis, clericis, & ſecularibus; tu, ad ſe conuocatis: quaſi non potuerint, aut ſoleant ad principem virum, qualis Guido erat, moribundum conuenire, niſi ab eo vocati. Et cur ad Guidonem vltro conuenirent, potuit eadem eſſe cauſa, quæ fuit vt Aretium transferretur, ibíque ſummo honore terræ traderetur, tanquam qui ciuitatem & Epiſcopa-

Digitized by Google

tum Aretinum auxerit, vt idem tradit Villanus. Sed tu ex propriis locutus docuiſti Guidonem conuocaſſe illos homines ex pœnitentia, & animo deteſtandi Ludouicum, & laudandi Iohannem: quod non docuit Villanus. Secundò Villanus ait, *aut indignatione corrept⁹*, quod tu perfidè omittis. Tertiò, dicis abſque diſiunctionis & dubitationis vllo indicio, *pœnitudine ingenti commotus*, pro quo Villanus, diſiunctim & ſub dubio, *aut conſcientia ductus*. Quartò dicis, *ſe nimium contra Pontificem & Rom. Eccleſiam deliquiſſe confeſſus*; pro quo Villanus tantùm, *cognouit ſe contra Papam ſanctámque Eccleſiam erraſſe*. Laudarem, ſi meliora de mortuo ſine alterius præiudicio ſpargere voluiſſes; nunc non laudo, quando Guidonem falſò effers, vt Ludouicum iniquè deprimas.

53. Pronunciatum VI. *Confeſſus eſt Bauarum impium, profanum, hæreticum, hæreticorum fautorem, tyrannorum anteſignanum, Imperij & Regni Romanorum vſurpatorem, indignum qui nomine regis aut Imperatoris à quocunque vocaretur.* Quàm promptè proijcit verba Bzouius, & quidẽ cum ingenti fœnore? nam cùm tria in ore hærent, mox aperto hiatu ſex effunduntur. Villanus, è quo ſolo, vt iam dixi, hæc Bzouius narrat, ita ſcribit, *Bauarũ verò, qui ſe imperatorem nuncupari faciebat, hæreticum, fautorémq; hæreticorum, ſuſtentatorem tyrannorum*

norum, neque iuſtum, neque dignum eſſe dominum. Hæc Villauus, quæcũ ita ſint, honorifici iſti tituli, *Impius, profanus, tyrannorum anteſignanus, vſurpator imperij & regni Romanorum*, honoris cauſa Ludouico Cæſari à Bzouio deferuntur, & demiſsè offeruntur ex animo ſingulariter propenſo. Quam verecundus iſte calamus?

54. Bzouius. *Poterat Bertrandus Cardinalis Legatus Ludouicum via Lunenſi in Etruriã penetrantem, tribus millibus equitũ, quos ducebat, in anguſtijs alpium alicubi opprimere. Maluit tamen proditoris Pontificiarum partiũ nomine audire, quàm officio ſuo probè fungi: quanquã is quoque excuſaret, à Pontifice non fuiſſe numerata militibus ſtipendia, eáq; propter ſe nõ potuiſſe illos ad faciendum operæ precium educere. Ioannes Cardinalis Vrſinus Etruriæ Legatus animoſius egit. Is enim ferijs D. Ioanni Bapt. ſacris, Florentiæ in Ludouicum Bauarũ prolatas diras publicè renunciauit, ac velut in hoſtẽ Dei & Eccleſiæ, hæreticum, tyrannũ, Chriſtiq; fidelium oppreſſorem bellum ſacrum edixit. Romanorum populus Neapoleonem Vrſinum & Stephanum Columnam Roberti* Regis, *ac Pontificis ſtudioſos per tumultum, ne* Roberto *vrbem traderent, eiecerat, atque Sarræ Columnio imperium vrbis permiſerat, qui vnà cum quinquaginta duobus plebis tribunis, ſummæ rei præeſſet. In ſpeciẽ tantùm, Auinionẽ ad ſummũ Pontificem, & Neapolim ad Ro-* Col. 503. X.

ber-

bertum Siciliæ Regem Oratores ire iuſſerant, illũ vt in vrbẽ euocarent, ab hoc verò vt auxilia opportuna impetrarent: cùm tamen alios ad Ludouicũ deſtinaſſent, cui maturandum iter Romanum perſuaderent.

Ioannes Pontifex fraudes Gibellinorum & Ludouici ſubodoratus, venire recuſauit, vt autem in fide & obedientia ſedis Apoſtolicæ perſeuerarent, admonuit, Legatúmque Cardinalem Vrſinum Romam ad arcendum ingreſſu Bauarum properare imperauit, &c. Villani l. 10. c. 33. 20. 21. 26.

Amicus adhuc fuit Bzouius Bertrando legato, hîc hoſtis eſſe incipit, quod is Ludouico noluerit nocere.

55. Pronunciatum I. *Poterat legatus Ludouicum opprimere, maluit tamen proditoris nomen audire.* Hunc honorem tu exhibes Apoſtolico legato, Bzoui, & quidem cum inſigni iniuria, vti ex ipſo tuo auctore Villano luce meridiana clarius eſt. Is

c. 11. f. anno 1327. ita ſcribit, *Legatus in Lombardia pro Eccleſia degens, licet tria millia equitum ſecum habuerit, ei ſe opponere tamen non fuit auſus, quia debilis nimiùm erat ad reſiſtendum tranſeuntibus. Quare qui ex parte Eccleſiæ erant, legato id proditioni attribuebant, ille tamen ad excuſandum ſe referebat, ſe à Pontifice pecuniam pro ſtipendio non habuiſſe, & ideo milites ſuos non potuiſſe adducere, vt profectionem ſuſciperent.* Hæc Villanus. Quare tu immeritò legatum

Digitized by Google

gatum proditionis damnas non conuictum, & excuſationem eius alteram ſupprimis? Duplici ergo de cauſa legatus Ludouici copias non adortus eſt, & quia par viribus non fuit etiam in anguſtiis, & quia miles refragabatur ſtipendij non ſoluti impatiens. Et tamen Bzouio proditor eſt, fortaſſe etiam futurus, ſi militem ſuum ad Ludouici exercitum & certam lanienam abduxiſſet: periculum vitare non eſt proditorem agere.

56. Pronunciatum II. *Legatus Etruriæ animoſius egit, Florentiæ in Ludouicum Bauarum prolatas diras renunciauit, ſacrúmque bellum edixit.* Magni nimirum animi index iſta denunciatio in amica Guelfis vrbe, procul hoſte, procul terrore.

57. Pronunciatum III. *Legatus diras denunciauit in Bauarum, ac velut in hoſtem Dei & Eccleſiæ, hæreticum, tyrannum, Chriſtíque fidelium oppreſſorem, bellum ſacrum indixit.* Quia ſolus iterum tibi teſtis Villanus eſt, meritiſſimò rurſus vapulabis. Bzoui, nam is duo tantùm vocabula vſurpat, nempe *hæreticum*, & *perſecutorem Eccleſiæ*; è tua modeſtia prodeunt, *hoſtis Dei & Eccleſiæ, tyrannus, fideliúmque oppreſſor.* Bellum verò & bellum ſacrum in Ludouicum tu indixiſti, non legatus apud Villanum, qui belli non meminit. *Cap. 26.*

58. Pronunciatum IV. *Ioannem Pontificem Ludouici & Gibellinorum fraudem ſubodoratum ve-*

nire Romam *recuſaſſe.* In primis Bzouius auctorem ſuum Villanum rurſus amplificat, nam de ſuſpicione fraudis tam parùm ſcribit, quàm de capella Indica: arma aut vim eorum timuiſſe procliuius eſt credere; quanquam nec vim eorum metuere debuiſſet, ſi, vt debuiſſet, Ludouicum coronare voluiſſet. Addit Villanus, quod tu de induſtria omiſiſti, Pontificem Romanis reſpondiſſe, *ſe conuenienti tempore, & quàm primùm Romam venturum*; quod tamen nunquam fecit, etiam vbi nulla ei Ludouici & Gibellinorum fraus metuenda reſtabat.

59. Pronunciatum V. *Iohannes* Legatum *Cardinalem Vrſinum Romam ad arcendum ingreſſu Bauarum properare imperauit.* Hoc Iohannis imperium Bzouius de ſuo promſit peculio, non de Villani, qui tantùm dicit, Legatum Florentia Romam ad auertendos Romanos profectum. *Cap. 26. f.*

Col. 504. XL. §. 1. f. 60. Bzouius. *Cùm Ludouicus Piſanis, Lucenſibus, Piſtorienſibus, & aliis vrbibus Etruſcis expilatis, ad* XV. *Decembris Piſis mouiſſet, & per maritimam regionem Viterbium contenderet*, &c. Æmil. l. 8. Villani l. 10. c. 49. 50. 53. De Piſanis, Lucenſibus, Piſtorienſibus & aliis vrbibus Etruſcis à Ludouico expilatis, quod hîc dicis, conſueta tibi tautologia repetis ſequente §. quanquam de iis nil Æmilius, Villanus verò non niſi de Piſanis pecunia à Ludo-

Ludouico multatis ſcribat: quos quidem ſolos tu citas.

61. Bzouius. *Ducenta millia florenorum aureorum ex ſolis Piſanis, præter viginti millia ex eorum Clero corraſit Ludouicus pecuniarum helluo immodicus. Caſtrucius Lucenſibus & Piſtorienſibus titulo Ducis Præpoſitus, quinquaginta millia aureorum Ludouico numerauit. Lucenſes, Aretini, Piſtorienſes & reliqui non immunes à ſatianda Ludouici auaritia fuere. Romanorum Gibellini, metuentes ne ab Vrſinis iterum opprimerētur, Ludouicum tum miſſis ferè in ſingulos dies nunciis, tum pollicitationibus ingentibus, ad iter maturandum perurgebant, cùm vererentur, ne à Carolo vel* Roberto Rege *ſubſidia mitterentur, quibus illi freti, vrbem poſſent occupare, & Ludouicum aditu probibere.* Ibid. §. 2.

62. Lucenſibus, Piſtorienſibus & reliquis hic tautologicōs repetitis addis iam Aretinos, de quibus ſimiliter nil Æmilius & Villanus.

63. Pronunciatum I. *Ducenta millia florenorum aureorum ex ſolis Piſanis Ludouicum corraſiſſe.* Bzouius videtur aliquandiu quæſtor fuiſſe, cùm toties libeat militarem pecuniam Ludouico dinumerare; ſed calculus illum nonnunquam fallit, vti & Villanum, qui diuerſis inductus rumoribus diuerſa ſcribit. Nam capite 35. ſic ſcribit, *Hoc facto collationem Piſanis impoſuit ſexaginta millia floreno-*

rum aureorum, quibus iter ſuum perageret, quod Piſanos ad triſtitiam mouit: quibus etiam non ſolutis prioribus, aliam impoſuit collationem centum millium florenorum, vt exercitui his ſuo ſolueret. Capite dein 38. parùm conſtanter minimam ſummam exprimit his verbis, *Dum Piſis moratus eſt Bauarus, à Piſanis illóque tractu florenorum aureorum centum quinquaginta millia extorſit.* Denique capite 49. proponit maximam ſummam, quam & Bzouius in Ludouici gratiam affert. Quæ tria capita ſi inter ſe conferantur, apparet, omnia, quæ Ludouicus à Clero populóque Piſano accepit, ſummùm fuiſſe centum ſeptuaginta vel octoginta millia, & Bzouium ac Villanum Ludouico plus in acceptis ferre, quàm in Piſanorum fuerit expenſis; cùm nemo neſciat, quantopere talia augeri inuitornm rumoribus ſoleant.

64. Pronunciatum II. *Ludouicus pecuniarum helluo immodicus.* Ita ex propriis loquitur Bzouius. Exercitus Ludouici helluabatur pecuniam, Bzoui, cui ex æquitate ij, qui Cæſarem dominum agnoſcebant, debebant. Sed nimium exegit dicet Bzouius: ita fortaſſe illi dixere, qui numerare coacti ſunt; dixiſſent idem ſi pauciora poſtulaſſet. Nimium eſt, quidquid in hoc genere eſt, & in bellis etiam amici grauantur, Mars nulli leuis.

65. Pronunciatum III. *Caſtrucius Lucenſibus*

&

& Piſtorienſibus titulo Ducis Præpoſitus, quinquaginta millia aureorum Ludouico numerauit. De Ludouico & Caſtrucio tanquam de mercatoribus loqueris; quaſi ille huic Lucam & Piſtorium quinquaginta millibus aureorum vendidiſſet, cùm Villanus longè honeſtiùs pleniúsque rem explicet, Cap.31.& 47. quemadmodum Ludouicus Caſtrucium ob inſignia illi præſtita officia fecerit Ducem ciuitatis Lucenſis, Piſtorienſis, Volaterranæ, & Epiſcopatus Lunenſis; attributis ei etiam duobus Piſanorum caſtris, Sartana, & Rotina, itémque Monte Caroli & Petra Sancta. Deinde occaſione Piſanæ contributionis memorat etiam obiter quinquaginta circiter millia à Caſtrucio data. Vides Bzoui, Ludouicum munificentiæ, Caſtrucium meritorum, vtrumque grati animi laude à te ſpoliatum!

66. Pronunciatum IV. *Lucenſes, Aretini, Piſtorienſes, & reliqui non immunes à ſatianda Ludouici auaritia fuere.* Nec Ludouicus immunis eſt, Bzoui, à libidine tua quiduis blaterandi. Quantum numerarunt Lucenſes Ludouico? quantum Aretini? Piſtorienſes quantum? Scio quantum tu loquaris, ſed ſine vllo teſte & auctore. Sed grauius eſt, quod ſuprà itidem ex te dicebas, Ludouicum Lucenſes, Piſtorienſes alióſque expilaſſe.

67. Pronunciatum V. *Romanorum Gibellini*

metuentes ne ab Vrſinis iterum opprimerentur, Ludouicum tum miſsis ferè in ſingulos dies nunciis, tum pollicitationibus ingentibus, ad iter maturandum perurgebant, cùm vererentur, ne à Carolo vel Roberto *Rege ſubſidia mitterentur, quibus illi freti, vrbem poſſent occupare, & Ludouicum aditu prohibere.* Nil Æmilius & Villanus de miſſis Româ ferè in ſingulos dies ad Ludouicum nunciis (ſed Villanus de
*cap. 49 m literis * ſemel miſſis) nec de ſubſidiis à Carolo Romam mittendis.

Col. 504. XI. 68. Bzouius. *Et quidem Carolus Calabriæ Dux, rebus Florentinorum conſtitutis, relictiſque in vrbe Philippo Sanguineto, Ioãne Iuuenatio, & Ioãne Theatino, qui Florentinos tum in officio continerent, tum ab impreſsione tuerentur, die* XXIIX. *Decemb. copias lectiſsimas, quas poterat eduxit, & Peruſiam contendens Aquilam vrbem conceſsit; ſpecie quidem Robertum patrem Regem Siciliæ iuuandi, reuera autem Ludouicum per aliquam occaſionem inuadendi, opprimendíque. Quanquam etiam rumor non omnino inanis diſperſerat, Ludouicum non tam ambitione inſignium imperij Romam feſtinare, quàm cupiditate vindictæ de Roberto ſumendæ exercitum promouere. Eum itaque vt à Regno Neapolitano Carolus auerteret, Aquilæ ſubſtiterat, ad rem commodè gerendam vbique intentus.*

69. Miramur Bzouij opera in immenſum excreſcere? partem ex aliis auctoribus in informem

con-

congeriem comportat, partem ipſe domi ſuæ perpetuo fonte expectorat. Nihil Villanus auctor tuus de ſpecie Robertum iuuandi, nil de Carolo ad rem cõmode gerendam vbíq; intento. Quid ergo tu de Carolo Calabriæ duce tã ſpecioſè nugaris? illíne tãti animi fuere, vt Ludouicũ per aliquam occaſionem inuaderet, opprimerétque? Copias ſuas eduxit, credo, vt fugeret, nam ſi libuiſſet ei manum cum Ludouico conſerere, non defuiſſet occaſio, cùm Ludouicus per Oſſam flumen rupto ponte iter faceret: *quem tranſitum*, inquit Villanus, *Dux Calabriæ cum ſuis & Senenſibus, ſi voluiſſet, facillimè impedire potuiſſet. Sed dum Bauarus in Hetruria degeret, Dux iſte nec eum neque ſuos videre vnquam voluit, aut abiecti animi cauſa, aut iuſſu parentis* Roberti *Regis, ne cum Germanis, qui id tentabant, prælium iniret*. Hæc Villanus. Ergo mi Bzoui Dux Calabriæ aciem Ludouici declinauit, vel quia formido impediit, vel mandatum parentis. Quomodo ergo ad rem commodè gerendam vbíque fuit intentus, præſertim in tanta opportunitate, vt rupto ponte multi nando perirent & ipſe Ludouicus nauigio transueheretur?

Cap. 49. poſt m.

Villan. ibid.

70. Bzouius. *Philippum quoque Valeſium, ad Regni Galliarum inſignia quamprimùm capeſſenda, ádque ſubſidium Eccleſiæ laboranti ferendum* Ioannes *hortatus eſt*. Et hoc Iohannes moliri poterat, ſed

Col. 504. XII. §. 15.

ſed Bzouius ſcribere non debebat, nam auctores eius Æmilius Villanúſq; ſilentio hoc prætereunt, imò Æmilius ab electione Philippi Regis, vſque ad obitum Iohannis Pontificis, ne verbum quidem de vlla inter eos communicatione facit, vt à pagina 441. vſque ad 445. videre eſt. Bzouius ſupra aliorum felicitatem, hanc habet, vt nullo indice res geſtas antiquorum perſpectas habeat. Si Iohannes pacem Eccleſiæ amaſſet, haud opus fuiſſet ſubſidium apud Gallum quærere: Ludouico modò imperij iura coronámque ſpopondiſſet, pax toti Italiæ Germaniæque illicò affulſiſſet. Nunc Pontificis in repudiando Ludouico conſtantia Cæſarem ad grauiora compulit. Frangitur cùm nimium flectitur arbor.

Col. 505. XII.§.2.f. 71. Bzouius. *Cupiebat Iohannes Philippum quamprimùm regem videre, cuius opera & viribus negotium* Ludouico *Bauaro faceſſeret. Paul. Æmil. l. 8. Villani l. 10. c. 49. 50 & 53.*

72. Et hoc potuit contingere, ſed contigiſſe non referunt auctores Bzouiani. Memoriæ tamen Bzouianæ conſuetum ſpecimen hîc cernere eſt in Villani capite 38. de 50. millibus Ludouico à Caſtrucio datis omiſſo.

Col. 505. XIII. 73. Bzouius. *Namque cùm primùm cœtu piorum Ludouicum Bauarum excluſiſſet, omnibúſque dignitatibus profanum exuiſſet, & tum* Regibus *ac Prin-*

Principibus, tum Prælatis ac populo Chriſtiano flagitia illius renunciaſſet, Principibus Imperij Electoribus diem deſignarat, quo alium in Regem *& Imperatorem* Roman*ũ deligerent. Nonnulla extemporanea impedimenta emerſerant, propter quæ ſeptemuiri non poterant cõmodùm conuenire. Itaque Ioannes Pontifex, data epiſtola hoc anno numero 167. neceſſe habuit diem electioni præſcriptum ad ſex menſes prorogare, multa alia ex re contra Bauarũ decernere. Inter hæc Friderici* Reg*is Trinacriæ animum, ſed fruſtra, tentauit. Ab illo enim nihil aliud obtineri potuit, quàm quod aditum ac facultatem Guelfis Italiæ ad inſulam Siciliæ patefecerit, abrogato edicto, quo in Gibellinorum fauorem impensè propendens illis aditu inſulæ & cõmercijs interdixerat. Iſtud verò non tam in Pontificis gratiam, quàm in ſuum commodum conceſſit, cùm portoria vectigalia non parũ per hæc tempora imminuerentur. Folieta hiſt. Genuenſ. lib. 4.*

74. Paucis tua dicta ſufflo Bzoui, Folieta non modò lib. 4. quem anno 1264. finit, ſed nec lib. 6. quem ad annum 1338. perducit, quicquam horũ commemorat. Itaque non eſt quod dicam te mala fide Folietam deſcripſiſſe; nihil deſcripſiſti.

75. Bzouius. *Raynaldum quoque & reliquos* *Ibid. XIV.* *Ateſtinos à Ludouico non difficile auertit. Præſertim cùm illi in Vicecomites & alios confœderatos à Bauaro admiſſa longè aſperiora reputarent, ac ſecum ipſi*

abundè ſe ſatis daturos Eccleſiæ Romanæ iureiurando ſponderent, decretum, quo Ferrariam deuouerat, induxit. Pigna l. 4. hiſt. Ateſt.

76. Et hoc loco abs te non diſcedis nam hoc anno ab Ateſtinis nulli legati ad Pontificem miſſi; Pigna tuus auctor ſequenti anno 1328. id accidiſſe memorat; vt nō modò ex eius numeris annorū ad marginem notatis, ſed ex ipſo etiam cōtextu & integrè ſcriptis annorum numeris conſtat: itaq; in limine ſtatim offendis. Quo autē modo Pignę narrationem corrumpas, in pronunciatis oſtendemus.

77. Pronunciatum I. *Raynaldum quoque & reliquos Ateſtinos à Ludouico non difficile* Ioannes *auertit.* Falſum hoc eſſe vti & alia, quæ nomine Iohannis venditas, Pigna docebit, nam auertère Raynaldum à Ludouico vincula Galeacij Vicecomitis, paria metuentē, Iohannes non auertit. *Raynaldo,* inquit Pigna, *hæc viſa aſperiora, ac ſecum ipſe reputans eadem cupiditate facilè impelli poſſe, vt idem ſtatueret in cæteros, qui ſe illi commiſiſſent.* Hæc Pigna; quæ nonnihil immutauit Bzouius, vt Iohanni Pontifici & accommodaret, & augeret: nam Pigna non dicit, *Raynaldum & reliquos Ateſtinos,* nec, *Raynaldo aſperiora viſa, quæ in alios confœderatos Ludouicus* commiſerit, ſed *quæ in Vicecomites* duntaxat. Ad verbum *aſperiora* etiam voculam *longè* adiicit, ne nihil de ſuo addat.

78. Pronunciatum II. *Ludouicum impelli poſſe, quod nullo negotio à prauis conſiliarijs peruerteretur.* Neque hoc Pigna ſcripſit, ſed *credulorum conſilia peruerti.* Itaque iam diſco hoc idem eſſe, quod à prauis conſiliarijs nullo negotio peruerti.

79. Pronunciatum III. *Ludouicum impelli poſſe, quod ingenti cupiditate habendi flagraret.* Bzouius maledicentia flagrat. Pigna ex Bzouio deſcribere poſſet, Bzouius ex Pigna non poteſt, poteſt tamen, quamquam id Pigna non ſcripſit.

80. Pronunciatum IV. *Caſtrucius difficulter ſibi perſuaderi paſſus eſt, Romam vt Ludouicum comitaretur, & certa pro incertis relinqueret.* Hæc mihi ſi Bzouius in Pigna oſtenderit, fatebor ea me videre, quæ ſub aſpectum non cadunt.

81. Pronunciatũ V. *Legatos ab Ateſtinis miſſos, qui docerent Pontificem, ſe coactos ſuorum iniurijs cum Ludouico ſenſiſſe.* Aut memoria aut probitas Bzouij peregrinatur. Pignæ verba hæc ſunt, *Bertrandus* Cardinalis *Marchiones curauit admonendos, Pontificem, qui ſciret coactos ſuorũ iniurijs cum Cæſare ſenſiſſe, eos in integrum reſtitutos velle.* Hæc Pigna. De legatorum oratione apud Pontificem ne verbum quidem.

82. Pronunciatum VI. *Eoſdem legatos miſſos vt docerent Pontificẽ, Ateſtinos Ludouicũ fœdera frangentem velle deſerere.* Ex profeſſo peruertit Bzouius Pi-

Pignam, qui huncin modum ſcribit, *Marchiones minimè iam ambigentes, Auguſtum, qui Vicecomites in vinculis haberet, contra fœdus feciſſe, legatos Auinionem decernunt.*

83. Pronunciatum VII. *Eoſdem legatos miſſos vt docerent, Ateſtinos Romanæ Eccleſiæ dominium libenter agnoſcere, ſi modò Pontifex ad benignitatis ſuæ laudem cumulatiorem illos in integrum reſtituere, atque iure fiduciario Ferrariam illis concedere non grauaretur.* Niſi Bzouius hos oratores ablegauit, eiuſmodíque mandata dedit, vana ſunt, quæ Bzouius ſcribit; nam Pigna nec apicem quidem horum habet.

84. Pronunciatum IIX. *Pontificem comperiſſe Ateſtinos alieno exemplo & magis fortè neceſſitate quàm voluntate Ludouici partes ſecutos eſſe.* An neceſſitate an voluntate tu Bzoui falſum ſcribas, ambigi poſſet, ſi neceſſitas compareret. Nihil Pigna, omnia Bzouius.

85. Pronunciatum IX. *Eoſdem abunde ſatisdaturos Eccleſiæ Romanæ iureiurando ſpopondiſſe.* Neque iſthoc Pignæ, ſed Bzouij eſt. Atque hic vnicus locus toties deprauatus præcipitem & malè ſanum calamum Bzouij detegit. Hiſtoriam poſcimus, non nugas Bzoui.

76. Bzouius. *Fratricellorum anteſignani Michael Ceſenas, Guillelmus Ockam, & reliqui omnia* Col. 505. V X.

 mi-

Digitized by Google

miſcebant. Eos ad dicendam cauſam Auinionem euocatos, cum ad diem deſignatam Ioannes Pontifex fruſtra expectaſſet, contumaces, & meritò anathemate plectendos renunciauit. Tum deinde Michaelem Generalem Ordin. Minorum Miniſtrum, magiſtratus ſupremo & reliquis honoribus ac dignitatibus indignum dixit, ac ſummam eius Ordinis adminiſtrationem Bertrando Cardinali Legato data ad eum epiſtola num. 189. commiſit, qui conuocato Boniam Patrum eiuſdem inſtituti capitulo generali, Michaelem Caſenatem gradu & officio motum denunciaret, & alium Generalem Miniſtrum ex ſuffragio communi, eidem Ord. Sanctiſsimo præficeret. MS. Biblioth. Vatic. num. 4008. de rebus Fratricell.

87\. Cur Fratricellorum nomine Franciſcanos illos hîc & alibi infamas? Fratricellos tu ipſe ſic de-
an. 1317. XIX. ſcribis, *Hi, vt auctor eſt Prateolus, Anabaptiſtarum more, qui noſtra hac ætate in incertum vagantur, promiſcuos concubitus licitos eſſe ſenſerunt. In locis nempe abditis tale ab eis perpetrabatur ſcelus, vt vocatæ & de induſtria ab eiſdem ſeductæ ſpecioſiores quæque viduæ vel virgines, cùm in ea ipſa venirent. Sacerdotes & eius ſectæ clerici, ianuis clauſis, diuinas laudes ad comparandam fidem ex Chriſtiano ritu cantabant. Quibus circa noctis medium peractis ſacrifici alta voce commonebant, binos debere, maſculum videlicet & fœminam, Sancto Sp. inuocato in copulam*

pulam carnalẽ cõmiſceri. Quo dicto & luminibus extinctis, quilibet ſibi proximã mulierẽ proſternebat. Et ſi ex tali concubitu mulier cõcepiſſet, infans recens genitus in eam ſpeluncam deferebatur, & per manus ſingulas tamdiu totieſque tradebatur, quoad vſque exhalaret. Iſque in cuius manibus expirabat, Maximus Pont. creabatur. Docebãt nihil proprium eſſe habendum; neque reſpublicas à Chriſtianis eſſe adminiſtrandas. Prateol. l. 6. de vitis & ſectis hæret. Audéſne tales prædicare Franciſcanos illos? At at cur vltimam Fratricellorum [redacted] à Prateolo allatam omittis? cur niſi quia eam in Ludouici aduerſario, quem modis omnibus defenſum vis, Iohanne recognoſcis, tragicè eandem exaggeraturus, ſi in Ludouico reperiſſes. *Item* inquit de Fratricellis Prateolus, dicebant *viſionem animarum ſanctarum differri in nouiſſimum diem, contra illud Chriſti ad latronem, Hodie mecum eris in Paradiſo. Et ſimiles phanaticas opiniones habuere.*

88. Cæſenatem hoc loco dignitate motũ ſcribis tu quidem ex epiſtola Iohannis & manuſcripto Biblioth. Vaticanæ, quæ ego niſi videro aut alius, qui fidem faciat, credere haud lubet. Quin vt paulò antè ad hunc annum 1327. retuliſti, quæ Pigna à te citatus ad ſequentem 1328. retulerat; ita planè credo à te Michaelis eiuſdem exauctorationem ad hunc annũ relatam, ab Iohanne verò in epiſt. 189.

&à

& à MS. Vaticano ad ſequentem 1328. Sic enim Marcus Vliſſipponenſis Minorita in Chronico Fratrum Minorum, *Anno 1328. Pontifex miniſtrum Generalē ad Curiam vocatum, benignè accepit, cumq; ipſo aliquot menſes egit de plurib. particularib. ad ordinem ſpectantibus. Menſe porrò Aprili Papa coram multis Generalem aſperè reprehendit ob id, quod determinatum fuerat in Capitulo generali ſuper articulo de paupertate Chriſti; ac fecit quaeſtionem illam examinari in Curia, vt decideretur: & Generalem ſæpius hæreticum vocauit, voluitque vt determinationem ſuam reuocaret. Generalis autem non ita humiliter tulit, neque id facere voluit, imò verbis ſeueris ſe ſententiámque ſuam iure Decretalium defendit; vnde Papa magis indignatus, ſub pœna excommunicationis, vt Curiâ non abſcederet, ei mandauit. Quare Generalis timens poteſtatē indignationémq; Papæ, & Dei timore ſepoſito ad dictas decretales appellans, ex Curia in Italiam aufugit, vniénſque ſe cum aliquibus Miniſtris & Magiſtris Theologiæ, ad ſui opinioniſque ſuæ defenſionem contra Papam librū fecit.* Narrat deinde, quemadmodum Ludouicus Iohanni Pontifici Nicolaum ſubſtituerit, atque ita pergit, *Authoritate & fauore huius Imperatoris dictus frater Michael Ceſenas Generalis maiora mala & inobedientias contra ſummum Pont. exhibuit. Cùm[a] autem eodem anno 1328 trigeſimum ſeptimum*

Part.2.l.8 c.13.§.2. anem.

Ibid.§.1.

[a] *Cap. 14.*

Capi-

Capitulum Bononiæ celebraretur, noluit Papa vt Fr. Michael Miniſter Generalis illi interueniret, ſed pro legato Apoſtolico & Commiſſario generali eò miſsit fratrem Bertrandum Cardinalem, cauſam in literis Apoſtolicis, cur Generalis ad Capitulum non iuerit, non exponens, ſed præſumens omnibus eſſe manifeſtam; ſuasítque fratribus vt nouum eligerent Generalem, qui eundem fratrem Michaelem confirmarunt: quos à ſententia nec Commiſſarij ſuaſiones, neque Papales literæ deducere poterant, cauſam cur deponeretur, ſeſe ignorare referentes. Eodem tempore Fr. Michael cum aliis Theologiæ Magiſtris, inter quos erat Fr. Guilielmus Ochanus, ad Ludouicum *Bauarum Eccleſiæ rebellem profectus eſt, vbi publicas contra ſummum Pontificem appellationes fecerunt. Tum Papa illum abſolutè ab officio tanquam hominem ſcandaloſum & contumacem depoſuit, & inſtituit Vicarium Generalem* Religionis *dictum Cardinalem Commiſſarium vſque dū alius Miniſter generalis eligeretur, fulminauítque contra Fr. Michaelem ſeueram ſententiam, quæ incipit, Quia vir reprobus.*

89. *Pontifex,* inquit Marcus, *Miniſtrum Generalem anno 1328. benignè accepit, cúmque ipſo aliquot menſes egit:* quod vtique non feciſſet Pontifex ſi Generalis ille cum ſuis iam ante ad Ludouicum abijſſet, & contra Pontificem egiſſet ſcripiſſétque,

quæ tu præcedentibus annis facta iactaſti ſuprà ſæpiùs, ſed vtique falsò. Itaque rectè idem Marcus poſteà demum eiuſdem Generalis ad Ludouicum profectionem deſcribit. Quin etiam tu anno 1328.

N. XVII. m. ex huius anni regeſtro Iohannis doces, tum demum Michaelem à Iohanne abdicatum ſupremo ordinis magiſtratu & curam ordinis Bertrando Cardinali commiſſam; quod tamen hìc anno 1327. factum dicis. Sapienter, vt ſi fortè alterum claudicaret, alterum recto talo incederet.

Col. 506. XVII. 90. Bzouius. *Fortè eorundem Fratricellorum hæreſis, Germaniam præcipuè peruagata, vicina Boëmiæ, Hungariæ & Poloniæ regna attigerat. Neque enim ſine cauſa Pontifex Ioannes, datis Prouinciali Vngariæ Cal. Febr. literis poteſtatem ei fecit, Inquiſitores contra hæreticos inſtituendi, quibus licitum eſſet ius in delinquentes in fide dicere, & ex præſcripto ſanctionum Eccleſiaſticarum reos caſtigare. Parem poteſtatem datis* III. *Kal. Maij literis Prouinciali Poloniæ eiuſdem Ord. Præd. largitus eſt.*

91. Parum ſermonis, multum falſi, Bzoui: putidiſſimum eſt ſine teſte aſſerere, eam hæreſin per Germaniam vagatam: tua figmenta vagantur. Auctorem profer. Imò fruſtra etiam reliqua tua à te nominata regna infamas: nam quo naſo tu olfacis à Pontifice Prouinciali tuo Poloniæ hoc anno poteſtatem factam inquiſitores inſtituendi cōtra Fratri-

tricellos? Recitas quidem literas ad Prouincialem datas, vti dicis; ſed monſtra mihi in ijs Fratricellorum nomen? pro libidine tua fingis & pingis, ſed vnà efficis vt alij quod velint, credant.

ANNVS CHRISTI 1328.

Ludouici Imperatoris XV.

1. BZouius. *Sarra Columnnius, Iacobus Sabellus, & Tebaldus ex comitibus Tuſculanis ſancti Euſtachij, vnà cum quinquaginta duobus viris ad ſpeciem tribunorum à populo Romano electis, Ioanne Cardinale legato & Neapoleone pro Vicario ſeu pro Senatore Vrbano, ac reliquis principibus Vrſinorum vrbe fugatis; audito Ludouici Bauari aduentu, Viterbium legatos deſtinarunt; qui cum eo ex formula præſcripta paciſcerentur, & ad maturandum quantocyus iter perurgerent. Non deerant factionis Pontificiæ quamplurimi, qui Vrſinos eiectos in vrbem reuocandos cenſerent. Quorum vt propenſam erga ſe voluntatem intellexiſſent illi, aduolarunt, & molem Hadriani, vnà cum inſula & tranſtyberina regione, præſidijs impoſitis munierunt. Aduerſus eorum potentiam, Caſtrucius quidem multas pecunias tribus* Col. 514.

I. Ludouicus Bauarus max:ma ciuium cede Romam ingreſſus, feſtinè à ſuis excipitur.

 illis

illis viris corrũpendis, & in fide Ludouici confirmandis, Ludouicus autem nonnullas Germanorum vires clam in vrbem miſit, viribus Gibellinorum in omnem euentum ſeditionis tumultúſq; emergentis, adiuuandis. Cæterum ne in itinere ex inſidijs aliquibus peterentur eius phalanges, eas quadrato ante ſe agmine præire iuſsit, & in campis Neronianis caſtra metari diſpoſuit, priuſquam in vrbem ingrederentur. Siquidem populi facile mobilis vim non temere metuebat. Namque Pontificia factio in vrbe præpotens, quotidie aliquid inſidiarũ aduerſus eos moliebatur, & tum nobilitati tum vulgo, futuræ ſeruitutis ab impotẽti dominatione Germanici Principis ſpecie obiecta, ad arma pro libertate inprimis, deinde pro dignitate ſedis Apoſtolicæ ſumenda ſolicitabat. Facile erat multitudinem innumerabilem concitare, conſternatam ceſſatione ſacrorum, & proſcriptione, ſeu exilio principum virorum atque amicorum. Cardinalis enim legatus non ita pridẽ ab vrbe magna cum contumelia eiectus, quod vrbs mandatis Ioãnis ſummi Pontificis obtemperare recuſaſſet, Bauarúmq; toties damnatũ obuijs vlnis excipere properaret, capita quidẽ populorum atq; tres viros illos anathemate deuouerat, vrbi vero ſeductæ ſacra omnia interdixerat, atq; clerum & religioſos omnes alio cõmigrare præceperat. Quamobrẽ iuſtitio ſacrorum facto, templis maiore ex numero occluſis, ingens inter multitudinẽ fremitus ex conſter-

na-

Digitized by Google

natione audiebatur, maximè quod plurimi non tantùm è nobilitate & populo, verũ etiam è ſacratis viris, vrbe ſiue per metum Numinis & impendentis calamitatis exceßiſſent, ſiue manu tumultuaria aduerſariorũ eiecti, miſerè extra lares domeſticos vagari cogerẽtur. Itaque Vrbi Ludouico appropinquante, per omnes vrbis plateas pugnæ & cædes, maximè in inſula erant. Pontificij enim conabantur Ludouicum excludere, & occupata tenebant munita quædam loca, quæ non parùm vſui eſſe poterant, ſiue ad excludendum, ſiue ad oppugnandum. In inſula, plurimi Gibellinorum, præcipue ex Germanorum cohortibus ſubmißis deſiderati, adeò vt non incruenta illis victoria, & moles Adriani fuerit, ſed multo ſanguine conſtiterit. Summotis tum in itinere, tum in vrbe, maiore ex parte impedimentis, cum Legatos Romanos obſidum loco penes ſe Bauarus retinuißet, quinta Ianuarij die. Viterbio caſtris motis, tertia poſt die quæ Iouis erat, Romam hora nona ingreßus, ab effuſa populi multitudine ingenti cum lætitia exceptus eſt. Multi etiam ex Clero & nobilitate partium Pontificiarum ſtudioſâ, illi ſeſe adiunxerunt, iuuandis vel ſeruandis rebus ſuis intenti, cum Ioannem Pontificem, non ſemel mißis legationibus ad ſedem ſuam reuocantes fruſtra expectaſſent. Quatuor integris diebus in palatio Vaticano Ludouicus hæſit, ſiue quòd alicubi inſidias occultatas in vrbe metueret, ſiue

 quod

Digitized by Google

quod auxiliares copias, & legatos à fœderatis ciuitatibus expectaret, qui pompam inaugurationis præſentia ſua exornarent, & contra omnem inſultum præſtò eſſent. Die Lunæ, quæ in vndecimam Ianuarij inciderat, ſolemni pompa in Capitolium profectus, concione ad populum facta, propenſionem eorum erga ſe laudauit.

2. Bzouius tandem incipit ingenio vti. Fortaſſe aduertit fieri poſſe, vt alij auctores ab ſe laudatos adeant explorέntque, ergo è re hoc loco & deinceps pluribus exiſtimat, nullū nominare. Eat & vagetur per ſcriptores ad ſatietatem, quem indagandi cupido tenet, haud facili opera Bzouiū deprehendet. Placet nihilominus nobis procul inſequi hominem, & laciniâ veſtē fugientis prendere.

3. Primò quidē deſcribit Bzouius neſcio quas cædes ac pugnas ante Ludouici in Vrbē ingreſſum pugnatas, præmiſſas clam Germanorum cohortes, è quibus plurimi deſiderati ſint; cruentam Gibellinis ad Adriani molem victoriam, & neſcio quæ alia Martis terriculamenta. Vnde hæc petita ſunt? nec Bzouius auſus eſt dicere. Ego verò facto toties Bzouiani ſtyli periculo auſim dicere, eſſe mera additamenta ad Villani caput 55. vbi is quædam alia à Bzouio hîc allata memorat, deinde verò longè aliter Ludouici aduentum adornat. *Bauarus*, in-

Cap. 55. m. quit, *die Martis quinto Ianuarij cum exercitu Viterbio*

bio diſceßit, ſequenti die Iouis circa horam nonã cum equitatu, qui facile 4. millia complectebatur, abſque vllo impedimento, vti prædicti duces populi Romani *ordinauerant; Romam peruenit, & à Romanis humaniter exceptus eſt.* In eandem ſententiam Ciaconius Villanum ſecutus, *Bauarus*, inquit, *Viterbij* Pag. 694. *à ciuibus honorificentiſsimè ſuſceptus tamdiu manſit, quoad* Romæ *tumultuantis ſtatum conſtituerent ij, qui eum accerſebant. Erant autem Sciarra Columna, Iacobus Sabellus, & Theobaldus Euſtachius. Hi Duces populi cunctos Velſiæ* (Velfię) *partis nobiles, & Vrſinos præſertim Vrbe exegerant, ne impedimento, aduenienti Bauaro eſſent; is Viterbio cum quatuor mille equitibus iter mouens ad* VI. *Idus Ianuarij peruenit, & tanquam legitimus princeps & Imperator à* R*omanis honorificè ſuſceptus eſt.* Vbi verò pugnæ, cædes, ac funera Bzouiana? imò ipſe Bzouius dicit ab effuſa multitudine populi Cæſarem ingenti cum lætitia exceptum, quod certè tanto ſtudio fieri non poterat, ſi ſtrata cæſorum corpora plateas miſerè & fora cruentaſſent.

4. Pronuntiatum I. *Quatuor integris diebus in palatio Vaticano Ludouicus hæſit.* Quam hoc pronuntiatum verum ſit, perſpiciat lector ex Villano eius temporis ſcriptore. Poſtquam enim Ludouicus humaniter à Romanis exceptus eſſet, *tranſiuit*, inquit Villanus, *deinde Tiberim & ad S. Mariã* Ibid.

Ma-

Maiorem habitationem ſumpſit; ſequenti die Lunæ in capitolium aſcendit M. Bzoui, Sancta Maria Maior non eſt, vt tu ipſemet noſti, in Vaticano, ſed in oppoſita parte & remota. Fortaſſe dices Villanum errare; omnino id neceſſe eſt, niſi tu errorem fateri velis, quem ego tamen ſine tua confeſſione credo, & quidem eò facilius, quòd tu paulò pòſt imperatoriæ coronationis pompam deſcripturus ais, *A* N. II. poſt m. *ſancta Maria Maioris Baſilica vſque ad D. Petri Vaticanam, omnia aulæis & periſtromatibus ornata, ad ſpectaculum incedentis vniuerſos exciuerant.* Cap. 56. Nimirum tui oblitus & Villanum iam ſecutus doces, viam omnem ab Cæſaris diuerſorio vſque ad Vaticanum coronationi deſtinatum locum exquiſito condecoratam cultu.

Col. 515. II. 5. Bzouius. *Aliquis Eremitarum Auguſtinianorum Epiſcopus Apoſtata, ſermonem ex ſuggeſtu dixit, Ludouicúmque multa panegyri cohoneſtauit, & nomine illius abunde omnia omnibus promiſit. Non tamen principi Clero perſuadere potuit, vt ſacra præſente Bauaro peragerent, aut Eccleſiaſtica myſteria communicarent. Hac res Ludouicum adeò irritauit, vt compellendos omni iniuria ſacerdotes decreuerit, ídque negotij Sarræ Columnio iniunxerit. Omnia tamen prius perpeti illi, quàm ante porcos profanos margaritas diuinas proijcere maluerunt, neque vllis aut terroribus, aut ſupplicijs induxerunt*

ad

* ad ſacrificia offerenda, aut ſacramenta miniſtranda. Quin etiam ſanctas Diuorum reliquias, & inter has imaginē Saluatoris non manu factam, cui Veronicæ, ſeu vultus ſancti nomen eſt, occultarunt. Soli Apoſtatæ, hæretici & ſchiſmatici, vel gradu propter flagitia moti, nōnulli Epiſcopi, regulares, & clerici Bauaro rem diuinam faciebant, & ſacra manibus profanis temerabant. In eo comitio Ludouicus Caſtrucium, quem antea Lucenſium & Piſtorienſium, Lunenſiúmq; ducem appellarat, Comitem Lateranum, Senatorem vrbis & Imperialis Aquilæ vexilliferum dixit, quod in eo tum vno illius ſpes opéſque ſitæ eſſent, nemóque illo vel acumine ingenij, vel conſilij promptitudine validior fuit: quum etiam cæteris eius ætatis ducibus, in omni gerendi belli negotio fortunâ felicior haberetur. Duo quoque & quinquaginta viri à populo delecti, quatuor principes, Sarram Columnium, Vrſum Vrſinum, Bucium Proceſſum, & Petrum Montenigrum deſignarunt, quibus inaugurandi Ludouici poteſtatem permiſerunt. Medios inter hos inceſsit auro & purpura conſpicuus Ludouicus, Præfecto Vrbis & Iuſtitiæ adminiſtro prauiis, agmen ducente totius pompæ Caſtrucio Senatore: antecedentib: Iacobo Sabello & Tebaldo Sant Euſtachiano, cum reliqua nobilitate. A Sancta Mariæ Maioris baſilica, vſque ad Diui Petri Vaticanam, omnia aulæis & periſtromatib. ornata, ad ſpectaculum incedentis

* Pro, inducti ſunt, aut induci potuerunt.

dentis vniuerſos exciuerant. Die Dominica, Diuo Antonio ſacra, Iacobus Epiſcopus Venetus, quē Caſtellanum dicebant, Nicolai Cardinalis Parmēſis nepos, vnà cū quodā Epiſcopo ex fratribus Auguſtinianis, auſi ſunt Ludouicum, atq; eius cōiugem inungere, Sarra autem Colūnius diadema vtriq; imponere & Auguſtos renūciare: cùm eius inaugurationis, renunciationíſq; poteſtas ad ſolum Romanum Pontificem pertineat. Ad eum modum Ludouicus per execrationem potiùs, quàm cōſecrationem renunciatus, vt populum feſtis acclamationibus exultātem, magis ſibi conciliaret, Clerumq́; ea ſacra execranda exhorrentem attraheret, tres conſtitutiones, alteram de fide catholica ſeruanda, alteram de clericis honorandis, tertiam de viduis & pupillis non violandis promulgauit, mox ſacrificio Miſſæ interfuit atq; ſolemnitate celebrata, in Capitoliū reuerſus in Capitolina area epulū exhibuit. Tulit interim Sarra Columnius inauditæ præſumptionis ſuæ, qua Ludouicū diademate Imperatorio inſignire auſus fuerat, præmiū, gētilitio inſigni Colūna, coronā regiā ſuperpoſitā: vt poſt hoc infandū facinus, omnes Colūnij, Columnā diademate regio ſuperimpoſito eminentem in vmbonib. & in ſcutis præſeferant: quaſi præclarum fuerit Sarræ ſceleratè feciſſe.

Columnienſes certè Bzoui tibi debent præmium, qui coronam eorum coronidis loco tam egregiè exornas, ſed nos agamus noſtrum.

6. Pro-

6. Pronunciatum I. *Epiſcopum quendam ex ſuggeſtu ſermonem dixiſſe.* Sed cur ſubtices, quid finita oratione Auguſtiniani euenerit? *Quod cum,* inquit Villanus, *Romanis ſummopere placeret, cuncti ſimul, Viuat noſter dominus & Rex Romanorum acclamabant.* Nimirum tu odioſa Ludouico, non gratioſa narrare inſtituiſti.

7. Pronunciatum II. *Clericos Romanos ſanctorum reliquias & inter has imaginem Seruatoris nõ manufactam, cui Veronica, ſeu vultus ſancti nomen eſt, occultarunt.* Tu Bzoui ſacras reliquias fabula exornas, nihil de aliis reliquiis occultatis Villanus, qui ſolus rem hanc attigiſſe videtur, ſed de ſola illa Saluatoris imagine. *Cap. 55. f.*

8. Pronunciatum III. *In eo comitio Ludouicus Caſtrucium Comitem Lateranum, Senatorem Vrbis & Imperialis aquilæ vexilliferum dixit.* Vbi rurſus memoria tua peregrinatur Bzoui? Non in eo comitio, neque eo die, ſed poſtridie Ludouicus Caſtrucium Villano auctore fecit Senatorem, ſuumque Vicarium, non Imperialis aquilæ vexilliferum, vt tu cum Iouio dicis, non Corius, non Boſſius. *Cap. 56. propeſ.* *Pag. 104. poſt m.*

9. Pronunciatum IV. *Ludouicum auro & purpura conſpicuum inter quatuor Romanos principes à quinquaginta duobus viris deſignatos inceſſiſſe, Præfecto Vrbis & Iuſtitiæ adminiſtro prauijs, agmen*

ducente Caſtrucio. Bzouius vtique choragus huius pompæ fuit, nam & Ludouico & Caſtrucio locum aſſignat ſuum, & Præfecto vrbis iungit Iuſtitiæ ad- miniſtrum: quorum nil facit Villanus, qui nec quatuor illos principes à quinquaginta duobus viris deſignatos, nec habitum Ludouici habet.

Cap. 56. prope pr.

10. Pronuntiatum V. *Duo Epiſcopi auſi ſunt Ludouicum atq; eius coniugem inungere.* Cur nil de Pontificis legatis Cardinalibus, à quibus Ludouicum conſecratum Villanus ſcribit?

Cap 56. m.

Col. 515. III.

11. Bzouius. *Ad eum modum Pſeudoimperator à Pſeudoepiſcopis & profanis diuulgatus, ad reliqua veſaniæ flagitia properabat, ſibiq; perpetuum probrũ, cum non intermorituris ſuppliciis cõciliabat; perfidus erga ſocios & amicos, immanis in populũ & ſubſidiarios, impius in Diuos & ſacra. Inprimis enim Caſtrucium, Sarram Columnium, & Sabellum maximæ auctoritatis viros, per quos ſceptra & imperij reliqua acceperat, nihil æſtimare viſus eſt. Caſtrucius maximis officiorum vinculis familiæ Vicecomitum obligatus, nullam prætermittebat occaſionem, quin Galeacium Ludouico commendaret, oraretque ſupplex, ne diutius Guelfos, præſtantiſſimi viri calamitate lætari pateretur. Cæterùm ille, ne inſontibus iniuriam temerè feciſſe videretur, æquo durius reſpondebat: quanquam & Sarræ & Sabelli procerum continuæ preces adderentur, & Marcus admiſſi ſceleris pœnitentia addu-*

adductus, caſtigante atque exorante Caſtrucio, à vetere diri odij inſania diſceſſiſſet, peterétque excuſſis ingenuo pudore lachrymis, vt exutis imperio fratribus ſaltem cum libertate vita redderetur, quæ in eo carcere breuiſſima cenſeri poſſet, niſi ille clementiæ nomine ſatis pœnarum eos pro vetere ſuperbia ex beatiſſimis factos mortalium omnium miſerrimos dediſſe exiſtimaret. Vix atque ægrè tantis deprecatoribus, Ludouicus Galeacium conceſſit, eosq́; moroſitate ſua nonnihil offendit, vt Caſtrucius captata occaſione ex Piſtorienſi vrbe amiſſa, pluſquam libenter, vrbe ad diem Calend. Febr. exceſſerit, ingratúmque reliquerit. Ad ſextum Calend. Apriles ex prædura cuſtodia Galeacius emiſſus, cum ad Caſtrucium liberatorem accurriſſet, exuſtus Auguſti menſis in obſidione Piſtorien. ſolibus, vehementique ac lethali morbo conflictatus, nihil de ſæuo incendio febre remittente, ad Piſciam oppidum, vt commodius opportuna remedia pararentur, lectica delatus, poſt tertium diem morbo abſumptus eſt: infelix exul, ex magna fortuna ad ſummam calamitatē, propter contemptum Numinis & Pontificiæ maieſtatis delapſus. Nec ipſe quidem Caſtrucius, diu temeritati ſuæ ſuperfuit. Ingruente enim peſtilenti autumno ex Piſtorienſis belli laboribus accerſita febri, intra vigeſimum diem Galeacij fatum conſecutus eſt, tyranni nomen ex atrocibus factis conſecutus. Non paſſus eſt Deus vtrumque diurnare,

Hh 3 quòd

Digitized by Google

quòd in Chriſtum illius, & Eccleſiaſticam poteſtatem manus intuliſſent.

12. Pronunciatum. I. *Ludouicum ſibi perpetuum probrum cum non intermorituris ſuppliciis conciliaſſe.* Tu verò tribunali aſtabas Bzoui, cùm anima Ludouici ſupremo iudici producta eſt, qui tam promptè ſententiam calles. Vt malè egiſſe in coronatione ſua Ludouicum concedamus, an omnes, qui malè aliquando egerunt, non intermoritura ſupplicia ſibi conciliarunt? alyſne locus dolendi & emendandi; & Ludouico non fuit? piam mortem obiiſſe ſuo tempore docebimus, & te parùm modeſtum minio pingemus.

13. Pronunciatum II. *Ludouicum perfidum in ſocios & amicos, immanem in populum & ſubſidiarios, impium in diuos & ſacra.* Pleno ſinu effundis affectum in Ludouicum, & plus loqueris, quàm deceat ſagum militare, non dicam religioſum cucullum. Quid opus eſt ſcommata & conuitia iacere, præſertim in tantum Principē? rem narra & enuncia primùm vbi adhuc in ſocios fuerit perfidus? an quia Galeacium in vincula coniecit? At
An. 1327. ego tibi ſuprà dixi Galeacium potiùs perfidum fuiſſe in Imperatorem. Vt enim grauiora taceam, *Galeacius ſtatuit illi*, inquit Boſſius anno 1327. *Jmperatoria cuncta ſubſidia omnéſque vires ſubtrahere, ac ſolo nomine Imperatorem con-*

conſtituere. Quid tibi videtur Bzoui, an Cæſar in machinantem tam grauia perfidus eſt, cùm carceri mandat? Cur autem immanis in populum fuit, Bzoui? vbi ab ipſo inſtituta laniena? quæ ſupplicia in multitudinem conſtituit? Si quæ fuiſſent, tu numeraſſes, exactiſſimus in malè factis Ludouici recenſendis. Sed & impius in Diuos & ſacra fuit. Quæro vbi, aut quando? templa ne aut altaria euertit? an Clerum aut eiecit aut oppreſſit? Roma quidem, teſte Villano, multi exceſſere, cùm is eò venit, ſed ſine iniuria, aut contumelia illata. *Cap. 55. f.*

14. Pronunciatum III. *Ludouicus Caſtrucium, Sarram Columnium, & Sabellum maximæ auctoritatis viros, per quos ſceptra & imperij reliqua acceperat, nihil æſtimare viſus eſt* Hęc non aliter probas, quàm quòd Ludouicus eos pro Vicecomitibus deprecãtes non ſtatim exaudierit. An & Deus ſanctiſſimos viros nihili æſtimare tibi viſus eſt, cùm dixit, *ſi peſtilentiam immiſero ſuper terram illam, & Noë & Daniel & Iob fuerint in medio eius: viuo ego dicit Dominus Deus; quia filium & filiam non liberabunt, ſed ipſi iuſtitia ſua liberabunt, animas ſuas!* *Ezec. 14. 19.*

15. Pronunciatum IIII. *Ludouicum ne inſontibus iniuriam feciſſe videretur, æquo durius reſpondiſſe.* Quis verò te in penetrale cordis Ludouici ingeſſit, vt cerneres Ludouicum durius reſpon-

reſpondiſſe, ne iniuriam feciſſe videretur? Teſtimonio Italicorum ſcriptorum ſontes fuere Vicecomites, & Ludouicus eos pro talibus habuit: alia igitur cauſa fuit, cur durius reſponderet, nec tamen æquo durius, quod præter te ſolus aſſeuerat Iouius, cuius fidem tuæ non abſimilem antè demonſtrauimus; & inſignem Ludouici humanitatem, clementiam, miſericordiam ac iuſtitiam ſuprà ex Corio audiſti.

An. 1327.

16. Pronuntiatum V. *Caſtrucius ingratum Ludouicum reliquit.* Scilicet Bzoui, Ludouicus ingratus fuit Caſtrucio; quis illum igitur Ducem Lucenſium, Piſtorienſium, Lunenſium, quis comitem Lateranenſem, Senatorem vrbis, & Imperialis Aquilæ vexilliferum renunciauit & creauit? nonne Ludouicus vel te ipſo teſte? Et nos alia plura eidem à Ludouico collata memorauimus anno præcedente. Potuítne altius pro tempore euehere Caſtrucium Ludouicus? Parem fortaſſe ingrati animi vicem à Pontifice exſpectas, ſed dignus alia fortuna es.

N. II. ante m. & an. 1327. XI. §. 2.

17. Bzouius. *Caſtrucio Roma diſcedente, præcipiti temeritate Ludouicus omnia Vrbana miſcere cœpit. Primò ſiquidem Clerum, nobilitatem, & populum vniuerſum exactionibus intolerandis prægrauauit. Deinde militem Germanum, omnia à propolis & ex tabernis mercatorum per vim rapientem, neque*

Col. 516. IV.

que precium rerum rependentem, quin potius ciues contumeliis & iniuriis afficientem, non modo non caſtigauit, verum & tolerando collaudare viſus fuit. Vnde maxima populi vociferatio, deinde turbæ, poſtmodum ſeditio, concurrentibus aduerſus Germanos Romanis. Quarto Nonas Martij tumultu excitato, plurimi Germanorum cæſi: eáque propter poſtmodum aliqui Romanorum *tum pecunia, tum capite alij mulctati. Frendebant vniuerſi dura ſeruitute oppreſſi: attamen pecuniam poſtulatam numerare coacti, nobiles decem millia, totidem Clerus, totidem populares, nummum aureorum, inſatiabili Ludouico effuderunt: cùm vim maiorem, ne ſingulis per ordinem inferretur, metuerent. Quem enim pecunioſum didicerat, occaſionem depilandi aucupabatur, vel etiam ab auaritia doctus inueniebat. Viterbij Syluestro Gatto viro inter ſuos illuſtri triginta millia aureorũ eripuit; oppoſita calumnia, quaſi is vrbem cui præfuerat,* Roberto *Regi Siciliæ prodere voluiſſet. Richardi quoque Vrſini Cancellarij* Romani *bona publicauit, ædéſque ad Capitolij radicem turritas diruit; quaſi is Aſturam gentilitium oppidum Roberti* Regis *præſidio muniuiſſet. Addebat adhac miles inſolens, vrbem fœdare ſtupris & cædibus; vt nulla formoſa eſſet, cuius pudicitiam non tentarint; nullus honoris tuendi auidior, cuius viſcera ferro non violarint. Hinc* Romani *Bauarum faſtidire, crudelitatis & auaritiæ accuſare,*

priuatim & publicè, probris & maledictis inceſſere; Robertum Regem, & Vrſinos libertatis Romanæ vindices ſuſpirare, Pontificem ſummum fruſtra deſiderare, & ad extremum coitiones facere cœperunt.

18. Præcipiti temeritate iterum loqueris Bzoui, nam exactiones intolerãdæ non fuerunt; quanti enim eſt Romano Imperatori in ampliſſima opulentiſſimáque vrbe tribuere triginta millia aureorum, ſolutioni militarium ſtipendiorum Villano [a], & Rebdorfio [b] auctoribus neceſſaria, quod tu callidè prætermittis. quamquam non negarim in commeatum Cæſareum etiam quid impenſum. Romanis exactio, Villano teſte, grauis viſa eſt, quod inſueta fuerit. Sed Romanis proſpiciendum pridem fuerat, Ludouicum non ſolùm ſuâ impenſa venturum; aut inuitare non debebant, aut penſione non grauari. Volebant nimirum à Ludouico, quem vltro aduerſus Guelfos auxiliatorem accerſiuerant, defendi gratis, nec militi eam ad rem neceſſarij quicquam ſtipendij pendere.

a Cap. 61. m.

b pag. 424. 36.

Cap. 68. f.

19. Pronunciatum I. *Militem Germanum omnia à propolis & ex tabernis mercatorum per vim rapuiſſe, neque precium rerum rependiſſe, quin potiùs ciues contumeliis & iniuriis affeciſſe.* Nihil ab impudentia tua alienum ſcribis. Audi quanto aliter Villanus, *Die 4. Martij maxima contentio orta fuit inter Romanos Germanóſque propter alimenta,*

Cap. 66. ante m.

qua

quæ iſti ſumebant, & precium dare nolebant. Vbi Villanus dicit *omnia?* vbi *per vim?* vbi *rapta? Propter alimenta,* inquit, *quæ ſumebant*, poterant autem ſumere ſpecie ementium.

20. Pronunciatum II. *Ludouicum flagitia illa militum non modò non caſtigaſſe, ſed etiam tolerando collaudare viſum.* Tu verò non modò non tolerandus, ſed etiam caſtigandus videris, qui iſta ſine auctore ex cerebro fingas tuo. Villanus, inquies, non dicit caſtigaſſe. At etiam non dicit, non caſtigaſſe, cur ergo tu dicis? bellè tibi cum hæretrcis noſtris conuenit, qui ex non ſcripto non factum arguunt. Sed eſto, non caſtigarit (& habuit cauſam non caſtigandi ſequenti pronunciato reſeruandam) an propterea tolerando laudare viſus eſt? An non hodiéque Romæ flagitia quædam non caſtigantur? ergóne tolerando laudari videntur?

21. Pronunciatum III. *Vnde maxima populi vociferatio, deinde turba, poſtmodum ſeditio, concurrentibus aduerſus Germanos Romanis* Si falſus falleres, tolerabile eſſet, nunc fallere te Villanus non potuit. Tu enim vociferationem, turbas, ſeditionem inde quoque ortam tradis, quòd Ludouicus militum flagitia non caſtigaret, toleraret, & quaſi collaudaret. At Villanus ex recenti flagrantíque, vt aiunt, militum delicto omnia

Digitized by Google

illa incommoda extitiſſe docet. Nec enim plus ex eius verbis extundi poteſt. Vno die & ſemel (nec enim ſæpius factum tradit, nec Bzouius tantùm ſuſpicatur, ſed fidenter credit ſæpius factum) milites pretia rerum non ſoluêre, atque idcirco maxima contentio, quam tu ſeditionem vocas, orta fuit: quam profectò Ludouicus impedire non potuit, nec ante eam ortam admiſſum militis facinus vindicare; ſed nec poſtea vindicare debuit, cum populus ipſe ſe vindicarit, militúmque alios occiderit, & quod credere pronum eſt, alios vulnerârit, alios in mortis vulnerúmque pericula coniecerit, nec iure, ſed vi agendum cenſuerit.

22. Pronuntiatum IV. *Quarto Non. Martij tumultu excitato plurimos Germanorum cæſos.* Villanus ait, *multi Germanorum occubuerunt.* Ex multis conflat Bzouius *plurimos.*

23. Pronunciatum V. *Aliquos Romanorum tum pecunia, tum capite multatos.* Villanus ſcribit, *Finita demum illa contentione multi* Romanorum *puniti fuerunt.* pœnas non exprimit, at Bzouius prodit, quia apud illum omnia clara; vt taceam, *multos* eſſe ipſi *aliquos.*

24. Pronunciatum VI. *Frendebant* Romani *vniuerſi dura ſeruitute oppreſſi.* Villanus non dura ſeruitute, ſed pœnis ſeditioſorum exaſperatos Romanos dicit, nec addit, *vniuerſos.*

25. Pro-

25. Pronunciatum VII. *Quem pecunioſum didicerat, occaſionem depilandi aucupabatur, vel etiam ab auaritia doctus inueniebat.* Calumniæ filius es Bzoui. Indica quis iſta literis prodat, Villani calamus modeſtior eſt.

26. Pronunciatum VIII. *Viterbij Syluestro Gatto triginta millia aureorum, oppoſita calumnia eripuit, quaſi is vrbem* Regi *Siciliæ prodere voluiſſet.* Tu opponis Ludouico calumniam; Villanus ait, *Eodem anno, menſe Martio, cùm Bauaro nunciatum eſſet, dominum Viterbij in parata pecunia magnum habere theſaurum, & ipſe rei numariæ difficultate impensè laboraret, Mareſchallum Cancellariúmque ſuum cum mille equitibus miſit Viterbium; qui quamprimum eò peruenerunt, Silueſtrum Gattum Viterbij dominum cum filio, & illos à quibus intromiſſi fuerant, comprehendi iuſſerunt, obiiciendo eis quod Roberto Regi Viterbium tradere voluerint: quare cùm Silueſtrum torſiſſent, vt quo theſaurum poſuiſſet, fateretur, ipséque theſaurum in ſacrario fratrum Minorum latere dixiſſet, triginta millia flor. aur. ibi repererunt, Romámque Silueſtrum cum filio vinctum ducentes, tranſtulerunt: ita vt paruus tyrannus à maiore abſque culpa dignè punitus, dominiúmque ei cum theſauro ablatum ſit.* Agnoſce principio calumniam tuam in falſo auaritiæ crimine, quod Cæſari impoſuiſti. Villanus enim non aua-

Google

ritia, ſed rei numariæ difficultate compulſum cogitaſſe de Gatti theſauro, tradit. Apparet deinde Villano haud compertum fuiſſe, vtrum Gattus cum ſuis Viterbium Roberto tradere voluerit, nec ne; alioquin id declaraſſet, ſicut capite ſequenti ſimile Romani Cancellarij crimen, de quo pronunciatum ſequens, verum fuiſſe demonſtrat. Nec refert, quod videatur Gattum abſque culpa ſua punitum ſcribere, nam vt Guelfus Viterbium Roberto Guelfo abſq; culpa tradi potuiſſe iudicauit, eodémque affectu hoſtem Ludouicum tyrannum vocauit; vt taceam non liquere, vtrum à Gatto an à Cæſare culpam remoueat, adeóque vtrum ſignificet, Gattum à proditionis quidem crimine alienum fuiſſe, propter tyrannidem tamen dignè punitum; an verò Cæſarem in puniendo Gatto tyranno non deliquiſſe ratione cauſæ, inſontem ſed nec ſontem puniuiſſe. Probandum ergo reſtat Bzouio cum Iouio, falſum Gatto proditionis crimen fuiſſe impoſitum. Atqui falſum non fuiſſe nos longè faciliùs ex egregia & ſæpius iam laudata Cæſaris humanitate, clementia, miſericordia, iuſtitia oſtendemus; à quibus certè laudibus longiſſimè abeſt tanta iniuria, quantam innocenti Gatto factam oporteret. Taceo quod ea iniuria à Mareſchallo & Cancellario iniuſſu Ludouici fieri potuit.

pag. 114. poſt m.

27. Pronunciatum IX. *Richardi quoque Vrſini*

ſini Cancellarij Romani bona Ludouicus publicauit; adéſque ad capitolij radicem turritas diruit, quaſi is Aſturam gentilitium oppidum Roberti Regis præſidio muniuiſſet. Pudet planè me cum Religioſo loqui aſperius, & tamen tu mereris Bzoui. An tu facta Ludouico aſcribis, quæ populi Romani ſunt? Audi Villanum anno 1328. *Eodem anno,* Cap. 61.
inquit, *die* XX. *Martij Cancellarius* Romanus, *ex familia Vrſinorum, oppidum Scuri in littore maris, quod ſuum erat,* Robertique Regis *milites ei impoſuerat, vt* Romæ *bellum inferrent, rebellare fecit: ob quam rem* Romani *domos ipſius, pulchram nobilémque turrim, quæ ſupra Mercaturam ad radicem montis Capitolini ſita erat, nominabatúrque cancellarij turris, diruerunt.* Audin Bzoui, éſtne Ludouicus Cæſar Romani? hi euerterunt ædes Cancellarij tanquam hoſtis. parabat enim ex opportuno illo loco vrbi Romanæ bellum. Addis etiam bona eius Ludouicum publicaſſe; quod nec Ludouicus, nec populus Romanus fecit, aut ſi ſecus eſt demonſtra.

28. Pronunciatum X. *Addebat miles inſolens vrbem fœdare ſtupris & cædibus, vt nulla formoſa eſſet, cuius pudicitiam non tentarint; nullus honoris tuendi auidior, cuius viſcera ferro non violarint.* Parum abeſt, quin tecum extra orbitam modeſtiæ ſaliam. quis huius turpitudinis aut ſæuitiæ auctor?

potuit

potuit aliquid horum fieri, quia in caſtris non omnes ſanctitatem profitentur; ſed tu oſtende contigiſſe, aut dicemus tuam linguam nimium exſpatiari.

29. Pronunciatum XI. R*omani Bauarum faſtidire, crudelitatis & auaritiæ accuſare, priuatim & publicè, probris & maledictis laceſſere &c.* Guelfos iſta feciſſe nullus ambigo, nec facilè hoſtis hoſtem laudibus extollit. Sed tu ſodes, crudelitatis Cæſareæ mihi exempla dinumera, quot ipſius iuſſu Romæ patibula ornata? quot Romanorum ceruices ferro rubefactæ? humaniſſimus, ſi quis alius, Princeps fuit, & noſti quantum ſuprà illum ab hac vir-
1327. tute commendarit Corius Italus ſcriptor.

Col. 517. V. 30. Bzouius. *Non neſciuit iſta omnia Ludouicus, quamobrem, cùm ex deſiderio Ioannis ſummi Pontificis hæc proficiſci perſuaſum habuiſſet, vt eum ex mente ſua faciliùs irretiret, antequam quicquam aduerſus eum, & contra* Robertum *Regem, & Carolum Ducem Calabriæ decreuiſſet,* XVIII. *Cal. Maias legem contra hæreticos, fautores, conſiliarios, non reuelantes, atque receptatores eorum ſanxit, pœnáſq; grauiſſimas in delinquentes pariter ac læſæ maieſtatis reos promulgauit. Inde quatuor poſt diebus, omnibus qui Ioannem Pontificem oderant, quique eum ſtudio partium diuerſarum ſequebantur comitatus, Imperatorio cultu ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ in throno ſu-*

no ſuperius eleuato reſplendens, impoſito omnibus ſilentio, Fratri Nicolao Fabrianenſi Ordinem D. Auguſtini Eremitarum profeſſo, trina vociferatione inquirere & percontari iuſſit, num aliquis in tanto numero eſſet, qui Iacobum Cadurcenſem (ita veſanus Ioannem ſummum Pontificem ac Chriſti Vicarium per contumeliam nominabat) ſummi Pontificatus vſurpatorem defendere proponeret. Nullo vſquam reſpondente Abbas aliquis ex Germanis, omnibus cæteris procacior, propoſitis illis verbis ſacræ ſcripturæ, Hac eſt dies boni nuncij, multa in ſummum Pontificem Ioannem dicteria, ſcommata & maledicta euomuit: deinde ſententiam depoſitionis omnium iniquiſſimam, cuius initium eſt, Glorioſus Deus, ſublimis Dominantium Dominus, impudentiſſima temeritate, aduerſus eundē Ioannem ſummum Antiſtitem diuulgauit: nec non Robertum Siciliæ Regem vnà cum eo inter Patarenos hæreticos prædamnatum, multis cum deriſionibus & contumeliis per calumniam & impoſturas ignibus vtrumque addixit, ſecularíque poteſtati tradidit puniendos. Summa criminationum fuerat in ſententia comitiorum & maledictorum plena. Fingebat Ludouicus, quaſi Ioannem Pontificem, Clerus populúſque Romanus miſſis Syndicis & literis accuſaret, quòd is 1. Romanam ſedem, à Chriſto principe paſtorum, maximis Pontificibus Romæ erectam, deſereret, neque præcepto Chriſti, neque Petri Principis Apoſtolo-

rum exemplo, de reſidentia Romana ſatisfaceret, aut vnquam Auinione Romam reuerti, quanquam ab vniuerſis & ſingulis interpellaretur, cogitaret. 2. Pecuniarum aceruos per impoſitiones ſeu decimationes iniquas non tantùm à clero, verum etiam ab vniuerſo Christiano populo per ſpeciem belli ſacri extorqueret. 3. Sacra pecunia, non aduerſus Saracenos, ſed aduerſum ipſos Chriſti fideles, recens aduerſus Gibellinos in Italia ſuſcepto bello, abuteretur. 4. Crucem ſanctam, indulgentias & remiſſiones peccatorum, gratias & theſauros ſpirituales in ſtipendia homicidiorum, ſchiſmatum, & ſacri Romani imperij rebellionum, tum prædicaret, tum largiretur. 5. Romanos, Mediolanenſes, & reliquos vtroque gladio ob id ſolum perſequeretur, quòd Romano imperio fideles eſſent. 6. Copias à Rege Galliarum & reliquis principibus Chriſtianis in ſubſidia Regis Armeniorum contra Saracenos miſſa, pars in Romanos, pars in Genuenſes, pars in Brandeburgicos ſubmiſerit, vnde tanta occidio, ſtupra, & rerum Deo ſacratarum violatio, vt Saraceni inter cætera Crucem Chriſti configentes improperarent, Ecce Deus Chriſtianorum. *7. Preces & gemitus Armeniorum Chriſti fidelium, totis quinque annis auxilia implorantium, tanquam aſpis ſurda non exaudierit, adeóque illos gladijs barbarorum obiecerit. 8. Cathedrales Eccleſias nullo iure aut merito, iure electionis priuauerit. 9. Beneficiorum*

rum

rum Eccleſiaſticorum diſtributionem, præter ius & fas ſibi de facto reſeruet, ſeu vſurpet. 10. Dignitates Eccleſiaſticas perſonis, nec ætate, nec moribus, nec doctrina præſtantibus, ſed prorſus immeritis ac indignis conferat ac concedat. 11. Per Simoniacam prauitatem beneficia & bona Eccleſiaſtica vendat atque largiatur. 12. Potentia, auxilio & conſilio noui Ioab Principis militiæ, & noui Abiathar Sacerdotis, ſcilicet Roberti Regis *Siciliæ & Vrſini Cardinalis Legati fretus ſchiſmata peſtifera in Eccleſia Dei ſuſcitat, dum aſtutis ac doloſis vtens inuentionibus, rebellionem in ſacro imperio, contra Imperatorem legitimum commouet, & in effuſionem ſanguinis ouium Chriſti ſceleratos armat: & velut ille in Apocal. præſignatus, equo rufo inſidens, gladióque ancipiti præcinctus, pacem tollit de terra, cruorémque innocentem miſcet ac bibit: duobus vſus Antichriſti præcurſoribus, Roberto & Neapoleone. 13. Patriarchas, Cardinales, Archiep. Epiſc. & cæteros Eccleſiæ Prælatos, poteſtate ſua & ſuorum premit, vt ſub iugo ſeruitutis gemant, & voluntati eius in omnibus dictis & factis mancipati, neque verbum mutire audeant, aut valeant. 14. Non ad ſeriem Euangelicæ veritatis aut Apoſtolicæ traditionis, ſed ad ſuũ reprobum (ita reprobus Bauarus pronunciabat) ſenſum tãquã, Magiſter erroris & hæreſiarcha notorius, doctrinam Chriſti & Apoſtolorum verba de ſuperiori-*

Digitized by Google

rioritate ac dominio temporali Imperatorum ſuper omnes traditam ſubuertit, adeóque contra illa verba, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, præuaricatur, ac præuaricationem coloratis verbis & ſententiis excuſans, Euangelicæ veritatis & poteſtatis impugnator & ſubuerſor, inter hæreſiarchas cenſetur. 15. Imperialem ſimul cum ſacerdotali poteſtate dignitatéque à Chriſto & Apoſtolis in diuerſa ſuppoſita diſtinctam confundit, ſibíque vſurpat; cùm tamen Chriſtus & fugerit eo tempore, quo turbæ illum voluiſſent facere Regem; & regnum ſuum dixerit non eſſe de hoc mundo; & recuſauerit ſimul regia ac ſacerdotali auctoritate præſtare. 16. Ius & adminiſtrationem temporalium, quod ſoli Imperatori, à ſolo Deo immediatè collatum eſt, ſibi arrogat, temeréque Vicarios Imperij inſtituit. 17. Præter officium & æquitatem Romanos & Romano Imperio fideles proceſſibus infamat, anathemate percellit, ſacrorum iuſtitio affligit, ac non niſi impudenter & cognitionem ſibi de electione Imperatoris, & auctoritatem in confirmatione aut reprobatione electi, & poteſtatem in diſſoluendis iuramentis fidelitatis, ac reliquis in proceſſibus contra Bauarum expreſſis attribuit. 18. De paupertate Chriſti & Apoſtolorum, non ex ſenſu Catholico definitionem euulgauit, ſed inter hæreticos notorios, propter eam opinionem ſe reiecit, adeóque ſeipſum is ipſe lapſus Pontificatu maximo priuum fecit.

31. Cam-

31. Campum magnum & plenum nactus eſt Bzouius, in quem Polonico equo remiſſis habenis inſtar turbinis decurrat, & vario leuitatis flexu Ludouico inſultet. Ceterum Ludouicus hîc fecit, quod non feciſſet niſi velut indagine cinctus à Romanis, adactúſque fuiſſet ab iis qui maturè malo medicinam facere poterant. Nullis oratoribus miſſis, nullis precibus interpoſitis impetrare à Iohanne Pontifice poterat, vt electioni ſuæ acquieſceret, ſéque more maiorum imperio inſigniret. Nihil aut legati aut minaces literæ quicquam vnquam attulêre aliud, quàm vt imperium poneret, iuri omni renunciaret, & priuatus ſententiam audiret. Si per fraudem, ſi per iniuriam, ſi per illicitos anfractus imperium inuaſiſſet, non iniqua nec illicita Pontifex poſtulare videri poterat. At cùm quinque Principum ſuffragiis, vt imperaret, delectus eſſet, non potuit in animum inducere ſuum, vt tam ſeuera Pontificis imperia capeſſeret, ac rurſus fortunæ ſe ventíſque aduerſis committeret. Ergo quia neque remittere Pontifex de duritia voluit, nec Ludouico parere decretum fuit, bella enata ſunt, & ex bellis peiora. Mouit Pontifex Cæſarem gradu, Cæſar Pontificem, vt vexaret vexantem ſe, quemadmodum ipſe dicebat, & ego in quadam eius membrana me legere memini. Vter melior Bzoui? qui infert iniuriam alteri, an qui ſibi illa-

Digitized by Google

tam vindicat? Tales fructus pariunt Manliana imperia. querimur nonnunquam mortales magna mala per ætatem noſtrám contingere, & tamen ſi nos aſpicimus, partem eorum facimus. Sed ego ad Bzouium plenis buccis crepantem reuertor.

N. V. 32. In odioſa narratione ſtudioſè caues, ne quid afferas, quod ſpeciem excuſationis Ludouici præ ſe ferat. Villanus rem in concilio multorum Clericorum, Prælatorum, Religioſorum, Procerum, Equitum, Iudicum, Aduocatorum & totius populi Romani geſtam ait; quod tu diſſimulas.

33. Pronunciatum I. *Abbas aliquis Germanus omnibus cæteris procacior.* Villanus vocat eum valde doctum, nulla procacitatis Bzouianæ facta mentione.

Cap. 70. prope pr.

34. Ponunciatum II. *Idem Abbas in ſummum Pontificem dicteria, ſcommata & maledicta euomuit.* Hoc videtur eſſe Bzouij in Abbatem elogium, Villanus tantopere eum non laudat, ſummámq; orationis longè aliter proponit, *Propoſitis*, inquit, *latinis verbis*, *Hæc eſt dies boni nuncij*, *multas ſuper eadem verba attulit authoritates verbis elegantibus ornatas.*

Ibid.

35. Pronunciatum III. *Ludouicum finxiſſe, quaſi Joannem Pontificem clerus populúſque* Roma*nus miſſis ſyndicis & literis accuſaret*. Si Ludouicus Bzouius fuiſſet, fortaſſe finxiſſet, Villanus refert ſententiæ in Iohannem latæ inſertum fuiſſe, ſyndicos

dicos cleri populíque ad Imperatorem miſſos rogatum vti contra Iacobum de Chaorſa vt hæreticum procederet, Eccleſiæque & populo Romano ſanctum paſtorem, fidelémque Chriſtianum prouideret. Hæc ſi ficta fuiſſent, publicè in theatro vrbis legi non potuiſſent. Nec refert quod Villanus ibidem dicat ſententiam eam ornatam fuiſſe falſis argumentis. nec enim vult, omnia omnino fuiſſe falſa, & æquum eſt, vt illa vera cenſeamus, quæ ab aliis confirmantur. Hoc verò de cleri populíque Romani miſſis ad Ludouicum nunciis, Iohannis exauctorationem poſtulantibus Rebdorfius confirmat. *Ad ſuggeſtionem*, inquit, *quorundam clericorum & populi Romani, prædictum Papã Ioannẽ deponere præſumpſit*. Et rursũ, *Idẽ Ludouicus ad cõplacendum populo Romano, & ad ſuggeſtionem quorundã clericorum & laicorũ &c. deponens Papã Ioannẽ*, &c. An & Rebdorfius fingit Bzoui, an verò tu finxiſti? Nec Naucler. ab Rebdorfio diſsẽtit. *Coronatus Imperator*, ait ãno 1327. *cõſilio Senatus (vt Iacobus* Mogũtinus, qui tũ viuebat, *ſcribit) creauit Papã Petrum de Corbaria*, poſtquã eiuſdẽ vtiq; conſilio Iohannẽ dignitate ſpoliaſſet. Ac ne aliter diſtinguendũm putes legendúmq;, *Coronatus conſilio ſenatus, creauit &c.* dixerat paulò ante Naucler. *Rex atq; regina ex parte totius* R*omani populi, iuſſúq; cleri, ſunt coronati*: vt non ſit veriſimile Naucler um poſtea dicere

pag. 420. 2.

pag. 424. 11.

dicere voluiſſe, Ludouicum conſilio ſenatus coronatum. Nec verò ambigendum eſt, vt populum ita & clerum in duas diuiſum factiones fuiſſe Guelforum & Gibellinorum, nec niſi Gibellinos clericos, laicóſque Iohannis exauctorationem petiiſſe. Admodum ergo veritati conſentaneum eſt, clerum populúmque Gibellinum per ſuos Syndicos Ludouicum, vti Iohannem gradu moueret, interpellaſſe.

36. Ad crimina Pontifici obiecta ſeſe Bzouius accingit, ſed ſine ferro & arcu, cùm maximè debe-
N.VI.v.1. ret ea omnia refellere, nam calumnias fuiſſe affirmat. Ita ſolitus fuit facere Baronius; cùm crimina in Pontificem falſa iactari exiſtimauit, vindice calamo acerrimè defendit. Bzouius in Pontifices maledicta enumerat, nec refutat, non magna laude ſua, quia enarrare nec diluere, aliqua eorum confeſſio eſt, præſertim apud hæreticos. Sed fortaſſe Bzouio inhærendum in his non fuit, properabat ad reliquam actionem. omnino properabat, ſicut vbique properat in hoc genere ſcriptionis; maiori ipſi laudi foret cunctari, aut omnino abſtinere.

37. Sed quid à Bzouio exigo confutationem? ipſemet imprudens obiecta crimina alibi confir-
N.III.§.2. mat, primum quidem anno 1305. *Dolebat*, inquit, *maiori parti Cardinalium ea Clementis Pontificis diſpoſitio, non tam quòd ſe contemni, precéſque ſuas nihili*

nihili fieri arbitrarentur, quàm quod viderent libertatem Eccleſiaſticam oppreſſum iri, & quandóque pernicioſum ſchiſma in Eccleſia exoriturum, ingenti damno totius Chrſtianitatis, ex translatione ſedis in Gallias. Vbi ſummus Pontifex apud Regem *profanum, quaſi in poteſtatem ſecularium redactus, omnia & dicere & facere, & iubere cogeretur, non ex maieſtate pontificia, neque ex poteſtate plenaria, ſed neque ex iuſtitiæ præſcripto, ſed vt* Rex *& proceres vellent, adeóque mandarent. Hæc vniuerſa cum acri oculo perſpicerent, ſéque oppido proditos Cardinales, atque libertatem Eccleſiaſticam perditam dolerent, obedientes tamen dicto fuere, & in Gallias aduolauere.* Hæc ibi. Neque anno 1316. hunc ipſum Iohannem idcirco laudas, *Statim atque ſupremã*, inquis, *ſedem conſcendiſſet, omnéſque Pontifices, Prælatos,* Reges, *ac Principes aſſumptionis ſuæ datis ex more literis admonuiſſet, Neapoleo Cardinalis Vrſinus, Romanæ peregrinationis mentionem ei iniecit, & per fidem ſacramento confirmatam poſtulauit, vellet iuriſiurandi meminiſſe, & Romanæ Vrbi per factiones tumultuanti pacem præſens conciliare, Romanámque ſedem* R*omanæ Eccleſiæ poſtliminio reſtituere: præſertim cùm id ad dignitatem pontificiæ maieſtatis pertineret, & ad libertatem Eccleſiaſticam ab impotentia principum ſeculariũ vindicandam, tum verò inprimis in* Rempub. *Chriſtianam, quà ſchiſmate in-* N. II.

te inteſtino laborantem, qua ab externis hoſtibus in diſcrimen prope adductam, recreandam maximè opportunum foret. Iohannes porro ſiue Romanorum factionibus, totiúſque Italiæ miſerum in modum diſtractæ partibus nollet immiſceri, ſiue Gallorum regis ac Principum, ne abeuntem detinerent, potentiam metueret: de Romano itinere necquiquam curauit. Vt autem ſacramento interpoſito ſatisfeciſſe videretur, nauigio conſcenſo, Auinionem Rhodano *præterfluente illatus, ibidem ſedem pontificiam defixit. Neque vnquam equum aut mulam conſcendit, ſed è palatio, ad quod etiam pedes è nauigio iuit ad Eccleſiam maiorem eidem proximam, quam ſolam religionis gratia ingrediebatur, non niſi pedibus conſcendere ſolitus, ad eum modum Neapoleoni illuſit, & fidem ſacramenti ſe nunquam violaſſe exiſtimauit, cùm ſpopondiſſet ſe nunquam equum aut mulam conſcenſurum, quin* Romam *accederet. Hinc grauis inter ipſum & Neapoleonem Cardinalem ſimultas exorta, quoad vixit, durauit. Cardinalis enim nunquam poſtea Joannem allocutus eſt, neque teſtamento, aut exequiis intereſſe ſuſtinuit, quod ei à quo pontificiam dignitatem obtinuerat, fidem de re ſupremi momenti obligatam, verborum cauillo fregiſſet.*

38. Secundum item crimen tu ipſe confirmas, cùm anno 1317. ſcribis Pontificem Regi Galliæ decimas ad ſacram militiam, contra infideles

nem

nempe, conceſſiſſe, nam *præſcriptio ſacrorum armorum,* (tua verba ſunt, ſed tamen emendicata ex parte ab Aemilio) *aliò ſpectauit. Nam Pontifex perſpiciebat Ludouicum Bauarum propter Cæſarei nominis ambitum, & propter Italiæ opprimendæ ſtudium, hoſtem ex profeſſo aliquando futurum, qui modò nihil prætermitteret, vt & Italiam ciuilib. armis miſceret, & ipſe per diſcordiam Principum ac Vrbium, ſuperior factioſis factus, vtroſq; aliò ſpectātes opprimeret. Prudenti itaq; conſilio vſus, & fructus beneficiorum vacantium in tres annos proximè ſecuturos ſedi Apoſtolicæ in aliquibus regnis reſeruauit, & ſacram militiam alicubi indixit, vt militem præparatum hoſti publico quandoque opponeret.* Imò hoc ipſo anno *N.XXXII.*
itidem ſcribis, *In Galliis ſacerdotum decimæ ſpecie belli ſacri aduerſus Ludouicum Bauarūm, Eccleſiæ* R*omanæ aßiduum infenſúmque hoſtem, à vero Pontifice Ioanne* XXII. *conceſſæ ſunt.* Et anno ſequente *N.XIII.*
1329. *Huic* Regi Galliæ *Pontifex fructuum Regni Franciæ Eccleſiaſticorum decimam partem ea ratione reſeruauit, vt expeditionis impendio ſufficere poſſent. Sibi quoque Pontifex ceterorum Chriſtiani orbis fructuum Eccleſiaſticorum decimam pariter portionem voluit numerari, vt ſi quid amplius vel in Germania vel in Italia turbarum à Ludouico excitaretur, conſcripto exercitu occurreret.* Hæc tu partim ex Nauclero partim ex te; poteráſque

anno etiam præcedente 1327. hæc ex Genebrardo adducere, *Carolus Pulcher fertur primus Regum Francorum permiſiſſe Papæ decimas ex ſuis ſubditis, vt eius quæſtus fieret particeps; vel vt Pontifex Ludouicum Bauarum Imperatorem hoſtem Eccleſiæ iudicatum bello perſequeretur. Chron. Fran.*

39. Quòd verò etiam contra Gibellinos & alios Chriſtianos omnium beneficiorum vacantium fructus ſibi in tres annos reſeruarit, anno
N. X. 1320. doces, atque ita confirmas etiam crimen ter-
N. XXXII. tium, vt & Æmilius loco à te ad annum 1317. ſignato. Quantos autem pecuniarum aceruos Iohannes per decimationes & beneficiorum reſeruationes collegerit, apparet ex immenſo plus quam 25. millionum theſauro, quem moriens reliquit,
N. II. vt tu indicas anno 1334. & enucleatius Villanus[a]
[a] lib. 11. cap. 20. ac Ciaconius[b]. Audiamus vtrumque. *Nota*, in-
[b] p. 700. ante med. quit Villanus, *quod poſt mortem Iohannis in Eccleſia theſauro Auenione in moneta aurea cuſa repertum eſt precium octodecim millionum florenorum aureorum, & in vaſis, crucibus, coronis, mitris, aliiſq; cimeliis cum precioſis lapidibus, pluſquam ſeptem millionum flor. aur. precium: ita vt totius theſauri precium viginti quinque milliones flor. aur. exceſſerit. Cuius rei verum teſtimonium fidémque dare poſſumus, quia frater noſter carnalis vir fide dignus, qui tum Papæ mercator erat, à theſaurariis, aliiſque ad*

aſſi-

Digitized by Google

æſtimationem & ponderationem theſauri deſtinatis, id habuit; imò Collegio Cardinalium ita relatum fuit, vt in inuentario poneretur. Maior pars dicti theſauri collecta fuit induſtria & ſagacitate Ioannis Papæ, qui ab anno 1319. omnia beneficia collegiata Chriſtianitatis reſeruauit, eáque ipſe diſtribuere & conferre voluit, ad tollendas, vti dixerat, Simonias. Inde contraxit ingentem theſaurum: & propterea hac ipſa reſeruatione nullius vnquam Prælati confirmauit electionem, ſed Epiſcopum promouebat in Archiepiſcopatum, & in locum Epiſcopi iam promoti promouebat minorem aliquem Epiſcopum: & ſic ſæpè accidit, vt in vacatione Epiſcopatus aut Archiepiſcopatus, aut Patriarchatus, ſex aut amplius faceret permutationes. Idem fiebat de aliis beneficiis, vnde multæ magnæq́; prouiſiones monetæ ad Cameram Papalem redibant. Sed bonus vir non recordabatur Euangelij Chriſti ad ſuos diſcipulos dicentis, Theſaurus veſter ſit in cælo, & ne theſaurizate vobis in terra; nec theſauri, quem Petrus & Apoſtoli à Matthia petierunt, quando eum in Iudæ Iſchariotis locum ſortiti ſunt, &c. Et hæc ſufficiant; forſan plus quam nobis conueniebat, locuti ſumus. Dicebat Ioannes Papa ſe theſaurum illum ideo collegiſſe, vt ſanctum iter vltra mare ad finem perducere poſſet, & forſan illam habebat intentionem. In Lombardia magnum conſumpſit theſaurum in bellis & exercitibus, vt tyrannos

nos euerteret, & in magno ſtatu retineret nepotem ſuum aut filium legatum Lombardiæ, *uti dictum eſt, & quandoque etiam contra Turcam. Supra modum delectabatur occiſionib. & inimicorum nece.*

40. *Johannem Papam*, inquit Ciaconius, XVII. *auri milliones cuſos, & ſeptem rudes inelaboratos reliquiſſe traditur. Quod nullus vnquam Romanus Pontifex fecit. Tantam porro auri ſummam ea ratione collegit, quod redditus primi anni omnium beneficiorum vacantium ſibi reſeruauit, & frequentibus collationibus, mutationibus, & translationibus ſacerdotiorum, quas ipſe, vt Simoniæ labem tolleret, frequentes fecit, & immenſam auri vim iſtis mediis congerebat. Nam ſi opulentum aliquem Epiſcopatum vacare aliquando contigiſſet, nouo illum Epiſcopo, qui haberet forte tenuiorem, conferebat, & ad ditiorem transferebat, ita vt ſæpe acciderit, vnius Epiſcopatus vacantis occaſione, tres aut quatuor tranſlationes fieri, & tranſlationum Annatas ſoluebant. Hinc & ſimilibus aurum miniſtratum, quod ad ſacræ militiæ expeditionem ipſe affirmabat erogandum. Multum auri certè in Longobardicis bellis expendit, quo affines ſuos extolleret, & hoſtes Eccleſiæ, tyrannos deprimeret, & filium ſiue nepotem ſuum Cardinalem Oſtienſem legatum Bononiæ tueretur. Ceterum multum gaudebat de hoſtium interitu.*

41. Crimen quartum vt dilueres, oſtendere debe-

debebas Ludouicum non legitimè fuiſſe electum, aut non iure imperium ante Pontificiam confirmationem adminiſtraſſe: quorũ neutrum oſtendiſti, nos verò vtrinque contrarium anno 1314.[a] & 1316.[b] aduerſus te demonſtrauimus. a Cap. 2. n. 2. b N. 24.

42. Similiter diluere debebas crimen quintum de perſecutionis cauſa certè præcipua, ſi non ſola.

43. Crimen ſextum & ſeptimum confirmas vt ſecundũ. Accedit Rebdorfius, qui anno 12. Ludouici, hoc eſt Chriſti 1326. *Ludouicus*, inquit, *Marchio in adipiſcendo marchionatu Brandenburgico reſiſtentiam paſſus eſt, in cuius odium prædicti pagani marchionatum depopulantur permittente Papa.* Et Villanus, qui ait, Iohanni obiectum fuiſſe, *quod, cùm in Armeniæ regnum Saraceni irruiſſent, & Galliæ Rex auxiliares eò naues mittere voluiſſet, ipſe claſſem illam naualem in Chriſtianos conuerterit, id eſt, in Siculos: & licet à Germano quodam de Frieris à S. Maria nuncupato rogatus eſſet, vt aciem in Saracenos conuerteret, ipſe his verbis reſponderit, Domi Saracenos habemus.* Quod verum fuiſſe non facilè negabit Bzouius cùm ſimillima ſcribat, vt oſtendimus. p. 424 n. 2. C. 7 e. m.

43. Octauum crimen etiam ab ipſo Bzouio confirmatur anno 1320. his verbis: *Occaſione reſeruationis fructuum, beneficiorum Eccleſiæ vacantium, cùm Ioannes Pontifex auctoritate Apoſtolica citra electionem Epiſcopos præficeret &c.* Et hinc non Col. 343. XI.

ſolum

ſolum querelæ apud Germanos, ſed & in Anglia turbæ enatæ, vt ibidem refert. Poterat in eandem ſententiam afferre plura ex Ciaconio, qui ita ſcribit, *Prælatorum omnium, Eccleſiarum Cathedralium & Abbatiarum electionem à collegiis, & monachis ad triennium in ſe tranſtulit, ídque multis annis continuauit. Hinc multa in Eccleſiis ſchiſmata acta, cum Canonici & monachi iuri ſuo cedere recuſantes nouos ſibi paſtores deligerent, & Pontifex etiam aliis vacantes Eccleſias prouideret. Annatarum etiam ſolutionem triennalem indixit, & continuauit, frequentiſſimáſque Epiſcoporum tranſlationes fecit, quare infinitum penè theſaurum coegit. Moriens enim centies viginti quinque millia, id eſt, viginti quinque auri milliones reliquiſſe traditur.*

pag. 691. §. vlt.

44. Duodecimum diluere debebas referendo refellendóque loco Papirij Maſſoni Galli[a], ex Franciſco Petrarcha Italo[b], qui tunc viuebat, ſcribebat, & multa præſens videbat, *Eo* inquit *tempore, quo ille Pontifex maximus, qui ſibi prouinciam Italiam, atque in primis hanc vrbem Mediolanenſium euertendam ſacerdotali militia, ſenili expeditione delegerat, & ſic in vtramque Chriſtianam, Chriſtianorum pater perfecto odio ſæuiebat, quaſi non Italia hæc, ſed Syria vel Ægyptus, non Mediolanum, ſed Damaſcus eſſet, aut Memphis. Cùm ad hoc ſanctum piúmque opus vnum è ſacro patrum colle-*

a 4. annal. Franc. ante m. p. 424. poſt m.
b lib. epiſt. ſine tit. epiſt. 19.

collegio, filium vt multi dixerunt ſuum, & ſecundum famam ſimilitudo ingens morúmque ferocitas adiuuabat, non Apoſtolorum ſed prædonum in morem, neque ſignis virtutum ac miraculis, ſed ſignis caſtrorum & miris inſtructum legionibus in has terras quaſi alterum non Petrum ſed Hannibalem deſtinaſſet: Deus omnipotens ſuo more & ſuperbiæ reſtitit, & fauit humilibus, ac palam pro iuſtitia decertauit. Hæc Petrarcha atque alia eodem loco, quæ breuitatis cauſa omiſi. Quem verò filium Pontificis fuiſſe dicit, ei Pogieto Cardinali nomen fuit, vt ex Villanei annalibus didici, qui de illo ante Petrarcham ſcripſit.* Hactenus Maſſonus ex Petrarcha, de quo audi iudicium Cardinalis Bellarmini, *Franciſcus Petrarcha,* inquit, *patria Florentinus, Archidiaconus Parmenſis, & Canonicus Patauinus, luſit aliquando elegantiſsimis verſib. Italicis amores ſuos erga Lauram ſeu veros ſeu confictos, vt haberet materiam exercendæ Muſæ; ſed pœnitentia ductus, & tempus in cantiunculis illis conſumptum defleuit, & in ſolitudine poſitus vitam Chriſtiano & pio homine dignam egit, & multa opera grauia atque vtilia ſcripſit, ac tandem piè ſanctéque obiit anno Dom. 1374. ætatis ſuæ 70. Eius opera 4. tomis continentur.* Recenſet deinde ſingula atque in ſecundo tomo etiam librum illum epiſtolarum ſine titulo, ex quo allatum à nobis fragmentum Maſſonus petiuit.

a Bertrandus de Pogiteo vel Poditeo.

Ciacon. p. 684. §. 4.

In Script. Eccleſ.

45. Decimum quintum de Imperiali poteſtate à Iohanne vſurpata, & 16. de adminiſtratione temporalium à Iohanne vſurpata, vicariiſque Imperij inſtitutis, & 17. de iniquitate proceſſuum, diluere debebas, vt quartum. Afferre etiam & confirmare vel confutare oportebat locum Boſſij cùm ait, Ioannes *ſeptimum decretalium epiſtolarum publicauit, in quo tria contra imperatores Alemanos maximè continentur. Primò, Imperatorem feudatarium Eccleſiæ eſſe declaratur, quod in coronatione Pontifici ſe iureiurando de fide perpetuò præſtanda aſtringit. Secundò, adminiſtrationem temporalem Italiæ ad Pontificem ſpectare. Vltimò, regnum Siciliæ ſub Imperatore non cenſeri.* Quamuis autem in ſeptimo decretalium nuſquam expreſsè dicatur Imperatorem eſſe feudatarium Eccleſiæ ſeu Papæ, tamen in Clementina prima de iureiurando dicitur, fidelitatem non quidem verbo, ſed ſenſu contineri in iuramento, quod Imperator Eccleſiæ ſeu Papæ facit; id quod etiam Rebdorfius docet. At fidelitatem princeps principi non iurat, niſi feudatarius ſeu Vaſallus. Ergo ex hoc, quod in Clementina dicitur, Imperatorem iurare fidelitatem Papæ, & prohibetur ne quis aliter ſentiat, efficitur Imperatorem eſſe feudatarium Papæ; quamuis aliter, ſenſiſſe videatur Hadrianus IV. apud Baron. an. 1158. Cùm enim Hadrianus viſus eſſet Friderico impe-

An. 1316

Pag. 411. 30.

IV. §. 2. in epiſt. ad Frid. I.

imperium pro feudo Eccleſiæ habere, Hadrianus excuſauit ſe, negauítq; ſe voce *beneficium* pro feudo vſum, ſed pro bono facto.

46. Decimum octauum crimen Ioanni obiectum Hæreſis eſt, de quo antequam narrare pergam, mihi enunciandum eſt, me nullius hæreſis Ioannem accuſare, ſed rem tantam enarrare & dicere. Quæſitam eſſe ex errore, quo Ioãnes laborabat hæreſis imaginem, quæ obtendi poſſet, malè ſcilicet Ioannem, & ſenſiſſe & docuiſſe de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, & quidem contra definitionem Nicolai IV. Afficiebat malè hæc Ioannis doctrina potiſſimũ Franciſcanæ familiæ alumnos, quos ſibi aduerſantes Ioannes etiam pœnis Eccleſiaſticis exacerbauit. Hinc ſermo hominibus datus, ſiue obloquendi occaſio.

47. Sed vt vt ſit, Concilium Cæſareum Romæ habitum, aduerſus Ioannem Pontificem crimen hæreſis in reliquo criminum ſyllabo recenſuit, atque ob id potiſſimum, vt mihi penitus perſuadeo, Ioannem ſummo officio abdicauit, illius ſine dubio ſententiæ: Concilium eſſe ſupra Pontificem, & Pontificem ſi in hæreſin cadat, tanquam priuatus Doctor, hoc ipſo Pontificatu excidere; quo in caſu Concilium Ioannem non tam ſtuduit deponere, quam orbi oſtendere ipſum reipſa depoſitum: vel certè in ea mente fuêre Pontificem ob ſolum

crimen hæreſis & iudicari & deponi poſſe, eo quod in Canonibus legatur Pontificem non poſſe iudicari, niſi inueniatur à fide deuius, vt videre eſt in Can. ſi Papa diſt. 40. ex Concil. 5. ſub Symmacho ex Conc. 8. gener. act. 7. ex Anacleto epiſt. 3. Euſeb. ep. 2. ex Innocent. 3. in ſerm. 2. de conſecratione Pontificis, Videat Lector Bellarm. l. 4. c. 7. Rom. Pontif.

48. Fundamento igitur hoc nixi Epiſcopi illi Doctoréſq; qui Ludouici partes ſequebantur, auctores fuêre, vt ſententia depoſitionis in Ioannem diceretur, ac publicè populo Romano totíq; orbi promulgaretur Sed iniuriam fecêre, dicet Bzouius, Ioanni, quia hæreticus non fuit: eſto Bzoui, Cæſariani tamen hac opinatione inducti in Ioannem ſententiam tulêre. Fuiſſe tamen Ioannem ab hæreſi immunem Bellarm. Cardin. Eccleſiæ Catholicæ lumen demonſtrat lib. 4. de Rom. Pont. c. 14. cuius diſputatiunculam libet apponere, quod & clara ſit, & controuerſiam egregiè explicet.

49. *Nicolaus IV. in cap. Exiit, de verb. ſignificatione in ſexto, definit Chriſtum verbo & exemplo docuiſſe perfectam paupertatem, quæ conſiſtit in abdicatione omnium rerum, nullo ſibi Dominio relicto, nec in particulari, nec in communi; ac proinde talem paupertatem eſſe ſanctam & meritoriam. At hoc falſum eſſe & hæreticum docet Ioannes* XXII. *in extrau:* *ſuis,*

ſuis, titulo de verborum ſignificatione. Nam in extrauag. Ad conditorem canonum, docet eſſe impoſſibilem talem paupertatem, qua quis in rebus vſu conſumptibilibus abdicat ſe omni dominio, ſolo vſu retento: & in extrauag: Cum inter nonnullos; declarat eſſe hæreticum dicere, Chriſtum talem paupertatem verbo aut exemplo docuiſſe. Et in extrau. Quia quorundam, idem docet, ac prolixius inculcat. Ioan. de Turrecrem. l. 2. ſummæ, c. 112. conatur in omnibus hos Pontifices conciliare, ſicut etiam ipſe Ioannes conatur oſtendere, ſe à Nicolao non diſſentire.

At profectò, niſi ego vehementer fallor, in omnibus conciliari nequeunt. Eſt igitur aduertendum, tres quæſtiones tractari à Ioanne & Nicolao. Prima eſt, an in rebus vſu conſumptibilibus poſſit ſeparari vſus à dominio. Secunda, an paupertas, quæ omne dominium à ſe remouet, ſolo vſu relicto, ſit ſancta & meritoria. Tertia, an Chriſtus talem paupertatem verbo & exemplo docuerit.

50. De prima Ioannes reſpondet, non poſſe ſeparari vſum à Dominio in eiuſmodi rebus. Dominari enim eſt poſſe rem deſtruere. Proinde impoſſibile eſt, poſſe rem deſtruere vtendo, vt panem comedendo, & non eſſe Dominum illius rei. At Nicolaus docet id fieri poſſe, & rectè; nam idem apertè docuit poſtea Clemens V. in Clementina, Exiui de Paradiſo, de verborum ſignificat. & ratio eſt manifeſta; quia eſſe Dominum,

 num,

Digitized by Google

num, non eſt, poſſe rem deſtruere, quando, vbi, quomodo quis voluerit, & etiam donare, vendere, commutare, &c. conſtat autem omnes veros religioſos habere vſum panis, quem comedunt, & vini, quod bibunt; nec tamen poſſe illa donare, vendere, mutare, proiicere &c. dices, ergo errauit Ioannes. Reſpondeo, ita videri, ſed non in re fidei. hæc enim quæſtio ad fidem non pertinet, vt ipſe Ioannes dicit in extrau. Quia quorũdam: Immò adhuc ſunt de hac re variæ Doctorum ſententiæ.

De ſecunda quæſtione Nicolaus ſentit, illam paupertatem eſſe ſanctam & meritoriam: negat Ioannes. & quanquam melius Nicolaus ſentire videtur, tamẽ nec Nicolaus hoc definiuit tanquam articulum fidei: nec Ioannes directè hoc impugnauit. Ioannes enim in illa extrau. Ad conditorem Canonum; ſolum intendit renunciare Dominio earum rerum, quæ donantur Franciſcanis, quod Romani Pontificis ea eſſe aſſeruerat Nicolaus, renunciare autem eiuſmodi iuri potuit Ioannes.

51\. *De Tertia quæſtione (quæ omnium grauiſſima eſt, & ad fidem pertinet) non diſſentiunt Nicolaus & Ioannes. Nã Nicolaus dicit Chriſtum aliquando perfectiſſimam illam paupertatem verbo & exemplo docuiſſe: aliquando autem paupertatem minus rigidam exemplo demonſtraſſe, tanquam communem omnium patrem, & Doctorem, Ioannes autem defi-*

nit

Digitized by Google

nit eſſe hæreticum aſſerere, Chriſtum nihil vnquam hîc in terris habuiſſe proprij, nec in ſpeciali, nec in communi. Quæ duo non pugnant: nam Nicolaus non negat Chriſtum aliquando habuiſſe aliquid proprij ſaltem in communi; ſed negat Chriſtum ſemper talem vitam egiſſe. Joannes quoque non negat, Chriſtum aliquando nihil habuiſſe proprij, nec in ſpeciali, nec in communi; ſed negat ſemper talem vitam Chriſtum egiſſe.

52. Quod autem Chriſtus vtrumque docuerit, verbo & exemplo, probatur: nam paupertatem omnimodam docuit Matth. 10. cum ait: Nolite poßidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram, nec duas tunicas, neq; calceamenta, neque virgam. Neque refert, an hæc verba ſonent præceptum, an conſilium, & an poßint exponi aliter quàm de abdicatione omnis Dominij. Nam ſatis eſt ad ſententiam Nicolai ſaluandam, quod hæc ſit Chriſti doctrina, & quod non repugnet ei iſte ſenſus, vt reuera non repugnat. Etſi enim Chriſtus ſubiiciens: Dignus eſt operarius mercede ſua; *obligauit populos ad ſuſtentandos prædicatores, & proinde conceßit prædicatoribus, vt iure exigant ſuſtentationem à populis, non tamen obligauit ipſos prædicatores, vt quaſi debitam exigant, vt patet ex Paulo, 1. Corinth. 9. ſed promiſit eis viuere de ſuis laboribus, vel accipere tanquam donum ſine vlla vſurpatione Dominij, quod ex iuſtitia*

iuſtitia illis debebatur. Accedit, quod in hoc ſenſu illa verba accepit S. Franciſcus, cuius viri inſtituta & Deus plurimis miraculis, & Eccleſia vniuerſa communi conſenſu approbauit.

Quod autem exemplo hoc idem Dominus oſtenderit, patet ex illo Matth. 8. Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. *Et ex illo Luc. 8. Sequebantur eum mulieres, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Tunc enim Dominus cum Apoſtolis ſine loculis viuebat ex ſolis fidelium eleemosynis.*

Quod autem Dominus etiam alterum vitæ genus exemplo ſuo docuerit, patet ex Ioann. 13. vbi legimus eum habuiſſe loculos, ex quibus in communi cum diſcipulis viuebat, nec dubium eſt, quin habuerint Dominium earum pecuniarum, ſaltem in communi, quandoquidem ex eis eleemosynas facere etiam conſueuerant, vt patet ex eodem loco. Quam vitam imitati poſtea ſunt fideles, qui erant in Hieruſalem ſub Apoſtolis, vt patet Actor. 4. & ferè omnes ordines religioſi. Nam, exceptis Franciſcanis, omnes habent, ſaltem in communi, Dominium rerum mobilium.

53. Hæc Bellarminus in defenſionem Ioannis Pontificis, qui liber quidem ab hæreſi, affectu tamen, quo in Franciſcanos accendebatur longiùs iuit, vt plura, quam oportebat diceret. Audi Marcum Vlyſſiponenſem. l. 8. c. 12. *Accepit Papa hanc à Capitulo generali factam, declarationem magno dolore,*

lore, vti rumor in Romana curia ſpargebatur; & ideo tribulationes in religione ſunt auctæ. Miniſter generalis quamprimùm papam adiit, eique ſupradictam ſignificauit ſententiam capituli generalis, & volens illam defendere, in hoc caſu non eâ prudentiâ, modeſtiâ & reuerentiâ, quâ debebat, ſe geßit. Quare Papa turbatus eſt: quod cum inimici ordinis reſciuiſſent, eâ occaſione vſi, ita Papam in fratres minores irritarunt, vt inde multæ diſſenſiones & ſcandala ex vtraque parte exorta fuerint, quia quælibet non defendebat ſuam cauſam, zelo declarandi Catholicam veritatem, neque ſpiritu, neque ſapientiâ diuinâ, ſed manifeſto affectu, quia ducti erant prudentiâ humanâ elati, & excœcati amore ſui, vitio nimirum, quod tum in multis doctis vigebat. Hoc affectu Papa, qui antehac amicus erat religionis fratrum Minorum, eique fauebat, (vti videre eſt in declaratione quam ipſe fecit in regulam eorum, quæ incipit, Quorundam) illam extrauagantem publicauit, quæ incipit, Ad conditorem canonum, eámque affigi iußit in portâ Eccleſiæ Cathedralis Auenione. Deinde eandem extrauagantem correxit, eámque confirmauit rationibus & auctoritatibus, iterúmque publicari fecit, in qua fundans ſe Papa in rationibus Legum ciuilium, cuius facultatis peritus erat, refutauit, & à ſe, & ab Eccleſia excluſit dominium rerum, quæ in vſum fratrum Minorum conferebantur, quod ad illud vſque tempus

retinebat ſibi Eccleſia Romana virtute illius capituli, quod incipit, Exiit qui ſeminat, relicto fratribus vſu tantum dictarum rerum; apparentibus rationibus probans, eos non poſſe tenere vſum ſimplicem facit in iis rebus abſque dominio formali. Solum retinuit pro Eccleſia Romana Dominium rerum permanentium vti ſunt domus ornamenta, libri & ſimilia. Hac extrauagans non ſeruiebat pro principali quaſtione de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum, neque pro alia re, ſed pro vindicta contra ordinem eiúſque pralatos, ideo quod abſq; Papa licentia auſi fuerint terminare quaſtionem, qua in Romana Curia tractabatur. Super qua confeſtim tractatum fuit ex affectu coram Papa, qui eodem affectu ſententiam dedit contrariam definitioni in capitulo generali facta; & ſi qui in eo caſu contraria erat opinionis, licet eorum aliqui Cardinales eſſent, loqui non auſi fuerint, eius definitioni aſſenſerunt. Hoc fundamento nixus etiam aliam fecit extrauagantem, qua incipit, Cum inter nonnullos, anno fermè poſt aliam dictam, id eſt, Anno 1323. in qua extrauagante abſque vlla diſtinctione definiuit, quod hareticum, & directè contra ſacram ſcripturam ſit affirmare, Chriſtum & Apòſtolos non habuiſſe rem vllam, nec in communi nec in particulari, nec etiam ius dandi, emendi & acquirendi rem vllam, aut ea vtendi. Hæc Marcus, qui cum vt Poſſeuinus ſcribit, iuſſu miniſtri ſui generalis Andreæ, Inſulanos, Hiſpa-

Hiſpaniarũ, Galliç item atq; Germaniæ monaſteria ſui ordinis luſtraſſet, Chronica verò eiuſdẽ Ordinis nõ adeo rectè diſpoſita cõperiſſet, hæc in tria volumina aptius redegit: quç deinceps ab Horatio Diola Bononiẽſi Italicè ſunt reddita, & edita. Ipſe interim Portuenſi Epiſcopatui præfectus eſt in Luſitania.

54. Porrò quia Villanus ait Ioannem de aliis quoque hæreſibus accuſatum fuiſſe. cap. 7. fatemur eas nos neſcire, niſi fortaſſe Villanus loquatur de errore illo, quo Ioannes videbatur imbutus, cum docuit animas ſanctorum non viſuras Deum ante reſurrectionem. Verum ſiue hæc hæreſis ei obiecta fuerit, ſiue non fuerit, quia fortaſſe nondũ in publico de hoc eius errore, cum deponeretur, conſtabat ſufficiet lectori ea noſcere quæ breuiter pro cauſa Ioannis affert Bellarm. eodem lib. 4. c. 14. Ioannes XXII. *à multis inquit reprehenditur, ac præſertim à Gulielmo Okam, in opere 93. dierum, & ab Adriano in quæſtione de confirmatione, circa finem, quod docuerit, animas beatorum non viſuras Deum ante reſurrectionem. Eraſmus præfatione ad lib. 5. Irenæi idipſum cum additamento affirmat. Sic enim ait in quo errore fuiſſe videtur Ioannes Pontifex Romanus eius nominis viceſimus, coactus opera Theologorum Pariſiorum ad palinodiam coram Galliarum Rege Philippo, non ſine buccina. Quod indicat Ioannes Gerſon in ſermone de Paſchate.*

Addit Caluinus in Inſtit.l.4 c.7.§.28.eundem Ioannẽ docuiſſe, animas eſſe mortales: Atqui, inquit, ſi priuilegium quod obtendunt, ratum eſſe volunt, expungant è numero Pontificum oportet Ioannem XXII *qui palàm aſſeruit, animas eſſe mortales, vnáque cum corporibus interire vſque ad diem reſurrectionis. Atque, vt videas totam ſedem cum præcipuis ſuis fulturis tunc prorſus concidiſſe, nemo Cardinalium huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuit. Sed ſchola Pariſienſis Regem Galliæ impulit, vt ad Palinodiam hominem cogeret. Rex eius communionem ſuis interdixit, niſi mox reſipiſceret: ídque de more publicauit per præconem. Hac neceßitate adactus ille, errorem abiurauit. Hæc ille. Non autem probat aliter, quam ponendo in margine: Teſtis Ioannes Gerſon, qui tunc viuebat.*

Reſpondeo inprimis ad Adrianum, Ioannem hunc reuera ſenſiſſe, animas non viſuras Deum, niſi poſt reſurrectionem: cæterum hoc ſenſiſſe, quando adhuc ſentire licebat ſine periculo hæreſis, nulla enim adhuc præceſſerat Eccleſiæ definitio. Voluit autem Ioannes quæſtionem definire, ſed dum adhuc in præparatione, & conſultationibus verſaretur, mortuus eſt, vt teſtatur Benedictus XII. *Ioannis ſucceſſor, in extrau. quæ incipit; Benedictus Deus, quam totam refert Alphonſus à Caſtro l.3. contra hæreſes, in verbo Beatitudo.*

Refert autem Ioannes Villanus l.11.hiſt.cap.19. Ioan-

Ioannem Papam pridie ante mortem partim declaraſſe, & partim etiam reuocaſſe ſententiam ſuam. Primum enim teſtatur, ſe nunquam, cum de hac re locutus erat, quæſtionem definire, in animo habuiſſe, ſed ſolum diſſerere ad veritatem inueſtigandam. Deinde addidiſſe, exiſtimare ſe iam probabiliorem ſententiam eſſe eam, quæ aſſerit, beatos frui viſione diuinâ etiam ante diem iudicij: & hanc ſententiam ſe amplecti, niſi aliquando aliud Eccleſia definierit, cuius definitioni ſuas omnes ſententias libentiſſimè ſubiiceret. Hæc retractatio apertè docet, Ioannis Papæ mentem ſemper bonam, & Catholicam fuiſſe.

Ad Caluinum dico eum quinque mendacia impudentiſſimè pauciſſimis verbis protuliſſe. Primum, quod Ioannes Gerſon vixerit tempore Ioannis XXII. *nam conſtat ex Ioanne Villano lib. 11. c. 19. & omnibus hiſtoricis aliis. Ioannem* XXII. *obiiſſe anno Domini M. CCC. XXXIV. Conſtat autem ex Trithemio de viris illuſtribus, Gerſonem natum eſſe anno M. CCC. LXIII. nondum ergo natus erat Gerſon, quando Ioannes Papa diem ſuum obiit.*

Secundum mendacium eſt, quod Gerſon dicat, Ioannem Papam negaſſe animæ immortalitatẽ. Gerſon enim nihil de iſtius Ioannis erroribus dicit, niſi in ſermone de Paſchate, qui habetur tom. 4. qui ſolus locus citatur ab omnibus contra Ioannis errorem. Ibi autem ſic loquitur Gerſon: Hoc fecit, inquit, latroni,

Digitized by Google

qui veriſimiliter nondum compleuerat pœnitentiā pro omnib. peccatis ſuis, qui fuit illa propria hora beatificatus, & vidit Deū facie ad faciē, ſicut ſancti in Paradiſo. Propter quod inſuper apparet falſitas doctrinæ Papæ Ioan. XXII. *Hæc ibi. Nec explicat amplius qualis doctrina fuerit, ſed cū dicat apparere falſitatem doctrinæ Ioannis Papæ ex eo, quod latro cū Chriſto crucifixus mox à morte vidit Deum, manifeſtè indicat Ioannē in hoc erraſſe, quod crediderit animas ſanctorū non videre Deū mox à morte. Quod autē negauerit animæ immortalitatē Ioannes Papa, neq; Gerſon, neq; vllus alius ſcripſit ante Caluinum, ac non ipſe quidem Gulielmus Okam, qui fuit Papæ Ioanni infeſtiſſimus.*

Tertium mendacium eſt, quòd nullus Cardinalium oppoſuerit ſe Ioannis ſententiæ. Hoc enim eſſe falſum patet, tum quia nec Gerſon, nec vllus alius hoc dicit, tum quia plurimi ſentiebāt contrariū, vt patuit ex definitione, quæ mortuo Ioanne facta eſt à Bened. XII. *de conſenſu omniū Cardinaliū, vt ex ipſa epiſtola Benedicti perſpicuū eſt: nec erat cauſa, cur iſti, qui cōtrariū ſentiebant, metuerēt viuenti Ioanni contradicere: Siquidem Benedictus* XII. *in ſua extrau. aſſerit, Ioannem Papā ſeuerè præcepiſſe Cardinalibus, aliiſq; doctoribus omnibus, vt ſincerè dicerent, quid ſentirent, vt veritas inueniri poſſet. Deniq; Ioan. Villan. qui tunc viuebat, lib. 10. c. vlt. hiſtoriæ, ſcribit, maiorem partem Cardinalium repugnaſſe Ioannis Papæ opinioni, illo viuente.*

Quar-

Quartum mendacium eſt, quòd Rex Galliæ interdixerit ſuis communionem Ioannis. Quod enim Rex Galliæ Philippus magis crediderit Pariſienſibus Doctoribus, quàm Ioanni Papæ, vt particulari Doctori de illa quæſtione differenti, teſtatur Gerſon loco notato: at quòd propterea Rex Pontificem excommunicauerit, nullus narrat, nec eſt credibile Chriſtianum Regem tale aliquid facere auſum.

Quintum mendaciũ eſt, quòd Pontifex abiurauerit errorẽ ſuum. Id enim nec Gerſõ ſcribit, nec vllus alius, nec debuit Papa errorẽ abiurare, cum in errorem nullum incidiſſet. retractauit quidem ſententiã ſuam pridie ante mortem, ſed ſuaſu affinium, non iuſſu Regis. Vide Ioannem Villanum lib. 11. cap. 19. ex quibus etiam deteguntur Eraſmi calumniæ. Neque enim verum eſt Ioannẽ adactum ad Palinodiã, & multò minus verum eſt, id factum eſſe coram Rege Philippo.

55. Atq; hæc Bellarminus pro Ioanne, quem prolixius defensũ volui purgatúmq; à crimine hæreſeos, nõ autẽ ab aliis, quæ ei exprobantur. Nã cum Pontifices eandẽ cũ aliis humanã conſtitutionem obtineant, vtiq; etiã humanis malis obnoxij ſunt: Boni eſſe poſſunt: mali eſſe poſſunt, & aliquando fuêre, ſine vllo religionis noſtræ detrimento: Nã & caput in humano corpore nõ ſemper ab omni parte ſanũ eſt, & tamẽ caput eſt. Ita Pontifices tametſi ſupremo loco in terris ſint, Deíq; vices gerant, poſſunt tamen etiam animum infra habere, & meliora docere, deteriora facere. Ita-

Digitized by Google

Itáque vt mihi perſuadeo, hoc potiſſimùm argumento inter cæterà perſuaſum eſt Ludouico, vt ad depoſitionem Ioannis procedi ſineret, poſito ſimul ob oculos exemplo Ottonis, qui Ioannem XII. cum concilio Epiſcoporum & aliorum Clericorum Germaniæ, & Italiæ exauctorauit, & Leonem VIII. ſubrogauit. Quod factum probant quidem Luitprandus Ticinenſis Diaconus rei geſtæ coæuus, Regino ei ferè æqualis anno 963. & 964. Hermannus Contractus annis 50. poſt id Ottonis factum natus, & non multò recentiores Sigebertus ac Lambertus Schafnaburgenſis; fragmentum incerti auctoris, (qui videtur Albertus Argentinenſis, mortuus ante annos circiter 250.) ab Vrſtiſio editum, Trithem. in Hirſaug. Kranzius, Nauclerus, Platina in Ioanne XIII. (qui aliis eſt XII.) Onuphrius in Epit. Pontif. Iohanne XII. & Leone VIII. & Benedicto V. Dominicus Tempeſta Romanus in vitis Pontif. (quas Romę editas Clementi VIII. dedicauit) ibidem. Idem Ottonis factum deſcribunt, & non improbant Helmoldus presbyter chron. Sclauor. l. 1. c. 10. f. Paulus Langius chron. Citizenſi, Compilatio chronolog. t. 1. edito à Piſtorio, Iacobus Wimpfelingius epiſt. rerum German. c. 18. Blondus Decad. 2. l. 3. principio. Rem in medio relinquit Friſingenſis 6. chron. 23. Baronius fa-

ctum

ctum Othonis improbat, allatis pluribus rationibus, licet Othonem & alios facti auctores ob bonum zelum & ignorantiam excuſatos habere videatur. Ita ergo & Bzouio probandum fuiſſet, factum Ludouici per ſe fuiſſe malum ac præterea nō poſſe Ludouicum excuſari bono zelo & ignorantia. Nec enim tum (vt nec poſtea) defuerunt Theologi ac Iurisperiti, qui Pontificem à Concilio ob hæreſin & alia crimina deponi aliúmque ſubſtitui poſſe dicerent; vt Bellarminus [a], & Azorius [b] docent. Erant etiam multi viri docti, qui Iohannem XXII. iniquorum aduerſus Ludouicum proceſſuum accuſarent, vt ad annum 1324. docuimus. *N. 37.* Sed Bzouius miſſa accuſationis atrociſſimæ aduerſus Ludouicum inſtitutæ probatione inſanum vociferatorem ac declamatorem agit.

a 2. de concil. 14. §. 1.
b t. 2. l. 4. c. 7.

56. Ipſe Iohannes vno verbo amiciore Cæſarem, ne quid eiuſmodi populo Romano flagitanti præſtaret, tenere poterat; ſed nihil niſi aſperiora, intolerandáque & audiuit, & expertus eſt; ergo deſperatio Pontificiæ placationis huc virum perduxit. Ex quo iudicari poteſt impudens Bzouij calamus, qui non aliter in Chriſtianum Principem ſcribit, atque ſi immanitatem Diocletiani aut Iuliani apoſtatæ depingeret. Sol ad Bzouij immodeſtiam erubeſcit.

57. Pronunciatum I. *Ludouicus ſanxit deinde*

nonnulla ſcita. Vt Bzouius inuidiam augeat, legiſlatorem ſolum Ludouicum conſtituit, cùm tamen Villanus in inſcriptione capitis 72. apertè dicat, *Quemadmodum Bauarus populúſque Romanus legem tulerit, contra quemcunque Papam Roma diſcedentem.* Tacet deinde hanc legem eodem au-ctore in Concilio Senatorum, tribunorum 52. Capitaneorum 20. & principum 13. (quorum ſinguli è ſingulis Vrbis regionibus delecti fuerant) & quantum apparet, cum eorum conſenſu comprobationéque latam eſſe. Inſuper, mi Bzoui, omiſiſti tu tres illos menſes, quibus permittebatur Pontifici Româ abeſſe, vt duriorem legem monſtrares, non ignarus, & Tridentini Concilij decreto Patriarchis aliíſque Epiſcopis non niſi duos aut ad ſummum tres ordinariæ abſentiæ (de qua & lex illa) menſes conceſſos: quam abſentiæ moderationem etiam ſummi Pontifices, qui quidem ſedem in Gallia non poſuiſſent, diligenter obſeruarunt, ídque meritiſſimò. Adhæc Villanus tantum ait, *ne Româ ſe* Pontifex *abſentaret vltra ſpacium duorum dierum itineris niſi cum licentia populi* Romani; Bzouius addit etiam, *ſine Imperatoris permiſſu*; bellè & amicè in Ludouicum, quaſi Pontifici longiùs abituro poteſtas è Germania primum poſtulanda fuiſſet; refer tu ea Bzoui, quæ auctores tradidêre; tua legere eruditis non libet. Demum Villanus non niſi

Cap. 72.

Seſſ. 23. reformat. c. 1. m.

niſi vnam legem commemorat, tu alteram etiam adiicis, in hæreticos pœnas ſtatuentem.

58. Bzouius. *Quod ad ritum & modum eligendi Imperatoris attinet, eum ex vſu priſco Carolus IV. in Bulla aurea præſcripſit. Hæc inter alia ſunt capita, vt Moguntinus Archiepiſc. Cæſaris mortem reliquis Electoribus denunciet, & diem conſtituat, vt infra tertium menſem Francofurti præſto ſint ipſi vel ipſorum legati, cum plenis mandatis, noui Cæſaris aut* Romanorum Regis *eligendi cauſa. Quod ſi Moguntinus negligat, cæteri Collegæ nihiloſecius intra tempus illud conueniant, & comitatum habeant ſinguli non ſupra ducentos equites, cum oppidum ingredientur, & in his armatos ad quinquaginta. Qui nec ipſe venit, neque Legatum etiam mittit, aut ante confectum negotium diſcedit, ius electionis, eo quidem tempore amittat. Magiſtratus Francofordienſis omnem fidem Electoribus præſtet, ac durante Comitio, neminem præter Electores ipſorúmque familiam intromittat. Vbi conuenerint omnes, in æde D. Bartholomæi ſacrum fiat, quo S. Spiritus gratia imploretur; deinde ſinguli iurent, verbis praeunte Moguntino, nihil ſe facturos in ea re vllius vel pacti, vel mercedis, vel largitionis, vel pollicitationis cauſa; poſtea ad actionem veniant, neque prius illinc diſcedant, quam electo Imperatore. Quod ſi res vltra trigeſimum diem differatur, omnibus aliis detractis cibariis præter panẽ &* Col. 520. IX. X.

Digitized by Google

aquam nihil eis detur. Quem maior pars elegerit, hic eodem loco ſit; ac ſi communibus omnium ſuffragijs nemine repugnante deſignatus eſſet. Ad hunc modum deſignatus Imperator omnium primò confirmet Electoribus omnia priuilegia, & quicquid ad ipſorum dignitatem, decus, libertatē ac immunitatem ſpectat. Hæc & alia plura Carolus in aurea bulla.

X. *Hac ad ritum modúmque tum electionis, tum inaugurationis præſcripta, & vſu perpetuo approbata cùm necquicquam in Ludouici electione, aut coronatione ſeruata eſſent, non mirum ſi in diſcordia à minori parte, ídque per dolum & fraudem nominatus, iure, ſi quod ſibi competere poſſe prætendebat, auctoritate Apoſtolica priuatus, inter hæreticos & ſchiſmaticos, atque hæreticorum & ſchiſmaticorum fautores merito damnatus, ex manibus profanis tum Mediolani, tum Romæ inſignijs Regni & Imperij Romanorum præter voluntatem Sedis Apoſtolicæ receptis in cathedra peſtilentiæ reſidens de conſilio impiorum, in quorum ſenſum abierat, tam horrenda & execranda audacia præſumpſerit Vicarium Chriſti violare ac longè grauiora deinde addere.*

59. Non omnia, quæ in aurea bulla præſcribuntur, vſu antecedente & perpetuo, vti tu loqueris, approbata fuere; nam tu paulò antè quædam narraſti ex Sigonio, quæ poſtmodū abrogata ſunt, neque in aurea bulla continentur, vt de Epiſcopis Prin-

Principibúſque Germaniæ ad electionem congregandis, déque Aquiſgrano electioni deſtinato. Deinde antequam Carolina bulla conderetur, moris fuit, non in æde D. Bartholomæi nec in ipſa vrbe, quæ per comitium clauſa manebat, ſed foris Imperatorem deſignare: electum primùm excepêre portis apertis Francofordienſes, vt in decreto electionis Ludouici, quod anno 1314. attulimus, videre eſt. Cap. 2. n. 11. Tertio ab antiquo non fuere (aut fuiſſe doceat Bzouius aliquo teſtimonio) certo numero circumſcripti equites principúmque comites, quemadmodum aurea bulla circumſcribit, vt alia taceam.

60. Deinde vltimum ex aurea bulla à te allatum caput non ſine fraude truncaſti. Sic enim Cap. 2. n. 8. & 9. Carolus, *Et quia de antiqua, approbata & laudabili conſuetudine, tam inconuulsè, quàm immutabiliter quod ſubſcribitur, ſemper extitit hactenus obſeruatum, ideóque & nos conſtituimus & de Imperialis decernimus plenitudine poteſtatis, quod is, qui modo præmiſſo in Regem fuerit Romanorum electus, peracta ſtatim electione huiuſmodi, priuſquã in aliquibus cauſis aliјs ſiue negotijs, virtute ſacri Imperij adminiſtret, vniuerſis & ſingulis Principibus Electoribus, Eccleſiaſticis & ſecularib. qui propinquiora ſacri Imperij membra eſſe noſcuntur, omnia ipſorum priuilegia, literas, iura, libertates, conceſſiones, antiquas con-*

ſuetudines, & etiam dignitates, & quidquid ipſi ab Imperio vſque in diem electionis ſuæ obtinuerunt & poſſederunt, abſque dilatione, & contradictione confirmare & approbare debeat, per ſuas literas & ſigilla; ipsíſque præmiſſa omnia innouare, poſtquam Imperialibus fuerit infulis coronatus. Confirmationem autem huiuſmodi, electus ipſe cuilibet Principi Electori in ſpecie primò ſuo Regali faciet nomine, & deinde ſub Imperiali titulo innouabit. Cur omiſiſti illud, *Peracta ſtatim electione*, &c, *Suo Regali nomine?* Cur, niſi quia hinc planum fit electũ ſola electione ante omnem Pontificiam approbationem fieri Regem Romanorum (nam de electione Romani non tantùm Germani Regis caput illud ſecundum inſcribitur) haberéque ius adminiſtrandi Imperium, neque enim alioqui Electorum Principum priuilegia dignitatémque poſſet confirmare. Sed *an. 1316. n. 24.* de hoc plura ſuo loco ſunt à nobis diſputata. Nunc videamus, an illa, quæ ad rem faciunt, obſeruata fuerint in electione Ludouici, propter Bzouium pernegantem.

61. Pronunciatum I. *Hæc ad ritum modúmque præſcripta necquicquam in Ludouici electione aut coronatione ſeruata eſſe.* Debuiſſet Bzouius illa, quæ necquicquam (egregius Grammaticus *necquicquam* dicit pro *nequaquam*) ſeruata ſunt, percenſere & lectori ob oculos ponere. Nos ſuprà docui-

cuimus eum à quinque Electoribus ſine fraude *an. 1314.*
electum, probauimúſque publica Principum & *cap. 2. n. 2.*
aliorum teſtificatione. Cetera item quæ hîc reci- *Ibid. c. 6.*
tat capita, in Ludouici non Friderici electione ſer- *n. 6. & 7.*
uata eſſe oſtendimus.

26. Pronunciatum II. *Ludouicum electum in diſcordia à minori parte, ídque per dolum & fraudem.* At verò iſthoc, mi Bzoui, non ſolùm eſt bellum gerere cum Principibus rei huius auctoribus & actoribus, ſed etiam cum ipſo Bzouio. Si in diſcordia per dolum à minori parte electus eſt Ludouicus, tùm tria tantùm ſuffragia, & quidem ex his vnum vel plura per fraudem ſortitus eſt; at tu ipſe anno 1314. hunc in modum ſcribebas, *Petrus Moguntinus, Balduinus Treuerenſis Archiepiſcopi, Iohannes* Rex *Boëmiæ, ſiue pro eo Dux Carinthiæ, Ludouicum Ducem Bauariæ; Henricus Colonienſis Archiepiſcopus, Rudolphus Dux Bauariæ Rheni Palatinus, & Rudolphus Dux Saxoniæ, Fridericum Ducem Auſtriæ Imperatorem die Diuo Lucæ Euangeliſtæ ſacro ſalutarunt.* Et paulò poſt, *Hic* Brandeburgici legatus *præter marchionis voluntatem, Ludouico Bauaro calculum attribuit.* An non hæc tua verba? nónne ipſe fateris Ludouicum obtinuiſſe quatuor vota? age autem, ſi ita eſt; minor pars tibi videtur quatuor Electorum, & maior trium? Quod ſi dicas illum à minore parte fuiſſe electum, ſi is ex-

Col. 2421. XII.

clu-

cludatur, qui per dolum ſuffragatus eſt, dabimus id tua cauſa, ſed tu perperam adhuc effutis Ludouicum à minore parte per dolum electum. an & fraus adrepſit ad votum Moguntini, aut Treuirenſis, aut Bohemi? Ergo ex tua quoque ſententia Ludouicus à minore parte citra dolum, à maiore per dolum nominatus eſt. Nihil agis aut ſpargis, quàm calumnias & conuitia, rem & hiſtorias deſideramus.

63. Pronunciatum III. *Ludouicum iure, quod ſibi competere poſſe prætendebat, auctoritate Apoſtolica fuiſſe priuatum.* Ludouicus primam Pontificis ſententiam iniquam arbitrabatur, atque idcirco ad Concilium prouocauit, neque enim in monitorio ante excommunicationem primam edito, & à nobis ſuprà recitato aliud ipſi delictum obiiciebatur, quàm quòd nomen Regis Romani & adminiſtrationem regni ante Pontificiam approbationem ſuſcepiſſet, (quod ritè factum, ſuprà demonſtrauimus) Gibelliniſque Eccleſiæ hoſtibus & hæreticis ſubſidio fuiſſet, quod equidem Ludouicus omittere non poterat, niſi Imperium in Italia perditum vellet; neque iuuit hæreticos in hæreſi, ſed iis opem tulit eorúmque opera vſus eſt, ad reliquias Imperij conſeruandas.

Pag. 149. n. 19. & 20.

N. 60. & an. 1316. n. 24.

64. Pronunciatum IV. *Ludouicum ex manibus profanis tum Mediolani, tum* Romæ *Imperij inſignia*

inſignia accepiſſe. Quid per profanas manus intel-
ligas non capio : memoraſti ſuprà Ludouicum *An. 1327.*
Mediolani coronatum à Guidone Tarlato, qui ſi *IV.*
profanas manus habuit, cùm eſſet Epiſcopus, mul-
tò minùs tu ſacras habebis, cùm minor Epiſcopo
ſis presbyter. Sed demus Ludouicum à profanis
ſolùm manibus coronatum, quæ in hoc eius cul-
pa fuit? Sacræ manus detrectabant, Mediolanenſis
Epiſcopus ad aduentum Ludouici ſeſe ſubduxit,
Pontifex toties rogatus obſtinatè renuit. Da alias
manus Bzoui, ſi ſacræ nolunt, & tu profanas dam-
nas.

65. Bzouius. *Enimuero ad* XII. *diem Maij,* *Col. 521.*
quo Aſcenſionis Dominicæ ſacrum anniuerſarium *X. ante m.*
celebratur, conuocato in area Vaticana vniuerſo po-
pulo, medius inter apoſtatas, hæreticos & ſchiſmati-
cos, dignitatis ac religionis deſertores damnatos, in
throno eminentiore conſpicuus, paludamento aureo
indutus diadema in capite, ſceptrũ in manu geſtans,
gladio accinctus, ſcelus quo nullum tunc grauius, in
Eccleſiam vniuerſam admiſit, cùm viuente Ioanne
XXII. *legitimo catholicæ Eccleſiæ Pontifice, alium ſedi*
Apoſtolicæ imponere præſumpſit. Facinus ad iſtum
modum perpetrauit. Inprimis Fratrem Petrum vi-
co Corbario natum, gente Aprutinum, profeſſione
Minoritanum, qui olim ſecularis legitimam coniu-
ingem, necquicquam Epiſcopo diuortij libellum con-

cedente, & illa palam reclamante deſeruerat, & eâdem vxore contradicente, religioni Diui Franciſci contra ſanctiones Eccleſiaſticas ſeſe addixerat, magna pompa adductum è ſolio aſſurgens veneratus, aliquantulum infra ſe collocauit. Deinde Fratrem Nicolaum Fabrianenſem Eremitanum Auguſtinianum verba ad populum habere iuſſit. Is porrò propoſito illo themate ex Actis Apoſtolicis : Reuerſus Petrus ad ſe dixit: Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudaeorum. . Bauarum quidem nomine Angeli dignatus eſt; Ioannem autem Pontificem vocabulo Herodis; Cardinales verò, Patriarchas, Archiepiſcopos & reliquos Prælatos, Clerum, ac Religioſos, Ioanni vnico Chriſti Vicario adhærentes, plebis Iudaicæ titulo irridens, quamplurima indigna, erroneáque damnatus hæreticus euomuit. Concione blaſphemiis finita, Epiſcopus Venetus è loco eminentiore promiſcuam plebem; Num Fratrem Petrum Corbarium pro vero & legitimo Romanæ Eccleſiæ Pontifice agnoſcere vellent, ſemel ac iterum, & tertiò interrogauit. Plebs autem pro nouitate rei conſternata, cùm atrociſſima omnia à circumſtante milite ac primaria nobilitate metueret, confuſis vocibus affirmauit. Ibi prophanus Ludouicus deſignationem prophanam, electionis canonicæ vocabulo exornans, in libellum publicum eam acclamationem redactam ex ſcripto recitari imperauit; dúmque ab Epi-

ſcopo

Digitized by Google

ſcopo Veneto publicaretur, ipſe erectus ſtetit. Publicato proclamationis decreto, Petrum Corbarienſem Nicolai Quinti nomine ſalutauit, annulum digito illius ipſe impoſuit, mox purpuram ei manibus propriis iniecit & ad dexteram in ſolio collocatum, poſtea in Baſilicam Diui Petri *introduxit. Vbi is Pſeudopontifex ſacris temerè contrectatis, omnia Pontificia munera vſurpauit, & tum Pſeudoimperatori, tum erranti populo imprecatus eſt. Ad iſtud execrandum facinus, non tantùm* Romanorum, *verum etiam Germanorum, & præcipuè Belgarum optimi exhorruêre, quod certo certius ſcirent, Ludouicum contra fidē Catholicam, & contra Eccleſiaſticā vnitatē, abominandæ deſolationis idolū in templo dominico ſtatuiſſe, & diriſſimo ſchiſmate Eccleſiam vniuerſam diuiſiſſe, eóque vehementius offendebantur, quod eam perfectionis ſummā, quam F. Petrus Corbarius voce prædicabat, neque in eo, neque in eius ſectariis aſpicerent. Poſtquam enim is cathedrā abominationis conſcendiſſet, & ſeptem ex ſuis Cardinalium honore præeminere voluiſſet præter ſententiam de paupertate Chriſti profeſſam, tum ipſe, tum reliqui impietatis ſocij, pecuniam tractare, menſa opipara frui, auro & argento, purpura & byſſo fulgere, non aſello, ſed equis auro inſtratis inſidere, non pannoſos ſed cultos ornatoſque ſecum ducere; neque gratis dare, ſed pecuniis diplomata falſa, beneficiáque diuendere voluerit. Inter Pſeu-*

Digitized by Google

docardinales quos Corbarius nuncupauit, primas obtinuit Iacobus Pratenſis Epiſcopus Venetus, ea dignitate a b Ioanne Pontifice propter flagitia exutus; alter erat Abbas S. Ambroſij Mediolanens. propter crimen hæreſis, à Legato Apoſtolicæ ſedis diris deuotus. Tertius Abbas Germanus, qui iniquitatis decretum contra Pontificem pronunciauit. Quartus F. Nicolaus Fabrianen. Eremita, qui aduerſus eundem ſummum Pontificem ex ſuggeſtu deblatterauit. His Epiſcopum Mutinæ & Petrum Oringhium ac Ioannem Arlotum populares Romanos *per varia facinora infames adiunxit; cùm nemo alius Romanorum, per conſcientiam à pſeudopontifice quicquam ſuſcipere voluiſſet.*

66. Pronunciatum I. *Petrum Corbarium legitimam vxorem reclamantem, necquicquam Epiſcopo diuortij libellum concedente, contra ſanctiones Eccleſiaſticas* (diuinas & naturales dicere potius debebat) *deſeruiſſe, & ſeſe Franciſcanæ familiæ addixiſſe.* Peiora, Bzoui, quàm Petrus fecerit, te ſcribere, & venena relicto melle afferre oſtendit vita Petri anteacta. Villanus certè ſic ait, *Antehac vir bonus ſanctéque vitæ habitus.* Platina in Iohanne XXII. & Nauclerus [a], *doctus & ad res gerendas aptiſſimus;* Onuphrius [b]. *Bonæ famæ vſque ad id tempus exiſtens homo.* Ciaconius [c] in Ioanne XXII. laudes eius adhuc maiores recenſet, *Antea*, inquit, *optimæ vitæ &*

Cap. 73.
a an. 1327 f.
b in epit. pontiff.
c pag. 694. f.

& morum habitus, nobili loco natus, diu in ordine Minorum cum ſanctitatis opinione vixit, vir doctus, & ad res gerendas aptus. Trithemius in Hirſaug. *homo doctus & ad res gerendas idoneus.* Habes virum ſanctitatis fama clarum, Bzoui, & tamen, ſi, vt tu eum deſcribis, is per nefas ſeſe legitimæ vxori ſubduxit, non adeò integer vitæ videri potuit. Quare licet recentiores Platina, Nauclerus, Iacobus Philippus Bergomas, Blondus, Ciaconius, & ſiquis alius eſt, tradant, eum reclamante vxore in monaſterium ſeſe abdidiſſe; vero tamē longè propius cenſeo, bona cum vxoris venia abiiſſe. Mouet me primum, quod antiqui, vti Villanus, Rebdorfius, Argentinas de inuita vxore nihil literis mandent. Deinde Rebdorfius ſcribit à muliere hunc Petrum primum interpellatum, repetitúmque poſt Pontificiam tiaram aſſumptam, & cur tanto tempore antehac quieta fuit tanta iniuria affecta querula mulier? cur primùm turbas concitauit, cùm profugus maritus illo honore fulgeret? an non potuit longo tempore (nam diu Petrum in Ordine vixiſſe, ſuprà retulit Ciaconius) ius ſuum proſequi, & per iniuriam vinculum matrimonij ſcindentem in ius vocare? Quomodo item Petrus diu in ordine Minorum cum fama ſanctitatis, vt idem Ciaconius refert, vixit, ſi reclamantem vxorem per nefas deſeruit? hæc enim res

an. 1327. §. 2.

pag. 420. v. 18.

ciúſque iniquitas latere non potuit. Omnino ſubornata videtur audacula, vti Petro notam adſpergeret, auctoritatémque aſſumptam etiam mendacio minueret.

67. Tertiò tu ipſe ais, Mulierem reclamaſſe, necquicquam Epiſcopo diuortij libellum concedente. Quid ergo culpæ contraxit Petrus vxorem deſerendo? an ego in Eccleſiaſticas ſanctiones pecco, cum Epiſcopi auctoritate ab iis eximor? ſi libellum diuortij Epiſcopus dedit, iure ſuo vſus eſt Petrus, deſertáque vxore monaſterium intrauit, niſi & Epiſcopi ſententiam damnare tu cogites, vti te facere ſuſpicor. nam vt animi tui ſenſa explicare ſæpe non potes, ita obſcurè loqueris, vt aiasne an neges, nemo facilè ſcire queat. *Necquicquam*, inquis, *Epiſcopo diuortij libellum concedente.* Videris *necquicquam* pro *nequicquam*, id eſt, *fruſtra* ſumpſiſſe, vt communiter ſumitur. Si autem *necquicquam* pro *nequaquam* more tuo ſumpſiſti, incredibile eſt & mulierem & Epiſcopum Petro ceſſiſſe, nec eum apud Pontificem accuſaſſe; Pontifex autem qui hoc & præcedentibus annis graues cum Minoribus controuerſias habuit, nequaquam eis peperciſſet, ſed ad Petrum vxori reſtituendum adigere iniquos conatus eſſet. Quod ſi etiam inuita vxore diſceſſiſſe ad monaſtica vota concedamus, non erit adhuc cauſa, quare

vir

vir tam probæ ac religioſæ vitæ criminis accuſetur, nam potuit poſt matrimonium initum thoro adhuc integro, vxori reclamanti & etiam inſanienti ſeſe ſubducere, monaſteriúmque petere.

68. Eſto denique, Petrus conſummato iam, vt aiunt, matrimonio diuortium fecerit; cur non addidiſti, cuius exemplo id fecerit, ſicut Ludouico exemplum Ottonis propoſitum fuiſſe dixiſti? Sed hoc ex Villano habes, illud in nullo hiſtorico inueniſti. Verum an tu in Caſſiani aliorúmque ſpiritualium magiſtrorum monimentis tam probè verſatus es, vt neſcias *ſummum virum Abbatem Theonã, qui inextinguibili Euangelicæ perfectionis deſiderio accenſus* coniugem ꝗ ſuam ad idem ſtudium fruſtra accendere conatus, contradicente eâ propoſiti ſui executionem non ſine diuino inſtinctu aggreſſus eſt. Nam & Apoſtolicis poſtea miraculis claruit, *vt taceam de tantorum patrum ſententia, à quibus factum eius non ſolùm minimè reprehenſum, verùm etiam vſque adeò collaudatum eſſe manifeſtum eſt, vt eum ſummis ac ſublimiſſimis in diaconia* (id eſt, officij diſpenſationis ſeu œconomiæ rerum ad monaſterium pertinentium, quæ probatiſſimo alicui monacho cunctorum ſeniorum ſuffragio deferebatur) *electione prætulerint.*

Collat. 21. c. 8. 9. 10. cum obſeruat. in c. 10. & V. Diaconia.

69. Pro-

69. Pronunciatum II. *Fabrianenſis Bauarum nomine Angeli dignatus eſt, Ioannem autem Pontificem vocabulo Herodis, Cardinales verò, Patriarchas, Archiepiſcopos, & reliquos Prælatos, Clerum ac Religioſos Ioanni vnico Chriſti Vicario adhærentes, plebis Iudaicæ titulo irridens, quamplurima indigna, erroneáque damnatus hæreticus euomuit.* Etiam tu bilem mouere videris Bzoui; nam hic ſermo vanè iraſcentis eſt. Villanus hæc paucula duntaxat, *Bauarum per Angelum, & Ioannem per Herodem intelligens, & multa alia.* Vnde verò tuum argumentum? quid de Cardinalibus, de Patriarchis, de Archiepiſcopis, de reliquis Prælatis, de Clero ac Religioſis Iohanni addictis peroras? irriſítne hos titulo Iudaicæ plebis Fabrianenſis? Poëtam agis Bzoui, non hiſtoricum.

70. Pronunciatum III. *Plebs pro rei nouitate conſternata, cùm atrociſſima omnia à circumſtante milite ac primaria nobilitate metueret, confuſis vocibus affirmauit ſe velle Petrum pro vero Pontifice agnoſcere.* Et ego affirmo me velle Bzouium pro non vero hiſtorico agnoſcere. Quis illud de plebe affirmat præter Bzouium? Plebs, vt ſupra docuimus, Ludouicum impulerat, vt Iohannem Pontificatu deturbaret, & Petrum ſufficeret. Sic enim

p. 420. 2. Rebdorfius, *Ad ſuggeſtionem quorundam Clericorum, & populi Romani prædictum Papam Iohannem*

nem deponere præſumpſit, & de conſilio prædictorum, quendam fratrem Minorem dictum Petrum de Curuario nouum Papam ordinauit. Atque iterum alio loco: *Ad complacendum populo Romano, & ad ſuggeſtionem quorundam Clericorum & Laicorum, quendam fratrem de ordine Minorum nomine Petrum de Curuario erexit, & poſt coronationem ſuam (vt infra) præfecit in Papam.* *pag. 484. 11.* Lata item in Iohannem dignitate exuendũ ſententia plebs Villano[a] teſte lætitiæ ſigna dedit, & Ciaconio[b] auctore gauiſa eſt. Et quomodo conſequens eſt, vt metu coacta ac non potius ſuapte ſponte alacriter acclamârit, cùm ei nouus Pontifex vir ſanctitatis laude celebris proponeretur? Itaque Villanus eum non ſolùm à Ludouico, ſed etiam à concilio & populo Romano fuiſſe electum ſcribit.

a cap. 70. f. *b p. 694. D. m.* *In inſcript. c. 73.*

71. Pronunciatum IV. *Pſeudopontificem Pſeudoimperatori & erranti populo imprecatum eſſe.* Et pſeudohiſtorico Bzouio multi imprecabuntur quæ meretur; neque ille ægrè feret, quippe cui imprecari, bene precari eſt.

72. Pronunciatum V. *Ad iſtud execrandum facinus non tantùm Romanorum, verùm etiam Germanorum, & præcipuè Belgarum optimi exhorruêre, quod certo certiùs ſcirent, Ludouicum contra fidem Catholicam, & contra Eccleſiaſticam vnitatem abominandæ deſolationis idolum, in templo dominico ſta-*

tuiſſe, & diriſſimo ſchiſmate Eccleſiam vniuerſam diuiſiſſe. Diſertè admodum, & ſupra Villani facun-
Cap. 73. f. diam; ſiccius enim hic ita refert, *Propter hanc Antipapæ huius electionem & confirmationem multi viri boni ſe turbârunt, exiſtimantes Bauarum contra fidem ſanctámque Eccleſiam egiſſe. Scimus etiam multos ipſius Bauari prudentes viros idē exiſtimâſſe, maximè qui ex inferiore Germania cum eo erant.* Hæc Villanus. Itaque ex Bzouio diſco vocabulum *Exiſtimantes* ſignificare *Certo certius ſcientes*, & *bonos* eſſe *optimos*. Ita nihil ab Bzouij digitis tutum.

73. Pronunciatum VI. *Inter Cardinales à Nicolao creatos, primas obtinuiſſe Iacobum Pratenſem, ſecundas Abbatem S. Ambroſij, tertias Abbatem Germanum, quartas Nicolaū Fabrianenſem, quintas Epiſcopum Mutinenſem, ſextas Petrū Oringhiū, ſeptimas Ioannem Arlotum.* Rurſus Bzouium memoria, cuius ſpecimen paſſim dare ſolet, fefellit. Nam Epiſcopum Mutinenſem ordine quintum
pag. 695. poſt m. inter nouos Cardinales facit, quem Ciaconius ex ipſius Nicolai regiſtro primum facit. Nec refert
Cap. 75. prope pr. quod Villanus eundem Mutinenſem ordine ſeptimum collocat. id enim ea ratione facit, quod eum dignitatē oblatam non admiſiſſe exiſtimet, vt ipſemet ſatis declarat. In ceteris deinde nouis Cardinalibus Bzouius conſtanter errat, cum primum facit qui fuerat ſecundus, ſecūdum qui tertius, tertium

qui

qui quartus, quartum qui quintus: ſextum & ſeptimum ſuo loco ponit, ſed eiſdem, ne nihil erret, facinora affingit pronunciato octauo.

Pronunciatum VII. *Epiſcopum Venetum dignitate propter flagitia exutum.* Quæ verò flagitia? nulla enim Villanus [a] & Ciaconius [b] memorat, niſi quod Gibellinis ac Ludouico adhæreret, ideoque excommunicatus & pro ſchiſmatico atque hæretico habitus eſſet: quæ tu ita deſcribis, ac ſi neſcio quæ alia commiſiſſet.

[a] *Cap. 75.* [b] *pr. p. 695. E. m.*

74. Pronunciatum VIII. *Epiſcopum Mutinæ, Petrum Oringhium, ac Ioannem Arlotum per varia facinora infames.* Villanus ſchiſmaticos & Eccleſiæ rebelles appellat, de facinoribus aliis infamiâ inſignibus, quæ Bzouius prodere velle videtur, Villanus nihil memorat.

75. Pronunciatum IX. *Neminem alium Romanorum à Pſeudopontifice quicquam ſuſcipere voluiſſe.* Quia Villanus duos Romanos nominat, qui purpuram à Petro amplexi, & vnum qui non amplexus; ſtatim infert Bzouius, neminem præterea Romanorum honores oblatos ſuſcipere voluiſſe, & tamen ipſe Bzouius parùm memor huius ſui præcipitis calami, ſequente §. proximo ait, *Iohannem Baractam Romanum à Petro ſubſtitutum Vicario Baſilicæ ſancti Petri* An hic Romanus nihil ſuſcepit, aut cum ſuſcepit vicariatum, nihil ſuſci-

Digitized by Google

pere voluit Bzoui? Tu ſine genio nihil ad ſcribendum ſuſcipere debebas, nam victurus genium debet habere liber.

Col. 522. XII. 76. Bzouius. *Non potuerunt amplius ferre* Ro*manorum primi, eam Ludouici & Petri temeritatem, quin vindicias cogitarent. Itaque cum Roberti maritimas copias, ad* XIII. *diem Maij, Oſtiam Tiberinam intercepiſſe, & alias terreſtres ab Aquila & Latio* Romanis *finibus iam imminere intellexiſſent, à Bertoldo Urſino duce animoſiores facti, ad ſeditionem & ad arma ſpirantes, tantum metus Bauaro incuſſerunt, vt is fugientis in modum Roma properè exceſſerit, & Veletras conceſſerit, Raynerio Hugucionis Facciolani filio, Senatore vrbis relicto, & nonnullis aliis Præfectis Romæ cum præſidio impoſitis. Tanto verò ocyus Ludouicus vrbem refugiebat, cum ab Oſtia vſque ad Baſilicam Diui Pauli via Oſtienſi imminentem, omnia fumare, & iam aduerſarias cohortes vrbana mœnia aſcendere vidiſſet, plurimóſq; ex ſuarum partium militibus partim cæſos, partim ſecedentes agnouiſſet. Namque Gibellinorum ſtudia magna iam ex parte refrixerant, tum quod extrema pecuniæ inopia circumuentus intolerandis exactionibus vniuerſos emunxiſſet; tum quod Syluestrū Chattum Viterbij partium principem indignè torſiſſet, vt eius pecuniis, quæ ingentes eſſe dicebantur, ſummâ cum iniuriâ potiretur: tum quod adeò contumelioſè*

in

in Vicarium Chriſti, quem paulò antè in vrbem euocabant, ſe geſſiſſet, Eccleſiámque ſponſam Chriſti à ſuo capite diuiſiſſet, & oues Chriſti, lupo ſæuienti commiſiſſet. Itaq; tunc, Clerus quidem religioſior in ſilentio ſacrorum illud Dauidicum gemens ad Deum ingeminabat; Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Deus virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide vineam iſtam. Exercitus autem Roberti & Vrſinorum, nihil eorum prætermittebat, quæ ad dignitatem Romani Pontificis, & ad vnitatem Eccleſiæ Catholicæ tuendam ſeruandámque videbantur. Eo verò ardentius ad hoſtem perſequendum ferebantur, quod ſub ipſum ferè aduentum in Vrbem, Raynerius, alterum Thuſcum, alterum Lombardum flammis addixiſſet, qui Petrum quidem antipapam, Ioannem verò legitimum Eccleſiæ Romanæ Pontificem affirmarant. Veletras Ludouicus exceſſerat, ſpecie, quaſi in Regnum Neapolitanum ſummam belli aduerſum Robertum transferre decerneret; reuera autem, vt eius copias vrbi vndequaque imminentes auerteret, & quia ſibi à Romanis conſpirantibus vehementer metueret. Inter hæc, Roberti milites Bertoldo Vrſino Duce, præfectos vrbi à Bauaro Romæ expulerunt: Spoletani, ad IV. Iunij CCCC. equites & M.D. pedites Bauarianos, apud Narniam profligarunt; & pars trucidarunt, pars interceperunt:

Digitized by Google

Anagniam, Caroli Ducis Calabriæ phalanges, ducibus Principe Achaiæ & Comite Nouello, ineunte Iulio, Bauarianis eripuerunt: Ariminenſes & Fauentini Pontificij plurimos Gibellinorum occiderunt, & Vrbem Ioanni Pontifici conſeruarunt: alibi alij permulti à Bauaro ſeceſſerunt, & Ioanni Pontifici ſeſe permiſerunt.

77. Quæ Ludouicum impulerint cauſæ vt Romã cũ exercitu abiret, deſcribit Villanus, ſed à tuis
Cap. 91. admodum diſcrepat, *Eodem*, inquit, *anno cum Bauarus rei numariæ difficultate valde laboraret Romæ, fraudatúſque eſſet ſpe à Sicilia Rege Friderico, extorribúſque Genuenſibus Sauonæ morantibus, & à Gibellinis Italiæ ipſi data, qui & militibus & pecunia ſe ei auxilio venturos promiſerãt; exercitus quoq; ipſius ob inopiam inter ſe in diſcordiam* R*omaníſque in odiũ veniſſet; milites etiam* R*oberti Regis omnem viam occupaſſent, Bauaro nunciatum fuit fore, vt cũ ſuis diutius* R*omæ abſque periculo morari non poſſet. Mareſchallum igitur ſuũ cum octingentis equitibus Viterbium miſit, quem deinde ipſe cũ ſuo Antipapa & Cardinalibus ſecutus eſt die quarto Auguſti eiuſdem anni, & die 10. Aug. Viterbiũ peruenit.* Hæc Villanus opportunè & propter tuas ſolitas inuectiuas, & pro-
a Rebdorf. 429. 29. pter defenſionem Cæſareæ in Vrbe nouem circiter
b P. 124. 37. menſium moræ [a] quam Argentinas [b] & Mutius [c]
c P. 229. f. vellicant, Ludouicúmq; otij & ſegnitiei accuſant:

tametſi

tametſi enim celeritate Rex Apuliæ ab Ludouico opprimi potuiſſet communi ſcriptorum [d] iudicio, maluit tamen Cæſar cautus videri rebus integris, quàm parùm prudẽs ſi fortuna fefelliſſet. Itaq; etſi Caſtrucius ei Romam ingreſſo ſuaſiſſet, vt nullâ interpoſitâ morâ ſtatim in Apuliam moueret contra Robertum Regem; expectanda ſibi tamen putauit auxilia Friderici Regis Siciliæ & Genuenſium, de quibus Villanus paullò antè auditus. Quanquã ſi Ludouicus etiam ſine iis auxiliis Robertum ſtatim aggreſſus fuiſſet, Robertus *in ſummo*, vt Villanus ait, *fuiſſet periculo, quia defendere ſe non potuiſſet*: imo vt Rebdorſius ſcribit, *communi æſtimatione Apuliam ſine oppoſitione habuiſſet*; & vt Argentinas, *Robertus collectis omnibus terrã illam relinquere, ſi Cæſar accelerâſſet, & in prouinciam intenderat ſe transferre.* Quam laudem Villanus Caſtrucio potius quàm Ludouico tribuit; ſed vereor ne ſuis tribuat, quod inuidet alienis. Bzouius vtrique laudem inuidet, Roberto timet ignominiam, ideoq; hæc omnia tacet. De Silueſtro Gatto, quod hîc denuo inculcat, iam ſuprà à nobis confutatum eſt.

d Eorund. ib. & Villani c. 60.f.

Villan. c. 60.f.

Cap. 98.

Cap. 60.f.

p. 424.28

p. 124.36

c. 60.f.

78. Pronunciatum I. *Inter cætera populum Romanum vindicias cogitaſſe, quod adeò contumelioſè in Vicarium Chriſti, quem paulò antè in vrbem euocâſſent, ſe geſſiſſet.* De vindiciis in Ludouicum ſuſceptis dicemus poſtea, cum eas more tuo denuo N. XIV.

in-

inculcaueris. Bellè deinde profectò tam citò memoria tua vacillat; iam ſeriò & quidem vindictæ in Ludouicum plena plebs, támque prona in Pontificem vocârit eundem in Vrbem? Quo tempore oro te? An dum Cæſar Romæ ageret? ſupra ſic lo-

an. 1327. X. §. 2. quebare, *In ſpeciem tantùm Auenionem ad ſummũ Pontificem, & Neapolim ad Robertum Siciliæ Regem oratores ire* Romanorum populus *iuſſerat, illum vt in Vrbem euocarent, ab hoc verò vt auxilia opportuna impetrarent; cùm tamen alios ad Ludouicum deſtinaſſent, cui maturandum iter Romanum perſuaderent.* Hæc ludicra legatio contigit, vti tu narras, anno 1327. ante Ludouici in Vrbem aduentum. Vbi autem tua ſeria? fortaſſe nouam mihi euocationem per oratores nominabis, quam libens intelligam, ſed vnà auctorem: neque enim inueni qui referat Ludouico Romæ degente populum Romanum legatos ad Iohannem miſiſſe; antè quidem quàm Cæſar Romam veniſſet, pluribus legationibus Romani Iohannem fruſtra in Vr-

In Galeat. p. 104. bem inuitârant; & ſcribit Iouius, eum vel ob id populo Romano inuiſum fuiſſe, quòd multis legationibus euocatus, Auenionem ſacroſanctæ Vrbi prætuliſſet. imo ſi Nauclero credimus, anno 1326. minati ſunt, *ſe, niſi veniret, alium Papam creaturos*, quod & poſtmodùm contigit, nam vbi populus Romanus aduertit preces ſuas locum non habere,

habere, poſtulauêre à Ludouico vti Iohannem abdicaret, Corbariúmque ſufficeret.

79. Pronunciatum II. *Spoletani ad* IV. *Idus Iun. CCCC. equites & M. D. pedites Bauarianos apud Narniam profligarunt, & pars trucidarunt, pars interceperunt.* Non Ludouico ſolùm non parcis, ſed ne Priſciano quidem Bzoui, cuius pars laceras, pars trucidas, noua latini ſermonis elegantia. Quæ de Anagnia, Ariminenſibus, aliíſque pro Iohanne pugnātibus populis narras, tum credam, cùm auctorem rei geſtæ nominaueris.

80. Bzouius. *Ad quartum diem Auguſti Ludouicus Bauarus, & Petrus Corbarius Roma exceſſerunt, cum antea ad 22. diem Aprilis, quo Ludouicus ſententiam depoſitionis in Ioannem Pontificem pronunciauerat, Iacobus Columnius Stephani Columnæ filius, Corbario derelicto, Zelo fidei Catholicæ inflammatus, facinus ſempiterna memoria longè digniſſimum, pro Iohanne ſummo Pontifice, & Romana Eccleſia felicibus auſpiciis peregerit. Vix enim Ludouicus Bauarus ſententiam omnium iniquiſſimam, in Pontificem Ioannem pronunciauerat, cum ille in area Baſilicæ D. Marcelli, pluſquam mille viris ciuibus Romanis congregatis, ſententiam à Ioanne ſummo Pontifice, in Ludouicum Bauarū, & complices Auinioni publicatam, Romæ quoq; publicè legi imperauit, atque perlectam illico oſtiis Baſilicæ affixit.* Col. 525. XIII.

Rr In-

Inſuper impoſturas Ludouici apertè retexit, Procuratorúmque ſeu Syndicorum (quemadmodum in ſuo edicto Ludouicus mentiebatur) Cleri & populi Ro*mani nomina, impoſtorum fuiſſe demonſtrauit; neque Lateranenſem, neque S. Mariæ Maioris, neq; D. Petri principem Clerum, neq; Prædicatorum, aut Minorum, aut aliorum Cœnobiorum Prælatos, aut collegia, neque viros ex nobilitate & ciuibus Principes, quemquam ad Ludouicum miſiſſe, aut aduerſus Ioannem Pontificem aliquid querelarum depoſuiſſe, vel quicquam ex calumniis illi impoſitis de eo ſciuiſſe, aut ſedem* Romanam *quoquo modo vacare cenſuiſſe, vel Ludouicum ad ſuccurrendum rebus, & ad prouidendum Eccleſiæ de Pontifice euocaſſe, tam conſtanter, quàm ex veritate oſtendit. Præterea Clericos gradu motos, & regulares irregulares, & aduerſariæ factionis paucos factioſos, hæreſeos & ſchiſmatis, nec non aliorum facinorum occaſione damnatos, & anathemate percuſſos, neque Procuratores, neque Syndicos inſtituere, neque Legationem aliquam mittere, neq; quicquã titulo aut nomine* Principis *Cleri & populi* Rom. *aut potuiſſe, aut poſſe facere; & ex conſequenti falſa Ludouicum aſſerere, & Ioan.* XXII. Pontificem, *verũ Chriſti Vicarium ac* Petri *ſucceſſorem, legitimè à legitimis Cardinalib. electum, impoſturarum innoxium & fore, & fuiſſe, & eſſe,* Principis *Cleri ac populi* Roma*ni nomine non tantùm affirmauit, ſed etiam gladio exerto,*

erto, ad ſingulare certamen, quoſcunque contrariam ſententiam Ludouici amplectentes euocauit; ac Ludouicum Bauarum neq; Regem, neq; Imperatorem Ro*manorum, ſed hæreticum & ſchiſmaticum eſſe, Senatoréſque, ac quinquaginta duos viros, nec non reliquos illi adhærentes, conſiliarios, fautores, auxiliarióſque à communione Eccleſiæ Catholicæ præciſos denunciauit; vir ſempiterna laude digniſſimus. Abeuntem* Roma *illum Ludouicus veredariis ſubmiſſis comprehendere curauit; verùm is publicato edicto, diſpoſitis equis* P*ræneſtem ſe recepit, & vanam iram tyranni deriſit.* An Præneſte?

81. Vt conſuetæ tibi confuſionis exemplum edas, hîc demum narras Iacobi Columnij facinus quinto iam antea menſe editum, quod ſuo loco referre te docuerat Villanus, qui poſt Iohannis Papæ abdicationem 18. Aprilis factam & cap. 70. deſcriptam, mox cap. 71. deſcribit id Columnij facinus, ac tum demum leges latas, nouíque Papæ, nouorúmque Cardinalium creationem, Ludouici poſtremam coronationem, cladem Narnienſem, vt poſt Iacobi facinus geſta; quæ tu omnia prius narraſti. Neque ſolùm in ordine rerum, ſed in ipſa quoque narratione facilis captu es, mi Bzoui, & retia ipſe texis, & te textis induis.

82. Pronunciatum I. *Ludouicum 22 die Aprilis ſententiam depoſitionis in Ioannem Pontificem*

denunciaſſe. Hìc iterum lapſus eſt intermorientis
Col. 517. memoriæ tuæ. paulò antè hoc ipſo anno ſcribis
V. *Ludouicum* XVIII. *Kalendas Maias legem contra hæreticos promulgaſſe*, & ſubiicis, *Inde quatuor poſt diebus, omnibus qui Ioannem Pontificem oderant, quique eum ſtudio partium diuerſarum ſequebantur, comitatus* Ludouicus *inquirere iuſsit* &c. & *ſenten-*
ᵃN. VI. *tiam* ᵃ *depoſitionis in Ioannem pronunciauit.* Itáne verò mi Bzoui, vna eadémque ſententia tantùm ſemel pronunciatur, & tamen quarto die poſt 18. Kal. Maij, & 22. die Aprilis pronunciatur? Oro te per egregium ſcribendi genium tuum, quotus dies Aprilis eſt, 18. Kalend. Maias? Quam facili opera Diurnale tuum pandiſſes, & decimum octauũ Kal. Maias, eſſe 14. diem Aprilis deprehendiſſes; cui ſi adiicias quatuor alios dies, efficies octodecim, atque ita Ludouicus ſententiam in Iohannem dixiſ-
Cap. 70. ſet decimo octauo (quem & Villanus ſignat) non vigeſimo ſecundo die. Sed vt video, arbitratus es, decimum octauum Kalend. eſſe decimum octauum menſis, cui ſi addas quatuor, omnino vigeſimum ſecundum inuenies, ſicut & ego inueni tuam inſcitiam.

83. Pronunciatum II. *Iacobus Columnius Stephani Columnæ filius Corbario derelicto, ſententiam à Ioanne ſummo Pontifice Auinione publicatam, Romæ quoque publicè legi imperauit.* Hìc primum

à te

à te quæro, Bzoui, quomodo Iacobus Columnius dereliquerit Corbarium cui nunquam adhæſit? non autem adhæſiſſe, grandi te teſtimonio vrgeo, nempe tuo. Regredere mecum in memoriam, & aſpice ſuperioris anni nempe 1327. numerum X. §. 2. vbi affirmas Stephanum Columnam fuiſſe Iohannis Pontificis ſtudioſum, & §. 3. ita infis, *Et haud dubiè vrbe potiti fuiſſent, ſi Stephanus Columnius cum ſuis interfuiſſet.* Iam velim mihi dicas, an Iacobus Stephani filius fuerit! quod ſi Stephanus cum ſuis Iohanni adhæſit, quomodo Iacobus eius filius, Corbarij partes ſequutus eſt? an fortaſſe à patre diuulſus contra patrem aduerſa in factione arma tulit? figmenta iſta tua ſunt, & quidem arte & ingenio deſtituta. Deinde cui non riſum moueas, quòd ſcribas Iacobum Columnium Corbario derelicto ſententiam in Ludouicum publicè legi imperaſſe, & quidem ad 22. diem Aprilis? Tuo hamo caperis incaute Bzoui, ecce paulò antè hoc ipſo anno 1328. ſcribis cum Villano [a], ad XII. diem Maij Corbarium in Pontificiam ſedem elatum. Quod ſi ita eſt, amabo te, qui fieri potuit, vt Corbarium Iacobus Columnius deſereret 22. Aprilis cùm nondum Corbarius euectus eſſet, imò cum nec cogitatio fortaſſe de eo vel Imperatori vel aliis ſubrepiſſet? niſi eo anno Aprilis Maium inſequutus fuerit, inuerſo menſium ordine,

In med.
Prope f.
X. prope pr.
a *Cap. 73.*

 oratio

oratio tua non conſtabit; imò verò ſibi conſtat, quia raró à falſo deflectit. Demum ne hoc quidem verum eſt, Iacobum Columnium ſententiam
Cap. 71. legi imperaſſe, nam Villanus refert, *ipſummet* Iacobum *diligenter legiſſe*.

84. Pronunciatum III. *Impoſturas Ludouici apertè retexit, procuratorúmque ſeu Syndicorum (quemadmodum in ſuo edicto Ludouicus mentiebatur) Cleri & populi Romani nomina, impoſtorum fuiſſe demonſtrauit.* Cuculli iſta modeſtia eſt Bzoui? Cyclopes ita loqui ſolent. mentiri non eſt Imperatorum, nec ſi fiat, vllius eſt dicere *mentiris*, præſertim in re in qua nec Bzouius quidem verax eſt. Nam nullas Ludouici impoſturas Columnius retexit, nec Syndicorum nomina, impoſtorũ fuiſſe
Cap. 71. demonſtrauit, vti liquet ex Villano, qui duorum Syndicorum meminit; alter erat populi Romani, de quo nullũ dubiũ facit; alter fuit Cleri Syndicus, qui, vti Iacobus dicebat (veréne an falsò?) nunquã coram Ludouico comparuit. Quod ſi alius nomine Syndici comparuiſſet, eum verum & legitimũ negauit Columnius propterea, quod ſi creatus eſſet morante in Vrbe Ludouico, non potuerit eſſe verus Syndicus, Canonicos enim S. Petri & S. Ioannis de Laterano, & S. Mariæ Maioris, qui in Clero Romano primi eſſent, vti & alios Clericos, vnà cum Religioſis, Abbatibus & Fratribus mendicantibus,

bus, aliiſque, multos ante menſes abiiſſe. Neque verò qui ſacris operantes in Vrbe remanſiſſent, potuiſſe Syndicum conſtituere, nam excommunicationis vinculo obſtrictos fuiſſe. Quod ſi Syndicus, qui coram Ludouico nomine Cleri comparuerit, ante Ludouici aduentum inſtitutus fuerit, neque hunc quidem amplius verum legitimúmque haberi potuiſſe, vtpote eâdem Eccleſiæ cenſura irretitum. Hæ fuere Iacobi rationes, quare Syndicum verum nullum agnouerit; ſed nunquam is publicè edixit, Syndicum Cleri coram Imperatore comparentem fuiſſe impoſtorem; nunquam dixit, nec dicere voluit, nam is qui miſſus fuit, potuit à Clero Ioanni offenſo electus eſſe, potuit & ex antiquo munus retinuiſſe. Itaque reuera habitus eſt verus Syndicus ab eo ſaltē clero, qui Ludouico deditus erat. Quando igitur Ludouicus ad concionem dixit, ad ſe Cleri populíque Syndicos miſſos, non eſt mentitus, neque Columnius dixit mentitum eſſe, ſed Bzouius id effutit, & facit ipſe impudenter, quod Ludouicum feciſſe affirmat. Sed præſtat ipſa Villani verba apponere. *Data*, inquit, *hac ſententia Bauari contra Papam Ioannem* XXII. *eodem menſe Aprili, dictáque indictione Iacobus Stephani de Columna filius Romam in plateam S. Marcelli venit, & in foro eiuſdē templi, coram plus quam mille* Romanis *ibi congregatis* Cap. 71.

tis proceſſum à Joanne Papa contra Ludouicum Bauarum factum, quem alius nemo publicare auſus erat, extraxit, diligentérque legit, dixítque, ad aures Cleri perueniſſe, coram Ludouico Bauaro, qui abuſiuè ſe imperatorem nominaret, Syndicum Cleri vna cum Populi Romani Syndico comparuiſſe, & contra Papam Ioannem XXII. *egiſſe, qui tamen Cleri Syndicus nunquam egerit, & ſi quis vti Syndicus comparuiſſet, non fuiſſe verum Syndicum. Clerum enim, id eſt, Canonicos ſancti Petri, & S. Joannis de Laterano, & S. Mariæ Maioris, qui in Clero Rom. primi eſſent, alióſque Clericos, qui hos ſequuntur, Religioſos, Abbates & Fratres mendicantes alióſque omnium ordinum ſapientes, multos ante menſes Roma abiiſſe, propter excommunicatos Romam ingreſſos, & ſi qui remanſiſſent, ſacráque celebraſſent, excommunicatos eſſe, & ita iure Syndicum nullum creare potuiſſe. Ac ſi quis prius fuiſſet Syndicus, & in Vrbe permanſiſſet, itidem excommunicatum eſſe: quare contradicebat omnibus à Ludouico peractis, Papam Joannem Catholicum & iuſtum Papam dicens, legitiméque ab Eccleſiæ Cardinalibus creatum; hunc verò, qui ſe Imperatorem nuncuparet, non Imperatorem, ſed excommunicatum eſſe; Senatores Romanos, & quinquaginta duos ex populo, omnéſque, qui illi adhærerent, darent, & dediſſent auxilium, conſilium, & fauorem, ſimiliter hæreticos & excommunicatos eſſe.* Hæc

Vil-

Villanus, quo cum ſi verba Bzouij compares, vberiorem Rhetorem Polonum dices. Primò ſcribit Bzouius, Iacobum publicè affirmaſſe, nullos viros ex nobilitate, & ciuibus principes quenquam ad Ludouicum miſiſſe, aut aduerſus Iohannem Pontificem aliquid querelarum depoſuiſſe, aut ſedem Rom. quoquo modo vacare cenſuiſſe, vel Ludouicum ad ſuccurrendum rebus, & ad prouidendum Eccleſiæ de Pontifice euocaſſe, tam conſtanter, quam ex veritate oſtendiſſe. Hæc omnia non Villanus ſed Bzouius refert, vt lectori Ludouici mendacia probet, ſua prodat. Imò Columnius ait, Senatores Romanos, qui Ludouico adhærerent, hæreticos eſſe, adeóque ſignificauit aliquos Senatores Romanos, viros vtique ex nobilitate principes, Ludouico adhæſiſſe, quos valde credibile eſt ad Ludouicum miſiſſe legationem, vt Nauclerus [a] & [a] an. 1326.
Mutius [b] affirmant; & querelas aduerſus Iohan- [b] p. 228.
nem depoſuiſſe, & ſedem Romanam vacare cen- 15.
ſuiſſe (nam conſilio Senatus Petrum Iohanni abdicato Ludouicus auctore Nauclero ſuffecit) & ad an. 1327. f.
ſuccurrendum rebus ac prouidendum Eccleſiæ de Pontifice Ludouicum euocaſſe. Quid vult iſte monachus? an Ludouicum cum in foro Romano, in orbis theatro palam conteſtaretur miſſos ad ſeſe Syndicos, qui Iohannem multorum accuſarent, mentitum fuiſſe temerario calamo ſcribere

audet? quem auctorem, quem teſtem hæc audacia monachi profert? Iacobum Columnium. atqui & huic iniuriam facit; aut ſi non facit, ex Villano aliôue ſcriptore demonſtret, Iacobum talia locutum. Dices, Villano teſte Iacobum multa alia verba protuliſſe. certum eſt; ſed cum Bzouius neſciat quæ illa fuerint, quare quædam fingit, & quidem cum tanto conuitio in Imperatorem? Addit inſuper, iſta omnia Iacobum ex veritate oſtendiſſe. At ego non capio, quomodo Iacobus ea ex veritate oſtenderit, quæ nunquam protulit. Bzouius ex veritate oſtendit, ſe veracem non eſſe.

85. Sed quid de Bzouio cenſeas, qui non ſo-
N. I. lùm aliis iniuriam facit, verum etiam ſibi? Hoc eodem anno ſcripſerat, Sarram Columnium, Iaco-
Cap. 55. bum Sabellum (quos Villanus Romani populi duces appellat) & Theobaldũ ex Comitibus Tu-
Ibid. ſculanis (quem Villanus inter Romanos potentem nominat) vna cum quinquaginta duobus viris Viterbium ad Ludouicum legatos deſtinaſſe ad maturandum quantocyus iter. Hæc ſi vera ſunt, vt vera eſſe Bzouius non negabit, cum ea in annales referat, quomodo ergo vera erunt illa verba, *neque viros ex nobilitate & ciuibus principes quenquam ad Ludouicum miſiſſe*, quæ Columnius authore Bzouio publicè ex veritate dixit? Quod ſi Columnius ex vero hæc dixit, vti ſcribit Bzouius, ergo

ergo Bzouius ex falſo aſſerit, Sarram Columnium, Iacobum Sabellũ populi Romani duces, & Theobaldum comitem non fuiſſe ex nobilitate Romana, vti neque quinquaginta illos viros ad ſpeciem tribunorum à populo & ex populo [a] Romano electos, fuiſſe ex ciuibus principes, quos tamen Villanus [b] *buoni huomini chiamati Caporioni, præſtantes viros, dictos principes regionum* vrbis ſcribit. I, Bzoui, & proclama Romæ, Columnios Sabellóſque non fuiſſe ex nobilitate principes. [a] Villan. c. 71. poſt m. [b] Cap. 55.

86. Adhæc eodem iſto anno ſcripſiſti, plebem primariæ nobilitatis metu affirmaſſe, velle ſe Corbarium Pontificem. Itaque tuo rurſus teſtimonio primaria Romanorum nobilitas cum Ludouico contra Iohannem fecit. N. X. poſt med.

87. Pronunciatum IV. *Paucos factioſos hæreſeos, ſchiſmatis aliorúmque facinorum occaſione damnatos non potuiſſe mittere legationem, neque quicquam nomine populi Romani facere.* Ergóne pauci legationem ad Ludouicum miſerunt, Pontificios Vrbe eiecerunt, Sarræ Columnio & 52. plebis tribunis ſummam rei detulerunt, legatóſq; ad Ludouicum deſtinárunt, & hoc Columnius tam conſtanter quàm ex veritate oſtendit? Itaque Bzouius tam falsò quàm inconſtanter anno 1327. ſcripſit, R*omanorum populus Neapoleonem Vrſinum & Stephanũ Columnã* Roberti *Regis ſtudio-* N. X. §. 22

ſos, ac Pontificis ſtudioſos per tumultum, ne Roberto Vrbem traderent, eiecerat, atq; Sarra Columnio imperium Vrbis permiſerat, qui vna cum quinquaginta duobus plebis tribunis, ſummæ rei praeeſſet. In ſpeciem tantùm, Auinionem ad ſummum Pontificem, & Neapolim ad Robertum Siciliæ regem oratores ire iuſſerant, illum vt in vrbem euocarent, ab hoc verò vt auxilia opportuna impetrarent: cum tamen alios ad Ludouicum deſtinaſſent, cui maturandum iter Romanum perſuaderent. Quòd verò harum rerum auctores non ſolùm hæreſis & ſchiſmatis, ſed etiam aliorum facinorum occaſione damnatos ais, Pſeudoplaſtes apud Bzouium, non Columnius apud Villanum (qui tantùm hæreſis meminit) aſſeuerat.

88. Pronunciatum V. *Iacobum ea quæ publicè contra Ludouicum concionatus eſt, principis Cleri ac populi Romani nomine affirmaſſe.* Iterum diſertior Villano es, Bzoui, nam Iacobum nomine Cleri populíue loquutum Villanus non affirmat, ſed tua rhetorica, quæ res quaſcunque vis auctas auget, & quas minutas vis minuit, quæſo velis falſa minuta.

Col. 524. XIV. 89. Bzouius. *Quo die Ludouicus per ſpeciem venationis, fugienti ſimilis Vrbe exceſſit, abeuntem populus diris ac maledictis appetiit, & pro acclamationibus feſtiuis, Viuat Eccleſia, moriatur Ludouicus, intereat Pe-*

trus

trus Antipapa; vterque hæreticus, & anathemate damnatus occidatur, conclamauit: deinde lutum & lapides in reliquos illius diſcedentes coniecit, multóſque ex eis vulnerauit, & interfecit. Poſtmodùm nocturno tempore perambulantes milites vociferabantur interrogantes, *Quis viuat?* ac ſi quem reſpondentem *Ludouicus, aut Bauarus* comperiſſent, ſtatim vel in Tiberim demergebant, vel gladio trucidabant. Iam enim ipſa nocte fugam Ludouici antecedente Bertoldus Vrſinus Legati Neapoleonis nepos, vrbem milite compleuerat: & ſummo diluculo Stephanus Columnius cum ſuis quoque aduolarat; vt actum procul dubio fuiſſet de Bauaro, niſi præproperè ſeſe ſubduxiſſet. Hi duo principes præfectura vrbis ſuſcepta cum ad VIII. Auguſti diem, legatus quoque Cardinalis adfuiſſet, pacem Vrbi reſtituerunt, & Comitio in area Capitolina indicto, aduerſus Ludouicum, Petrum & ſocios eorum diris pontificiis promulgatis, edicta, priuilegia, & inſtrumenta publica vtriuſque igne publico exuſſerunt. Porrò tantus fuit ardor vniuerſi populi contra Bauarianos, vt ſi quem ante hos dies defunctum fuiſſe didiciſſent, etiam pueri ad ſepulturam concurrerent, & exhumatum cadauer vnco aut equis raptarent, ac denique in præterfluentem Tyberim proiicerent. Furenti plebi Sarra Columnius, & Iacobus Sabellius cum reliquis anteſignanis, vix fuga ſe eripuerunt; interim bona eorum in prædam diripientibus ceſſerunt, pala-

Digitized by Google

tia ſingulorum ignibus à populo iniectis arſerunt, ac demum vſque ad fundamenta diruta iacuerunt. Vigeſima tertia Auguſti die, octingenti equites, & longè plures pedites, à Roberto Rege Vrſinis ſubmiſſi, Vrbem magis ſecuram, & ſedi Apoſtolicæ obſequentem reddiderunt.

90. Pronunciatum I. *Diſcedentem Ludoui-*
Cap. 91. *cum à populo maledictis appetitum* &c. Vt taceam, quod inuentis more tuo addas; cur ex Villano fel ſine melle ſuxiſti? ille enim ob hæc in Ludouicum patrata Romanum populum ingrati accuſat animi, nec immeritò, ſi modò etiam Gibellini & non tantùm Guelfi patrârunt. Ludouicus enim Romanorum precibus & legationibus euocatus, aliâ gratiam meruerat. Sed mobilis vulgi inconſtantia, nec noua nec mira videri cuiquam debet. A Iohanne ad Ludouicum, & rurſus ab hoc ad illum conſueta leuitate defecit.

91. Pronunciatum II. *Multos ex eis* qui Ludouicum abeuntem proſequebantur, *vulnerauit populus & interfecit.* Villanus duntaxat aliquos lapidibus interfectos memorat, qui *aliqui* apud Bzouium in magnum aceruum excreuêre, nam multi non paruam ſtragem efficiunt. deinde multis manare ſub galea ſanguinem, & lacera vulneribus corpora vidit Bzouius, quæ nō vidit Villanus.

92. Pronunciatum III. *Ipſa nocte fugam Lu-*

douici

douici antecedente Bertoldus Vrſinus legati Neapoleonis nepos Vrbem milite compleuerat. Nouum hoc ſtrategema eſt milite vrbem impleri, antequam miles ad vrbem aduentet. Villanus refert, *eâdem nocte, quum Bauarus præcedente die abiiſſet, Romam ingreſſum Bertoldum Vrſinum cum ſuis:* ita ſubſequens nox apud Bzouium antecedens eſt, ſicut & ipſe Baronio in hiſtoriæ peritia antecedit, quia ſubſequitur, & quidem magnis interuallis. Cap. 95. *m.*

93. Pronunciatum IV. *Summo diluculo Stephanus Columnius cum ſuis quoque aduolarat, vt actum procul dubio fuiſſet de Bauaro, niſi præproperè ſe ſubduxiſſet.* Miror Bzouium etiam horam non deſignaſſe, cum norit ſummo diluculo Stephanum Vrbem ingreſſum. Villanus mane ingreſſum memorat, quod verum eſt, etiamſi non ſummo diluculo intrâ it. Deinde Bzouius magnus belli & fortunæ æſtimator Ludouico cunctaturo extrema (de quibus nil omnino Villanus) ominatur, quaſi non de ipſius quoque vulnere facto Romanorum ſanguis fluere potuiſſet? Magna neceſſitas magnas nonnunquam victorias parit.

94. Bzouius. *Cæterum Ludouicus Bauarus quaſi in terra hoſtili eſſet, quacunque exercitum trahebat, ferro & igni cuncta fœdabat: ac dubio procul maiora tentaſſet, nec tantùm Vrbem, verùm etiam* Col. 524. XV.

vni-

Digitized by Google

vniuerſam Italiam ſibi ſubieciſſet, ſi Petrus Rex Trinacriæ ac Genuenſes Gibellini tempeſtiuè claſſem adduxiſſent, neq; vllo operæ precio facto poſt contentiones cũ Bauaro intercedentes, eandem ſed magno damno Piſa diſcedentes reduxiſſent. Ex octuaginta quatuor triremibus, non niſi quatuor Meſſanã Petrus reuexit; reliquis & aliis nauigiis tempeſtate exorta pars demerſis pars diſperſis. Germani quoque Saxones & Chatti validiſſima pars exercitus, conſternati propter anathemata animis, & ſtipendia debita flagitantes, à Vindelicis & Sueuis ſeceſſerant, cũ quibus antea apud Velitras cruenta ſeditione contenderant, & tum forte renouato odio ſpretóque Ludouici imperio, Piſanorum & Lucenſium agros impune prædabantur: eóq; terroris & fœdæ calamitatis circumiectam regionem adduxerant, vt incolæ incendiorum metu, commeatum, veſtem & caſtrenſia inſtrumenta conferre cogerentur. Itaque timebat Ludouicus, ne ea manus quæ octingentis armatis equitibus conſtabat, vtpote quæ nullo pudore defeciſſet, tanquam planè venalis ad Florentinos opima ſtipendia pollicentes deficeret. Miſerat quidem ille Mediolanum, conquirendæ pecuniæ gratia, Conradum Porcarium rapaci ingenio togatum militem, vt Saxones mercaretur. Cæterùm cum is fidei pudoríque pecuniæ lucrum anteponens, accepta quarta parte ab Actio Vicecomite promiſſa totius pecuniæ, in Germaniam perfugere, quàm ad

Baua-

Bauarum reuerti maluiſſet, eius potiundæ illum ſpe deiecit, & Saxones vehementius irritauit. Hinc efferato animo Ludouicus, vt vndique pecuniam corraderet, Petro Corbario, vt theſauros & vaſa ſacra Eccleſiarum expilaret permiſit, ipſe verò Tudertinis, Piſanis & Lucenſibus graue auri pondus imperauit, plurimos pontificiorum in vincula abductos, precio ſe redimentes cuſtodia eduxit; Caſtrucij vxori precioſa mundi muliebris ornamenta eripuit, eiuſdem Caſtrucij veteris amici filios Piſarum dominatu ſpoliatos, Luca extruſit, & Franciſco Interminello accepta ab eo grandi pecunia, vrbis principatum adiudicauit: atque plurimos neceſſariorum ea propter à ſe alienauit, præſertim cùm iterum ad XIII. *diem Nouembris, Piſis, Comitio populari indicto, tum Fratrem Michaëlem Cæſenatem, multa ex ſuggeſtu aduerſus Ioannem ſummum* Pontificem *indigna vomentem audiuiſſet; tum ipſe ſententiam blaſphemiis & hæreſibus refertam, contra eundem propalam recitari iuſſiſſet: tum Antipapam officium* Pontificum *temerè vſurpantem, & plurima horrenda execrabiliáque in Ioannem patrantem toleraſſet. Auſus fuerat Corbarius habito ſuæ ſectæ conciliabulo, aliquos pſeudocardinales creare, Ioannem* XXII. *hæreſiarcham renunciare, eundem diris iterum deuouere, imaginémque illius igne comburere.*

In dies plenioribus buccis latinè crepat Bzo-

T t uius,

Digitized by Google

uius, & rebus colorem addit amplificationibus. Exemplo etiam hic locus eſt, quem conſueto nobis more partiemur.

95. Pronunciatum I. *Ludouicus quaſi in terra hoſtili eſſet, quacunque exercitum trahebat ferro & igni cuncta fœdabat.* Quaſi verò non in terra hoſtili fuiſſet, in qua tot hoſtes habuit? Guelfos inquam omnes Cæſarei nominis acerrimos hoſtes.

96. Pronunciatum II. *Ludouicus vniuerſam Italiam ſibi ſubieciſſet, ſi Petrus* Rex *Trinacriæ ac Genuenſes Gibellini tempeſtiuè Claſſem adduxiſſent.* Fateris ergo fortunam vel tarditatem aliorum interceſſiſſe, quo minus Ludouicus vniuerſa Italia potiretur.

97. Pronunciatum III. *Ex octoginta quatuor triremibus non niſi quatuor Meſſanam Petrus reuexit, reliquis pars demerſis, pars diſperſis.* Repeto hoc pronunciatum propter ſingularem dictionis venuſtatem. & quia rhetoricam pars non didici, pars oblitus ſum, Bzouio minerual debeo, ob recondi-
N. XVI. m tam Grammaticam. Quin idem pronunciatum etiam Bzouius pro conſuetudine repetit infrà, & auctorem hìc omiſſum apponit ibi Villanum capite 104. & ſequentibus, vt ait; in quibus tamen ſequentibus nemo niſi Bzouius pro ſingulari ſuo acumine rem eam videre poteſt, quippe quam Villanus omnem vno illo capite 104. exſequatur.

98. Pro-

98. Pronunciatum IV. *Germani quoque Saxones & Chatti validiſſima pars exercitus conſternati propter anathemata animis, & ſtipendia debita flagitantes, à Vindelicis & Sueuis ſeceſſerant.* Hoc pronunciatum mutuatus eſt Bzouius ex Iouij A-ctio, cum additiuncula tamen, nam cum Iouius dicat fuiſſe Saxones, Chattóſque animo cõſternatos, non adiicit conſternationis cauſam fuiſſe *anathemata*, quæ credo profano militi valde cordi fuerunt, vt ex omni ſuperiore narratione eluxit. Sed edicat Bzouius vnde ſumpſerit hos ob anathemata fuiſſe perculſos? dicet, credo, vbi inuenerit. Multa itidẽ hoc loco verbatim Bzouius è Iouio in ſuas chartas transplantat, alienîſque ſe plumis ornat, ſed ingenti cautela, ne nomen Cæſaris vnà transferat. Igitur vbique eraſo Cæſare, Ludouicus ſubſtituitur, quaſi Bzouio ius eſſet, laurum imperatorio vertice decutere. *pag. 114. poſt m.*

99. Pronunciatum V. *Miſerat Ludouicus Mediolanum conquirendæ pecuniæ gratia Conradum Porcarium rapaci ingenio togatum militem.* Hìc etiã Heraclitus imperitiſſimũ ſcriptorem riſerit. Quẽ tu Porcarium in theatrum inducis Bzoui? ex hara prodiiſſe legatum à Cæſare arbitraris? Digitis credo libros in tenebris tractas, non oculis, alioqui videres. Villanus aliter tibi Germanicum nomen explicaſſet, tametſi & ipſe ex peregrinitate vocabuli

in enunciando aberret. *Il Porcaro*, ait hetruſca lingua, *che tanto è à dire Porcaro in tedeſcho come Conte Caſtellano, Porcarum (Porcauum* ſcripſerit Villanus) *quæ vox Germanis comitem Caſtellanum ſignificat*, Burggrauum, id eſt, cuſtodem Caſtelli non porcorum, quos tamen præſtaret agere, quàm malum hiſtoricum. Cæſar itaque Comitem Caſtellanum ſiue Burggrauum ad conficiendam pecuniam Mediolanum legauit, non Porcarium aut Suillium, vt tu nugaris. Dices te veſtigiis Iouij inſiſtere; non nego, quia in errantium ſemita gradi conſueſti.

100. Sed vt à nomine ad rem veniamus, fabulæ quàm hiſtoriæ ſimilius videtur quod Bzouius ex Iouio [a] (qui fere Villanum [b] ſecutus eſt) de Porcario ſeu Burggrauo iſto Mediolanum miſſo, & violata fide in Germaniam profugo ſcribit. Nec enim eam perfidiam inultam poſtea Cæſar abire ſiuiſſet, & tamen de vindicta nihil conſtat. quin potius Villanus eum Lucenſibus à Cæſare præfectum, affinitatem cum Caſtrucij filiis iunxiſſe tradit, eoſdémque in integrum reſtituiſſe; ſed ea de cauſa à Cæſare amotum, præ indignatione in Lombardiam, deinde in Germaniam abiiſſe. Adhæc Villanus cum quinta, Iouius cum quarta ferè, ſolus Bzouius abſolutè cum quarta parte pecuniæ Burggrauum in Germaniam fugiſſe docet,

a Pag. 116. ante m.
b Cap. 119. ante m.
Cap. 101. med.

Digitized by Google

docet. Summa enim Villano auctore erat 125. millia aureorum, quorum 25. millia Burggrauus accepit.

101. Pronunciatum VI. *Efferato animo Ludouicus, vt vndique pecuniam corraderet, Petro Corbario, vt theſauros & vaſa ſacra Eccleſiarum expilaret permiſit.* Quàm promptè Bzouius alienis culpis Ludouicum vbiq; implicat. Quid cum hac ſacrorum expilatione Ludouico negotij fuit? Villanus ita recenſet, *Antipapa quoque ob pecuniæ indigentiam S. Fortunatum omnibus gemmis & reliquiis, imò etiam lampadibus ex argento factis, quæ multo conſtabant, ſpoliauit.* Nec plura Villanus, qui cum rei conſcium Ludouicum non ſcribat; tu tamen ei facinoris quoque permiſſionem adſcribis. Cap. 92.

102. Pronunciatum VII. *Caſtrucij vxori precioſa mundi muliebris ornamenta eripuit, eiuſdem Caſtrucij veteris amici filios Piſarum dominatu ſpoliatos Luca extruſit, & Franciſco Interminello accepta ab eo grandi pecunia Vrbis principatum adiudicauit, atque plurimos neceſſariorum ea propter à ſe alienauit.* Pauculi verſus multis vanitatibus fœti, & quidem cum inſigni dedecore Cæſaris, quem in prædonem prope transformat Bzouius cum ſuo Iouio: quanquam Iouius modeſtiùs loquitur, ait enim, *Caſtrucij vxori precioſa mundi muliebris ornamenta aufert*; quod potuit laudato titulo fieri, In Actio pag. 114.

 mulctæ

mulctæ ſcilicet nomine. Sed Bzouius vt factum inuidia grauaret pro *aufert* ſubſtituit *eripuit*; non aliter quàm ſi Cæſar graſſator fuiſſet. Verum caſtigemus tam Bzouium, quàm Iouium ex Guelfo
Cap. 105. ſcriptore fideliore tamen, *Caſtrucij vxor*, ait, *vt Bauarum contra filios placaret, Piſas venit preciúmque 10. millium florenorum aureorum in parata, in gemmis & equis ei donauit, ſe filióſque in manus eius tradidit.* Oſtende ſis Bzoui hîc aliquam rapinam imperatoriam. Res nouare moliebantur Caſtrucij filij, & non de nihilo accuſabantur, vti paulò infrà dicemus. Mater ergo vti filios irato Cæſari reconciliaret, ſponte argentum gemmáſque obtulit; tu mundum muliebrem ereptum falsò decãtas, nam tametſi gemmas eripuiſſet Cæſar, muliebrem tamen mundum non eripuiſſet, quia muliebris mũdus in ſolis gemmis non conſiſtit, & cenſentur etiam in parte ornamenti virilis. fortaſſe & ſyrmata & pileolos & ſardonychatas inaures & torques & monilia & fluentia pepla & ſinuata collaria, & phrygij operis ſtrophiola & Indicas criſtas & virgatas auro fimbrias & vittas pyropis ardentes, & tutulos argento implexos, & ſplendentia cingula, & ſerica ſandalia abſtulit ? Hæc certè ad mundum muliebrem pertinent. Nugator es Bzoui, & quidem in re vaniſſima. Quod filios Caſtrucij Cæſar Piſarum dominatu ſpoliârit, non refert id Villa-

nus

nus, ſed tu ex Iouio. Villanus huncin modum ſcri- *Cap. 104. poſt m.*
bit, *Dum hæc fiunt, veniunt noua, & certi legati imperiales Piſis ad Bauarum, nunciantes Caſtrucium Lucæ dominum obiiſſe, filióſque ipſius cum ſequacibus ciuitatem diſcurriſſe; ideò quamprimùm Piſas iret, aliâs timendum eſſe ne ciuitas Florentinis tradatur, quam ob cauſam Bauarus Groſſeto* (Roſello aliis ſeu Ruſellis Tuſciæ opido) *18. Septemb. diſceßit & frequenti equitatione Piſas die 21. Septembris ingreſſus, à Piſanis ſummo gaudio exceptus eſt, vt à filiorum Caſtrucij Lucenſiúmque dominio liberarentur; qui aduentu eius percepto Piſis abierunt, Lucámque reuerſi ſunt.* Hæc Villanus, ex quo perſpicuum eſt Caſtrucij filios potiùs ſeipſos ſpoliaſſe profugiendo; quia enim conſcios ſeſe ſentiebant, aduentum Cæſaris ſuſtinere veriti, vrbe exceſſêre. Quanquam etiamſi Cæſar dominatu Piſano eos ſpoliaſſet, nihil præter ius & fas egiſſet, vti mox dicam.

103. Sed ignoſceres fortaſſe Cæſari, ſi Piſis duntaxat pepuliſſet Caſtrucios; etiam Luca extruſit. Fecit hoc Cæſar, & quia ciues Caſtrucij filios tolerare nolebant, & quia machinationis in Cęſarem incuſabantur, & quia ſuis eum portis excluſerant. Audi Villanum, *Cùm Bauarus* Piſis *eſſet, Piſani Caſtrucij filios accuſarunt, quòd ipſi patérque Caſtrucius cum Florentinis contra coronæ imperialis honorem tractauerint; quod ex parte verum erat. Bauarus* *Cap. 105.*

propter

propter diſcurſiones Piſis ab iis factas, & quod ſuorum neminem Lucam ingredi permitterent, ſummopere iratus erat. En ipſe Villanus fatetur delictum; & tu quaſi tyrannicam vim deblateras, cum eos Luca extruſos ſcribis. mauis nempe cum Iouio latinius loqui, quàm verius.

104. Filiis porrò Caſtrucij in Lucenſi principatu, vel potius præfectura proximè Franciſcum Interminellum hoc anno ſucceſſiſſe indicas, cùm eis Burggrauus ex proceribus Cæſaris vnus ſucceſſerit, vt ſuprà ex Villano docuimus, qui etiam tradit
N. 100. *Cap. 126.* Franciſcum eam præfecturam adeptum poſt medium Martium anni 1329. quamuis ille eum annum Florentinorum more 1328. vocet, ſequentémque 1329. non niſi à 21. vel 25. Martij, hoc eſt, ab æquinoctio, vel incarnatione Domini auſpicetur. Quod denique Cæſar deiiciendis Caſtrucij filiis, & Franciſco ſufficiendo plurimos neceſſariorum à ſe alienârit, id ne Iouius quidem nedum Villanus confirmat, & Bzouius videri vult non omnia mutuatus inſtar pauperis, ſed quædam etiam de ſuo protuliſſe peculio.

105. Pronunciatum VII. *Ludouicum Piſis ad 13. Nouembris Comitio populari indicto, cùm fratrem Michaëlem Caſenatem multa ex ſuggeſtu aduerſus Ioannem ſummum Pontificem indigna vomentem audiuiſſet, tum ipſum ſententiam blaſphemiis*

miis & hæreſibus refertam contra eundem propalam recitari iuſsiſſe. Bzouius Cæſarem inducit, quaſi audita in templo Cæſenatis concione, aut potius inuectiua comitium populare intraſſet, ſententiámque in Pontificem tuliſſet, & quidem blaſphemiis & hæreſibus refertam. Perlegat lector Villanum, & videbit ſemper aliud ſub hoc calamo naſci, quàm ſatum fuerit. Villanus non loquitur de 13. Nouembris, ſed Decembris, non de vllo populari comitio, ſed de procerum concilio; nihil de blaſphemiis, & hæreſibus ſententiæ inſertis. *Cap. 115.*

106. Pronunciatum VIII. *Auſus fuerat Corbarius habito ſuæ ſectæ conciliabulo, aliquos pſeudocardinales creare.* Cramben hanc iam ſuprà appoſitam cur recoquis? nam poſt illos quos Romæ Corbarius purpura veſtiuit, non recenſet Villanus [a] & Ciaconius [b] alium ab illo creatum, quàm Iohannem Vicecomitem, qui tamen non hoc anno, ſed ſequenti demum inter purpuratos numeratus eſt, vt & tu ibidem doces. *a Cap. 119* *b P. 696. ante m.* *N. III.*

107. Bzouius. *Feriis quatuor temporum menſis Decembris* ſummus Pontifex *Ludouicum Bauarum, Petrum Sacconem, Caſtrucium Lucenſem, Bonacoſſum Paſſarinum, Vicecomites pleroſque, Marſilium Patauinum, Ioãnem Iandunum, Guillelmum Ochamum, Michaëlem Cæſenatem Generalem or-* *Col. 526. XVII.*

Vu *dinis*

dinis Minorum, ac nonnullos alios complices Ludouici gladio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, à communicatione piorum præcidit, dignitatibus omnibus atque honoribus exuit, & poteſtatem omnibus eos capiendi fecit.

108. Magnum tu hîc catalogum excommu- Cap. 115. m. nicatorum pertexis: Villanus Cæſarem cum adiutoribus ac fautoribus ſuis piorum cœtu motum tradit, reliquorum immemor. Illud quod inter deuotas diris animas Caſtrucium, Paſſarinum, & Marſilium percenſeas, expedire facilè non poſſum, N. III. f. ſupra enim ſcribebas Caſtrucium menſe, vt appa- [a] Cap: 104. poſt m. ret, Septembri (& quidem medio, vt Villanus [a] do- [b] N. XV. cet) mortuum; Marſilium [b] item ſcelerum incentorem furiis infernalibus correptum ad medios dies Septembris in peruicaci obſtinatione obiiſſe; Paſſarinum denique decimo quarto Auguſti gladio cæſum. Quod ſi ita eſt, qui factum eſt, vt poſt tres aut quatuor demum menſes rurſus excommunicarentur, & in manes eorum ſtringeretur anathematis ferrum? An non ſufficiebat viuos diris fuiſſe toties deuotos? quanquam tu de eis etiam hîc quaſi viuis loqui videris.

Col. 527. XVII. 109. Bzouius. *Præterea Michaelem Caſenatem ſupremo Ordinis magiſtratu Ioannes* Pontifex *ex conſilio Fratrum Minorum abdicauit, quod is Auinionem ad cauſam hæreſis dicendam euocatus, monentem Pontificem contempſiſſet, verbis contumeliæ plenis*

Digitized by Google

plenis aſperſiſſet, palinodiam cantare recuſaſſet, & ad extremum appellatione ante ſententiam interpoſita, clam Auinione profugus, Piſas ad Ludouicum Bauarum ſeſe contuliſſet, & tam illi quàm Petro Corbario Antipapæ auctor fuiſſet tam abominandæ in Eccleſia vniuerſali ſciſſuræ: ac ad extremum conuerſus in vaniloquium, nec intelligens quæ loquebatur, neque de quibus affirmaret, in eã prorupiſſet inſaniam, vt ſummum Pontificem non iam Ioannem, ſed Iacobũ de Cadurco, neq; Antiſtitem, ſed presbyterum, neque Catholicæ Eccleſiæ ac fidei orthodoxæ præſulem, ſed hæreticum, maieſtatis diuinæ & imperatoriæ reum impudenter aſſereret, Conſtitutiones pontificias impugnaret, libellóſque continentes impugnationes prædictas, ad diuerſas mundi partes & ſtudia deſtinaret, & ipſos affigi in portis Eccleſiarum, & locis aliis temeritate pœnis digna attentaret. Per huius hæreſiarchæ damnatã memoriã cum religio D. Franciſci legitimũ præſidem Generalem nullum haberet, curam illius vniuerſæ Bertrando Cardinali Legato, datis III. *Calend. Maij Pontif. anno* XII. *literis Ioannes commiſit, Vicariúmque ei Ordini præfecit, quo monente, Patres Minores, ad Comitium generale Bononiæ congregati, eundẽ Michaelẽ hæreſis, temeritatis, & aliorũ criminum nomine conuictum abſentem quaſi præſentem, præfectura generali totius ſui Ordinis indignum iudicarunt, & communibus calculis reprobatum condemnarunt. Joann. Villani lib. 10. vſque ad cap. 110.*

Iouius in Galeacio & Actio Vicecomitibus. MS. Bibl. Vatic. num. 4008. hiſt. de rebus Siculis MS. Vatican. Richardus Cluniacenſ. in Ioann. 22. Laurentius Bonincontr. in annalibus. Mutius hiſt. Germ lib. 24. regeſtr. Ioann. 22. huius anni, & alij.

110. Pronunciatum I. *Ab Joanne Pontifice Michaëlem Caſenatem ſupremo Ordinis magiſtratu ex conſilio fratrum abdicatum.* Quàm vera ſcribat Bzouius, arbitrum appello Marcum Vlyſſipponenſem, *Cùm*, ait, *eodem anno 1328. trigeſimum ſeptimum Capitulum Bononiæ celebraretur, noluit Papa, vt Fr. Michaël Miniſter Generalis illi interueniret, ſed pro legato Apoſtolico & Commiſſario generali eo miſit Fratrem Bertrandum Cardinalem, cauſam in literis Apoſtolicis, cur Generalis ad Capitulum non iuerit, non exponens, ſed præſumens omnibus eſſe manifeſtam; ſuaſitque Fratribus vt nouum eligerent Generalem, qui eundem Fr. Michaelem confirmarunt: quos à ſententia nec Commiſſarij ſuaſiones, neque Papales literæ deducere poterant, cauſam cur debeat deponi, ſeſe ignorare referentes.* Hæc Marcus longè à Bzouio diuerſus; nam Bzouius ait, à Pontifice ex conſilio Fratrum Michaelem abdicatum, Marcus ait, Michaelem à Fratribus confirmatum; dicebant enim, vt ipſe loquitur, ſe ignorare cauſam cur debeat deponi.

lib. 1. cap. XIV.

111. Verum iſta fortaſſe veniæ locum inuenirent;

nirent; at id quod Bzouius anno 1324. prodidit, nec ipſa Eloquentia patrocinante defendi poteſt; ibi enim inter cætera ſcribit Ludouicum ex Fratris Michaelis Cæſenatis, & Fratris Guillelmi Ochami virulento calamo conceptam epiſtolam vulgaſſe. Atqui anno 1325. vt ſcribit Marcus, Frater Michael de Cæſena Miniſter Generalis Ordinis, celebrauit capitulum 36. generale Lugduni Galliæ: & ſub initium anni 1328. gratia adhuc pontificia floruit, vti paulò ante memoraui. *N. VI.* *Cap. XIII.*

112. Pronunciatum II. *Michaelem Cæſenatem inter cætera magiſtratu motum, quòd Auinione profugus Piſas ad Ludouicum Bauarum ſeſe contuliſſet, & tam illi quam Petro Corbario Antipapæ author fuiſſet tam abominandæ in Eccleſia vniuerſali ſciſſuræ.* Hoc anno tandem rectè Michaelem magiſtratu motum commemoras: ſed cauſas inanes, imò ridiculas conglobas. Dic enim mihi quando potuit Cæſenas author fuiſſe Ludouico & Corbario, vt Eccleſiam ſcinderent? Iam abdicatus erat Iohannes; iam ſubſtitutus Corbarius, antequam Cæſenas ad Imperatorem Piſas confugeret. Imperator Piſas peruenit 21. Septemb. teſte Villano, & quatuor ante menſes Corbarius iam tergemina infula fulſerat; quomodo ergo Cæſenas author fuit Cæſari Corbarióque, vt Eccleſiæ vnitatem conuellerent? *Cap. 104. prope f.*

113. Pronunciatum III. *Abdicato Michaele Generali, Bertrandum Minoritis Vicarium à Pontifice datum.* Fateris ergo errorem tuum, quo ſupra
N.XV. vtrumque anno 1327. contigiſſe ſcripſeras, vt verba tua, quæ eo loci attulimus, indicant.

114. Pronunciatum IV. *Generali Vicario monente, Fratres Minores ad Comitium generale congregati Michaelem hæreſis & temeritatis & aliorum criminum nomine conuictum abſentem quaſi præſentem, præfectura generali totius ſui ordinis indignum iudicarunt, & communibus calculis reprobatum condemnarunt.* Quàm multa Bzouius in hiſtoriis nouit, quę nemo ante ipſum tradidit? In capitulo Bononienſi non potuerunt Fratres auelli, vt ſcribit Marcus, ab hoc Generali, imò vti idem ſcribit, eundem confirmarunt; quomodo ergo indignum iudicarunt præfectura, aut communibus calculis damnarunt? dicebant enim auctore Marco, ſe ignorare cauſam cur debeat deponi. Igitur non Fratres ſed ſolus Pontifex auctoritate ſua hominem in ordinem redegit, præpoſito Cardinale Bertrando Vicario, vſque ad annum 1329. quo
N.V. demum, vt tute ibidem fateris, Fratres Michaelem non Bononiæ, vt tu hîc nugaris, ſed Pariſiis iure abdicatum pronunciarunt, & alium ſuffecerunt. Sed quando Michaelem non ſolùm hæreſis & temeritatis accuſas, enuncia ſodes, quorum aliorum criminum,

minum, vti tute miſerum Cæſenatem crudeliter lancinas, conuictus fuerit? è ſolo calamo tuo profluxerunt hæc crimina; certè Chriſtiana charitas, vera etiam ſcelera, vbi opus non eſt, tegere ſuadet; tu verò detegis eas maculas, quas Cæſenas non habuiſſet, niſi tuo penicillo inunctus eſſet. Quanto aliter de ipſo ſociiſque eius Matcus Vlyſſipponenſis? *Porrò*, inquit, *fratres illi non ex appetitu carnis, nec ex concupiſcentia oculorum ſe mouerunt, quia ante & poſt cenſuram contra ipſos latam, valde religioſè vixerunt, mortuíque ſunt in Bauaria ditione dicti Imperatoris, famámq; de ſe, noménq; reliquerunt bonorũ religioſorũ inter eccleſiaſticos & ſeculares. In primis certè propter Zelum, & amorẽ Apoſtolicæ paupertatis, & propter honorẽ & reputationẽ ſtatus eorũ, & regulæ profeſſionẽ ſe mouerunt; licet in initio ſe aliquãtum indiſcretè geſſerint, & cauſam deinde nimio propriæ opinionis amore inducti proſequuti ſint. Quare miſericordia digni ſunt, & cuilibet timendũ eſt, quia ſcriptum eſt, Qui ſe ſtare exiſtimat, videat ne cadat.*

lib. 8. cap. 14. poſt m.

115. Ad extremum ſubit admirari cur tantam auctorum turbam cogas poſt numerum decimum ſeptimum, cum in cæteris plerunque nullũ penitus adſcripſeris? an quemlibet à ſua ſtatione pellere ſedit, vt ſecurius falleres? Vix auſim te iudicare, tu tamen auſus fuiſti te iudicandum exponere. Sed iam quàm bellè auctorum lócos de-

deſignaris videamus. Villani nominas librum 10. vſque ad cap. 110. atqui Villanus librum 10. inchoat ab anno 1326. & tu hic agis de 1328. volebas ergo vt plus quàm quinquaginta capita de annis duobus præcedentibus peruolutarem? deinde ſicut à principio nimis multa Villani capita notaſti, ita ad finem nimis pauca, cùm Villanus annum 1328. finiat capite 115. quo recitat ſententiam à Ludouico contra Iohannem Piſis latam, &
N. XV. m. à te ante relatam. Quódque amplius eſt, tu ibidem per figuram tibi vſitatiſſimam ὕϛερον πρότερον recitaras iam, quæ Villanus capite 116. 119. 126. narrat de Nicolao contra Iohannem multa agente, nouum Cardinalem creante, & Ludouico Franciſcum Interminellum accepta ab eo grandi pecunia, Lucenſibus præficiente. Sexdecim ergo minimum capita ex Villano minus, quàm oportuit, indicaſti. Nec aliter ſignaſti Antonini 3. p. tit. 21. qui incipit ab anno 1305. & finitur anno 1370. cùm tu agas hìc tantùm de anno 1328. An tu fruſtra eum Antonini titulum in tot capita & paragraphos diuiſum putas? an 65. annos pro vno computas?

N. XVIII. 116. Bzouius. *Oldradus huius temporis doctiſſimus Iuriſperitorum à Pontifice interrogatus, quid cenſeret faciendum de Ludouico Bauaro, & Petro Corbario Antipapa, hæc reſpondit. Conſil. 65. De hoc breui-*

breuiter me expedio, quia nequitia & malitia iſtorum ita eſt nota, quòd non indiget magna exaggeratione, ſed magna vindicta, 74. diſt. Vbi. & iſte maledictus intruſus non ſolum eſt puniendus pœna canonica, ſed ciuili, & ideo dicit textus, quod debet anathematizari, & humano auxilio Apoſtolica ſede depelli. 79. diſt. Si quis pecuniam. & ibi gloſ. Et meritò. quia ex iſto facto multa grauiſſima crimina incurrit, & de omnibus puniri poteſt C. de accu. l. qui de crimine, & l. ſi quis homicidij. Ipſe ſanctiſſimam fidem Petri vobis viuente, & legitimè eam poſſidente, propria temeritate, cum potentia illius hæretici auſus eſt maculare, & ideo tanquam excommunicatus & præciſus, eſt à communione Eccleſiæ repellendus, vt cum Datan & Abiron ſuam recipiat portionem, extra de elect. licet, de conceſſ. præbend. c. 1. Iniuriam enim fecit Cathedræ indignè ſedendo in ea. 40. diſt. Multi, imò tanquam infamis & adulter eſt ab omnibus honoribus repellendus 1. q. 2. Audiuimus. 7. q. 2. Sicut. Fur enim eſt & latro, quia non intrat per oſtium. 11. q. 1. Non furem, & C. tres perſonas. 23. q. 4. Item eſt apoſtata. & dicit tex. quod non amplius Apoſtolicus nuncupetur. in ca. allegato. Si quis pecuniam. 79. diſt. c. 1. & eſt ſchiſmaticus, quia vnitatem Eccleſiæ diuidere nititur. 24. q. 1. ſchiſmati, & c. aduocauit. De falſitate eius etiam conſtat, cum falſum nomen ſibi aſſumpſerit, & falſis inſignijs vſus ſit. ff. ad l. Cor. de fal. & l.

eos §. qui. Quid plura? Proditor eſt & Antichriſtus, & ideò tanquam inuaſor & perſecutor Chriſtianitatis eſt repellendus 23. diſt. in nomine Domini, ex quo c. poteſt formari proceſſus contra illos miſeros ſuos Cardinales, quos credo eadem pœna puniendos, vt in d. c. in nomine Domini. Dignum n. eſt, vt qui ei miniſtrat, eũ ſequatur, & in carcere vbi ipſe fuerit, ibi ſint miniſtri eius. Et non ſolùm ipſi ſunt puniendi, ſed fautores, receptores, & credentes eis. de hæret. excommunicamus. §. credentes. & c. ſicut & c ſi. eod ti. c. accuſatus, & c. ſtatutum. & de ſchiſmaticis c. 1. lib. 6. & Hoſt. ſatis in ſumma eodẽ tit §. quæ pœna. Omnes n. culpæ & pœnæ obnoxij ſunt, qui ſchiſmaticis contra præpoſitos ſacerdotes irreligioſa ſe temeritate immiſcuerũt. 24. q. 4. didicim⁹. & etiã maiori pœna sũt digni, ſi ſunt clerici vel religioſi, vt in c. excõmunicamus. Oldradus conſil 65.

117. De Oldrado reſpondemus eum fortaſſe ignoraſſe legitimam Ludouici electionem, aut ſi norat, tamen contra communẽ ſententiã, vt Azorius[a] docet, magis declinauit (vt ipſe conſilio 180.[b] loquitur) in opinionẽ dicentiũ, Regi Romano etiã legitimè electo non licere adminiſtrare regnũ ante pontificiam confirmationẽ. Potuit etiã Oldradus Italus (de Laude enim fuit, vt in principio operũ eius dicitur) Ludouico Germano eſſe iniquior, & Iohanni in cuius curia viuebat, eſſe plus æquo addictus. Alioqui ſi æquo animo conſideraſſet cõſir-

[a] *T. 2. l. 10. c. 6. §. 4.*
[b] *Poſt med.*

firmationē Ludouico immerenti negatā, excommunicationem & regni abdicationē ante annum 1327. inſonti irrogatam, mitius cum Ludouico agendum cenſuiſſet. Adde quod Oldradus pleraq; de Nicolao non de Ludouico dicit; & quod nō ſoli Ludouico ſed etiam aliis imperatoribus iniquus fuit, vt cōſtat ex Hieronymo Balbo, & ipſo iuris peritiſſimo, atq; etiam Epiſcopo Gurcenſi, qui de coronatione Caroli V. ait, *Quibus igitur cruciatibus* Pag. 67. *Oldradi manes torqueri credimus, qui in quodam ſuo non tam conſilio quam cōuitio adeò petulanter in Cæſares debacchatur, vt omnē eorum authoritatē radicitus euellere ſtudeat, quos non modò Regibus, ſed vel plebeiis magiſtratib. poſtponere audet: quo quidē nomine arguitur & imperij calumniator impudēs, & de ſede Apoſtolica non bene meritus. Quum enim Imperator ſit defenſor libertatis, propulſator iniuriarum, publicè, priuatim moderator, pater, cuſtos vnus: Oldradus mortalium omnium nequiſſimus eſt repertus, qui defenſorem libertatis, propulſatorem iniuriarum, moderatorem, patrem, cuſtodē proſcindere & ſuggillare non eſt veritus: qui & dum in humanis ageret, vt publicus parricida, vt maieſtatis reus culeo erat inſuendus: & nunc vita functus, perpetuo ac inextinguibili furiarum igne procul dubio exuritur, in æternúmque exueretur.*

118. Bzouius. *Ex Pſeudocardinalibus Corbario adhæſerant. 1. Petrus tit. S. Petri ad vincula, cui* N. XIX.

adminiſtrationem noui Hoſpitalis S. Claræ Piſis & Abbatiæ S. Martini in montibus Viterbien. diœceſis commiſerat, v. *Cal. Iun.* 2. *Bonifacius Adminiſtrator Epiſcopatus Chironen. & Protector ipſo iubente Ord. Præd.* xv. *Cal. Iunij.* 3. *Jacobus Alberti Praten. Epiſcopus Caſtellanus, cui titulum Oſtien. & Archiepiſc. Montisregal. conceſſerat.* xv. *Cal. Iun.* 4. *Fr. Nicolaus Fabrian. Eremitanus Auguſtinianus, quem titulo S. Euſebij & Epiſcopatu Camarinen. donauerat.* v. *Cal. Iun.* 5. *Ioann. Arlotus Rom. cui* Procancellarij *officium, cum titulo S. Nicolai in carcere Tulliano, obtulerat.* 18. *Cal. Sept.* 6. *Franciſcus, quem Albanenſem Epiſc. & Pompoſianum Abbatem eſſe voluerat.* 8. *Idus Iul. & quem legatum de latere, in tota Germania ſuperiore & inferiore, ſcil. à Rheno vſque ad mare, & à Monachio vſque in Saxoniam & Daniam, nec non in Lombardia ſuperiore & inferiore, Marchia Taruiſina, Maſſa Trabaria,* Romandiola, *Monteferrato & Marchia Anconitana, Viterbij* 5. *Non. Octobr. creauerat.*

119. Nemo iam miretur Bzouianorum annalium vaſtitatem ac molem; vnam eandémque rem ſæpius inculcat. Iam tertium pſeudocardinales introducit, ſed ne ſibi conſtet, mutato ordine. *N. X f.* Quem enim antea ſextum fecerat, is nunc ei primus eſt; quem quintum, ſecundus (Bonifacius videlicet Epiſcopus Mutinæ & Protector Ordinis Præ-

Prædicatorum, reliquos enim aliis nominibus appellarat, excepto Abbate Mediolanenſi, qui auctore Ciaconio Iohannes dicebatur, & Abbate Germano, qui videtur fuiſſe Franciſcus ille legatus de Latere in Germania, &c.) quem primum, tertius; quem ſeptimum, quintus; quem tertium, ſextus. Quartus Fabrianenſis locum ſuum retinuit; ſecundus Abbas Mediolanenſis, hîc memoriæ Bzouianæ beneficio præteritus eſt. *Pag. 695. §. penult.*

120. Bzouius. *Ex Canonicis Baſilicarum vrbis, hi tantùm ſequebantur erronem. Petrus Richardi de Annibaldis, Petrus Alexij & Franciſc. Calixti, Lateranenſes: Richard. de Annibaldis, Ioann. Sarraceni, Nicolaus Arloti, & Ioan. Raynerij Arloti, Vaticani:* Petrus *Gratiani, Laurentius Vallati, Nicolaus Celli, Franciſc. de Viterbio, Iacob. Archionis, Iordanus Bobonis, & Stephanus de Porcariis, S. Mariæ Maioris: nec non Iacob. Canonicus S. Nicolai in carcere Tulliano, quem Camerarium eſſe R. E. deſignauit.* *N. XIX. §. 2.*

121. Quis crediſſet Ludouico tot ex principe clero, quales Villano teſte omnes illi excepto vltimo erant, Romæ amicos fuiſſe, & quod conſequens eſt, ſacra præſente Cæſare peregiſſe, & Eccleſiaſtica myſteria communicaſſe? Nam tu ſupra dixeras, *Non tamen principi clero perſuadere potuit, vt ſacra præſente Bauaro peragerent, aut Eccleſia-* *Cap. 71. ante m.* *N. II. v. 4.*

ſtica myſteria communicarent. Hæc res Ludouicum adeò irritauit, vt compellendos omni iniuria ſacerdotes decreuerit, ídque negotij Sarræ Columnio iniunxerit. Omnia tamen prius perpeti illi, quàm ante porcos profanos margaritas diuinas proiicere maluerunt, neque vllis aut terroribus, aut ſuppliciis induxerunt ad ſacrificia offerenda, aut ſacramenta miniſtranda. Quis ex his verbis non colligat, neminem vel certè vix quenquam de principe clero cũ Cæſare feciſſe? Sed cauſam video fallaciæ. Villanus
Cap. 55. f. ſcribit, Catholicos clericos non potuiſſe ad diuina officia celebranda adigi; id parum viſum eſt Bzouio, quamobrem Catholicum clerum in principem clerum conuertit. Libet hìc addere quod ſu-
N. I. m. prà omiſſum eſt. Narrauerat Bzouius, Cardinalem Pontificis legatum præcepiſſe, vt Clerus & Religioſi omnes Româ alio commigrarent. Poſtea ſui obli-
N. XII. m. tus ſubiecit, *Clerus quidem religioſior in ſilentio ſacrorum illud Dauidicum gemens ad Deum ingeminabat, Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Deus virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide vineam iſtam.* Ita Bzouio teſte clerus ille religioſior fuit, qui Pontificij legati de vrbe deſerenda mandato non paruit. Nempe paſſim hy-
Ibid. perbolicè non hiſtoricè agit Bzouius. Non ſic Villanus,

lanus, qui multos Catholicos clericos & monachos Roma abiiſſe tradit, non quod ita legatus mandaſſet, ſed quod hæretici, vt ait, & ſchiſmatici, atque Eccleſiæ rebelles Romam ingreſſi fuiſſent.

122. Bzouius. *Ludouicus Bauarus Romæ à quatuor viris coronam Auguſtalem contradicente Pontifice accepit*, &c. Quàm fluxa eſt memoria tua Bzoui? hîc, vti arbitror, Onuphrium intuitus es, eiúſque ſententiam exſcripſiſti: ſupra Boſſij mens magis arridebat, qui ab vno affirmarat coronatum; & tu aiebas, *Iacobus Epiſcopus Venetus, quem Caſtellanum dicebant, Nicolai Pratenſis nepos, vna cum quodam Epiſcopo ex fratribus Auguſtinianis auſi ſunt Ludouicum atque eius coniugem inungere; Sarra autem Columnius diadema vtrique imponere.* Viden' Bzoui te hîc quatuor coronantes, & alibi vnum deſignare? quanquam ego me malim eſſe inter quatuor, quam illum vnum; adeò atrociter Columnius eiúſque poſteri à Bzouio flagellantur, quod ad memoriam huius rei in Columna gentilitio inſigni eminentem coronam ferant, quaſi vt ipſe loquitur, Sarræ præclarum fuerit, ſcelerate feciſſe.

Col. 525. XX. v. 5. *III. Rom. Princip. N. II.*

VITTORIO EMANUELE ... ROMA ... BIBLIOTECA

Digitized by Google